



Lipſia, talis erat quondam CAMERARIꝰ ille,
Orator, vitâ, moribus, arte, probus.

mm.

Pater Dignissimi Filij
hujus Libri Auctoris.

HORTVS MEDICVS ET PHILOSOPHICVS: IN QVO PLVRIMARVM STIRPIVM BREVES DESCRIPTIONES, NOVÆ ICONES

non paucæ, indicationes locorum natalium, obseruationes de cultura earum peculiares, atque insuper nonnulla remedia euporista, nec non philologica quædam continentur.

AVTORE IOACHIMO CAMERARIO Reipub. Norimberg. Medico D.

ITEM

SYLVA HERCYNIA:

SIVE CATALOGVS PLANTARVM SPONTE nascentium in montibus & locis plerisque Hercyniæ Syluæ quæ respicit Saxoniam, conscriptus singulari studio à Ioanne Thalio Medico Northusano.

Omnia nunc primum in lucem edita.



Francofurti ad Mœnum.

M. D. LXXXVIII.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

REI HERBARIAE STVDIOSO LECTORI S. D.



CVM de hortorum differentijs, vtilitate ac laude, ac præterea honesta eorum oblectatione, plures antea tam recentium quam veterum satis copiose in suis scriptis disseruerint, ea omnia hic repetere superuacaneum esse putaui. Pauca tamen quædam propter argumenti, quod tractandum iam suscepimus rationem, & ad nostrum institutum pertinentia, breuiter hic præfari visum fuit, reliqua quæ adhuc in hoc genere meditamur, in tempus aliud commodius reseruando. Hortus itaque, de quo agimus, apud veteres bifariam accipiebatur. Primum enim significatione generaliore vniuersam villam intelligebant, vt autor est Festus, & lex duodecim tabularum, vt sciunt Iurisconsulti, idemque Plinius affirmat lib.19.cap.4. Horatius quoque eodem sensu accepisse videtur lib. II. Satyr. Ecloga VI.

Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Et paulum syluæ super his foret, auctius atque
Dij melius fecere, bene est, nil amplius oro.

Magis autem proprie & specialius locũ varijs plan-

tis consitum & excultum, quem Greci κῆπον nominant, hoc vocabulo exprimebāt. Qui rursum duplicem differentiam sortitur. Vel enim voluptatis & luxus tātum causa horti magnis sumptibus instruebantur, quales olim magna ex parte apud Ægyptios fuere, quibus secundum Athenæum lib. V. peculiaris hæc cura fuit, vt ob nimiam aëris temperiē omni anni tempore copiam haberent nouorum florum. Quos nostris temporibus imitari Turcas studiosissime videmus, à quibus ad nos quoque rariorum & incognitarum stirpium non exigua copia afferri solet. Sumptuosissimi etiam fuere isti horti pensiles Babylonij, quos inter miracula mundi recensuerunt, & à Q. Curtio libr. I. ac Diodoro Siculo satis copiose describuntur, quorum etiam monumenta adhuc quædam nostra ætate extare asserunt, qui Babylonem profecti sunt. De hortis quoq; Gelonis circa Syracusas plura memoriæ tradidit Athenæus libr. 12. quos tamen plane interijsse, sicut multos alios constat. In horum numero forsitan quoque erunt reponendi Epicuri horti, quos ille primus intra vrbem Atheniensem transtulit ex agris, vt Cicero de Natura Deorum & alij scribūt, atq; ideo à veteribus ocij & hortorum magister fuit appellatus. Proprie vero olim potius hi numero multitudinis dicebantur Horti quoq; apud Romanos, vt Salustiani, qui ob splendorem & amœnitatem à Regibus posterioribus ad inhabitandum fuere

expe-

expetiti: Luculliani magnificentia celebres: Seneciani, qui Neronem ad domini necem impulisse existimantur, necnon plures alij, quos omnes enumerare nimis lõgum foret. In quorum nimios ac profusos sumptus acriter (vt solet in alia quoq; vitia suorum temporum) inuehitur Horatius ode XV. lib. II. cuius initium:

Iam pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquunt, &c.

Vel vtilitatis potius, (quod secundum & præcipuum membrum erat) gratia instituebantur. Qui rursum aut ad sustentationem vitæ & quotidianũ victum potissimum hominibus expetebantur, Oeconomiam & rem culinariam instruẽtes, suppeditando olera, legumina, omnis generis fructus, gramina & alia similia. Hos merito nec sine causa summopere commendarũt veteres, & eorum encomia Plinius lib. 19. ferme omnia breuiter recenset. Expedita res est, inquit, & parata semper, neq; egent igne qui hortos habent: crudis enim cibis facile vescuntur & coctu facilibus. Itaq; hortus altera succidia quondam putabatur, cum vbi opes horti deerant, de carnario & macello viuendum esset. Carnis vero desideria antiquis fuere in exprobratione. Vnde vocabatur hortus plebis macellum, innocentiore victu fructum salubrem & frugalem porrigens. Verum cum hæc & alia hortorum cõmoda elegantissimo carmine descripserit vna cum suo frugali hortulano autor

 poëma-

poematis Moreti, quod Virgilio aſcribitur, quædam his inſerenda putaui.

Non illi ſuſpenſa focis carnaria iuxta
Durati ſale terga ſuis, truncíq; vacabant.
Hortus erat iunctus caſulæ, quem vimina pauca
Et calamo redimita leui munibat arundo,
Exiguus ſpacio, varijs ſed fertilis herbis,
Non illi deerat, quod pauperis exigit vſus:
Interdum locuples è paupere multa petebat,
Nec ſumptus erat illud opus, ſed regula curæ,
Si quando vacuum caſula pluuiæq; tenebant
Feſtaue lux, ſi forte labor ceſſabat aratri,
Horti opus illud erat.

& quæ ſequuntur.

Aut ad vſum deniq; Medicum horti excolebantur, (quamuis hi ſæpius cum ſuperioribus tanquam affines admodum coniungantur) Eſcas enim præbere poteſt ſimul & medicamenta hortus. Fuitq; olim hæc hortenſis medicina admodum fida minimeq; ſuſpecta, quæ nunc etiam nonnullorum laudabili ſententia rurſum in lucem profertur, & ad verũ vſum reuocatur, ne ſcilicet, vt iterum Plinij verbis vtar, vilitas adimeret. Recte itaq; quidam ex recentiorib. poetis eleganter cecinit:

Magnus ineſt herbis vigor & vis inſita cælo,
Graminibuſq; ſua eſt vel vilibus addita virtus.
Nilq; adeo abiectum eſt, nihil eſt tam vile, ſacratum
Quin medicamen habet: bulbo maluæq; poteſtas
Eſt ſua & vrticis: mentes adhibete fidemq;
Mortales multa ſcrutati indagine, numen
Non deerit, ſuperiq; volunt ſua munera quæri.

Atq;

Atq; hi quidem ambo poſtremi horti tam alimenti quam medicamenti ratione vtiles admodum ac neceſſarij, vltra hæc maxima commoda, præterea propter contemplationem naturæ, vt Hippocrates noſter ait, iuſtiſſimæ admirandam ac proprietates plane diuinas, oblectationem ſingularem pręſtantibus ingenijs ſemper afferre conſueuerunt. Quapropter omni tempore hoc iucundiſſimum pariter & vtiliſſimum ſtudiũ hortenſe à maximis principibus & alijs plurimis ſummopere fuit commendatum ac diligenter admodum excultum, ſtatuentibus non ſolum ad ſuſtentationem ac conſeruationem vitæ humanæ percommodum, ſed etiam ſuarum curarum ac moleſtiarum aſylum eſſe & conuenientiſſ. præſidium. Vnde etiam non pauci in ſummis honoribus & dignitatibus viuentes, tandem illis omnib. ſpretis & relictis, exiguo aliquo horto contenti, priuatam vitam rebus cunctis alijs prætulerunt.

M. Varro memoriæ prodidit, Neſtorem, qui temporib. belli Troiani vixit & tam longæuus fuit, vt nunc etiam Neſtoreos annos alicui precari ſoleamus, ita fuiſſe huic ſtudio deditum, vt ἀλεξίκηπον, id eſt, auxiliarem hortum carmine quoque deſcripſerit. Alcinous Rex Phæacũ, qui Homero ὀδ. η. & Orpheo in Argonauticis δικαιότατος τῶν βασιλήων dicitur, diligenter & ſedulo hortos excoluit, ad quos negotijs regni expeditis, quotidie ſe conferre atq; ibidem animum à curis & laboribus non

parum

parum recreare consueuit. Quem imitatum quoque fuisse Octauianum Augustum Imperatorem Romanum historici memorant, crebro diuertentem ad hortos Mecœnatis elegantissimos. Sic Cyrum Regem Persiæ, & Diocletianum Imper. ac quidem hunc posteriorem abdicato imperio Romano, proprijs manib. scribunt tanta cura & diligētia hortos excoluisse, vt omnibus qui viderent admirationi essent.

Sed veniamus ad nostros quoq;. Imperator Fridericus, qui 53. annis Imperio felicissime præfuit, Rei herbariæ ita fuit intentus, ac tantum in ea profecit, vt sæpius (teste Cuspiniano) cum Medicis suis animi gratia de plantis & earum viribus prolixe disputare non erubuerit. Quem sine omni dubio ipsius abnepos Maximilianus II. Augustissimę memoriæ Imperator in hoc genere quoq; superasset, magnis sumptibus ex diuersis orbis terrarum regionib. rarissima & selectissima simplicia conquirendo, ac hortum de consilio clarissimi & doctiss. viri Dn. Caroli Clusij de Re Herbaria optime meriti, (quem propterea vnice amabat & fouebat) instruendo, nisi secundum æterni Dei voluntatem ante tempus cum luctu & mœrore summo omnium bonorum has terras reliquisset.

Sunt etiam nūc superstites, tam in Germania quam alibi laudatissimi principes, qui hoc idem factitare nō desinunt, quorum omnium nomina & laudes si enu-

merare vellem, integrum librum cõponere quiſpiam poſſet. Nõ licet tamen ſine ingrati animi euidenti nota hoc loco præterire Illuſtriſ. ac præſtantiſ. principem ac D.D. Vuilhelmum Lantgrauium Haſsiæ, Dominum meum clemẽtiſsimum, cuius Celſit. vt omnium bonarum artium amore ſingulari tenetur, ita naturali quadam inclinatione ad hoc ſtudium defertur, atque ideo ſtirpium exactam cognitionem ſibi comparare non dubitauit. Quam ob cauſam non ſolum hortum copia rariorum, quas Germania nunquam antea habuit, ac ſelectiorum plantarum atque omnis generis fructiferarum arborum, quas mihi videre alibi non contigit, inſtructiſsimum, nullis parcens impenſis excolit atque exornat: verum etiam alios huic ſtudio operam dantes fauore benigniſsimo complectitur, atque eorum conatus eximia munificentia iuuare ac promouere non deſinit. Idque tum alij non pauci ſciunt, tum ego imprimis ſubiectiſsimæ gratitudinis commemoratione ſemper prædicare debeo & cupio, atque ingenue fateor ad horti huius mei culturam ac vniuerſi operis Botanici elaborationem ante alios ſuæ Celſitud. non pauca me referre acceptum.

Hæc Principum & magnatum laudabiliſsima exempla plurimi etiam priuati homines omnibus temporibus imitari, & pro ſua quiſque parte ad illuſtrandam & locupletandam hanc præclaram ſcientiam ali-

quid afferre in medium, & olim ſtuduerunt, & nunc etiam non pauci eam in rem incumbunt. Theophraſtum Ereſium Ariſtotelis diſcipulum hortum habuiſſe ampliſsimum, ex teſtamento quoque ipſius apparet, vt refert Laërtius, in quo multa & diuerſa genera excoluit, quo rectius eruditiſsimos ſuos libros de Hiſtoria & cauſis plantarum, qui nunc etiam, quamuis multis in locis deprauati, in doctorum manibus verſantur, meliuſq; conſcribere poſſet. Romæ temporibus Plinij, Antonio Caſtori Medico inſignis fuit ea in arte autoritas, qui idem ſcribit lib. 25. cap. 2. Sibimet ipſi & alijs contigiſſe pleraſque ſtirpes in eius horto viſendo contemplari: in quo bonus iſte ſenex ſobrie & frugaliter ſeſe oblectans centeſimum ætatis annum ſuperauit, nullum malum corporis expertus ac ne in ætate ea memoria aut vigore concuſſus. Quam quidem egregiam hiſtoriam ideo hoc loco præ alijs proponere volui, vt ſtudioſi eam aſsidue præ oculis haberent, & hoc ſtudium innocentiſsimum cum ſobrietate coniunctum perpendant quantum ad animi & corporis vires conducere queat. Noſtro ſeculo ſane plures forſitan quam vnquam alias huic rei herbariæ excolendæ incumbunt, ac indies magis magiſque de ea bene mereri pergunt, quorum omnium cum tantus ſit numerus, vt vniuerſi hic nominatim, quemadmodum par erat, celebrari nequeant: Satius eſſe putaui eorum laudes in aliud commo-

commodius tempus reſeruare, ac potius de præſenti opuſculo hoc noſtro nonnulla quæ neceſſe eſſe arbitrati ſumus, adijcere. Cum equidem ego à pueritia φύσει καὶ προαιρέσει, (vt dici ſolet) ad inueſtigationem τῶν ἁπλῶν φαρμάκων miro ſtudio afficerer, ac poſtea ad artem Medicam animum applicans, indies pleniorem adhuc quaſi poſſeſſionem illius mihi comparare aſsidue ſtuderem, tandem certum domicilium nactus per multos annos pro mearum rerum facultatibus, ſuburbanum ipſemet hortum excolere, eumq́; , quanta fieri potuit diligentia, inquilinis & exoticis plantis rarioribus auctiorem reddere conatus ſum, non ex commentarijs & delineationibus aliorum tantum, ſed ipſa αὐτοψία & oculata fide naſcentium, augeſcentium & rurſus decreſcentiū ſtirpium naturam, proprietatem & efficacitatem plenius addiſcere, & vberiorem ipſorum ſcientiam adipiſci annitens. Quam rem etiam ad lucubrationes meas Botanologicas, (de quibus nonnihil deinceps dicemus) apprime mihi vtilem & neceſſariam fore exiſtimaui. Accedit ad hoc, quod in meis laboribus quotidianis & occupationibus interdum propemodum nimijs, vbi nonnihil ocij conceſſum fuit, hoc pacto non parum leuationis mihi comparauerim. Hoc enim quaſi refugium quoddam & ſeceſſum liberalem vel potius muſeum iucundiſſimum ab ipſa Natura tot herbis, arbuſtis ac arboribus inſtructum ac exornatum quis non

amplecteretur? quis non fateretur etiam marmora nitidissima regiarum, picturasq; splendidissimas, ac alia praeclara artificia ab illis longissime superari. Hocq; re ipsa ita esse experietur, qui accurate stirpium varietatem, numerum, formam, flores multiplices, succos deniq; & vires salutares hominum causa productos perpendere voluerit, nec opus est, quamuis in promptu essent, aliorum plurimas autoritates hic ad confirmandam nostram sententiam afferre. Quid vero in hoc genere laborauerim, & quae impenderim, sciunt alij, nec me pluribus hic commemorare decet. At cum non solum negocia alia grauiora, ac aetas praeterea ingrauescens, non parum de priore mea alacritate & φιλοπονίᾳ auferāt: verum etiam idoneorum hominum, quorum opera hac in parte vtor, indies maior penuria fit, accedente insuper superioris anni hyberno frigore intensissimo, cuius insolita saeuitia plurimarum stirpium exoticarum, quae huc vsq; nostrum coelum paulo asperius & frigidius vtcunque ferre assueuerant, vnica vice prouentum imposterum vix recuperabilem abstulit: rogatus ab amicis compluribus, Catalogum earum plantarum, quae in horto meo hucusque enatae sunt, conscribere coepi, in quo simul etiam de natalibus earum locis, culturae ratione peculiari ac remedijs facile parabilibus aliquid addere suis locis placuit, quibus omnibus (praesertim studiosis bonarum artium gratificaturus,

ficaturus, qui primum ad artem medicam & cognitionem Simplicium ſeſe conferre incipiunt) philologica quædam interdum aſpergere volui, atque ideo hanc meam opellam βοτανολογικὴν, HORTVM MEDICVM & Philoſophicum inſcribere, vtrumque (quamuis forſitan tenuiter) nimirum τὸ ὅτι, quod ad Philoſophos ſpectat, ac τὸ οὗ ἕνεκα, in quo Medicus verſatur, cum ſecundum Hipp. omnia πρός τι dicantur, complectens, hæcq; vniuerſa ſimplici ac plano ſtylo ac ordine alphabetico, ad diſcentium captum potius quam aliquem ornatum inſignem me accommodans, exponere conatus fui. Ac quo paulo plenior huius argumenti fieret elaboratio, tanquam ἐκ παραλλήλου (vt dicitur) adieci commentariolum de plantis ſponte naſcentibus in Hercynia & vicinis locis doctiſſimi Medici Ioannis Thalij, p.m. viri optimi & ad illuſtrandam & augendam materiam medicam plane nati, niſi immatura morte, quæ mihi & alijs multis fuit peracerba, fuiſſet ante horũ & aliorum perpolitionẽ nobis ereptus. Quod vero ad meas haſce lucubratiunculas attinet, non propriæ alicuius laudis vel oſtentationis cauſa has à me publicatas eſſe lector candidus exiſtimet, (ſcio enim à plurib: longe ſelectiora poſſe in medium proferri) ſed potius vt qualicunque meo hoc exemplo alios quoque apud nos in Germania φιλοβοτανεῖς ad hoc egregium & laudabile ac perutile ſtudium, vti cœperunt, & excolendum & illuſtrandum

 incita-

incitarem, eosq; admonerem, vt meum institutum pro sua humanitate adiuuare, & si qua in re possent, instruere quoque non grauarentur, vicissim sibi persuadentes me eorum omnium beneuolam voluntatem grata & ingenua prædicatione, quemadmodum & in hoc libello facere non intermisi, diligenter suo loco esse prosecuturum. Alterum quoque est, quod me ad editionem huius horti impulit: voluntas nimirum exhibēdi hoc quoddam specimen exiguum maioris mei operis botanici, id est, Paralipomenon Rei Herbariæ, in quo iam aliquot annos desudo, & Deo adiuuante id, quantum per alias occupationes licuerit, breui, vtilitatis publicæ causa ad finem perducere conor. In quo potissimum ab alijs derelicta vel non plene descripta, aut satis accurate delineata, vna cum cæteris ad hoc institutum pertinentibus latius tractabo, additis imprimis pluribus remedijs vera ratione & longo vsu doctissimorum Medicorum expertis. Nec dubito hūc meum laborem non contemnendum, ac, vt confido, perutilem studiosis artis Medicæ & alijs pluribus gratum acceptumq; futurum. Sed quoniam ad conquisitionem plantarum exoticarum ac præterea earum genuinas & artificiosas sculpturas magni sumptus tam mihi quam typographis sint faciendi, omnes propterea & meo & ipsorum nomine rogatos magnopere velim, vt qualiacunq; hæc nostra nobis relinquant, nec temere in suos
libros

libros transferant. Sin ſecus fecerint, ſciant omnino ſe contra expreſſam ſpecialis Privilegii Cæsarei nobis conceſſi ſententiam nõ ſine ipſorum detrimento id eſſe tentaturos: nec dubito, quin hãc admonitionem amicam in optimã partem ſint accepturi. Poſtremo candidum lectorem rogo, vt hæc qualiacunque, quæ iam damus, boni conſulere, ac hoc meum inſtitutum, ſi dignum videbitur, impoſterum quoque adiuuare atque promouere non grauetur, quod ſi factum fuerit, ad maiora, quæ in manibus habemus, celerius abſoluenda, calcar nobis non exiguum addetur, Vale.

Ioachimus Camerarius,
Reipub. Norimberg.
Medicus.

HORTVS MEDICVS, IN QVO NON SOLVM STIRPIVM SELECTIORVM DESCRIPTIONES, ET ICONES QVAEDAM NOuæ, ſed indicationes quoque locorum natalium, ac peculiares culturæ obſeruationes, atque inſuper non pauca remedia Euporiſta, nec non interdum Philologica quædam continentur.

A.



ABROTANVM mas, Stabwurtz / vbique notum, Auulſis ramulis, vt multa huius generis, facile propagatur, ſemine vero difficulter prouenit. De quo legimus apud Horatium, olim vſitatum fuiſſe illud intra corpus exhibere, vnde ille

Abtrotanum ægro
Non audet niſi qui didicit dare.

Sed noſtro ſeculo audaci, quilibet non ſolum hæc minime periculoſa medicamenta, ſed etiam quæuis validiſſima alijs obtrudere non erubeſcit. De qua iuſtiſſ. querela alias plura.

„ Vſus eius præcipuus in lumbricis, quod & Aelianus nota- „ uit. Aqua deſtillata Abrotani cum momento pulueris Nu- „ cis muſcatæ optima in ſtranguria & dyſuria. Exterius impoſi- „ tum extrahit ferrum & alia corpori infixa.

Abrotanum fœmina, ſiue Chamæcypariſſus, Cypreßkraut. Duo eius hîc genera reperiuntur; quorum vnum eſt vulgare & candidius, alterum foliis magis viridibus & craſſioribus, quod etiam admodum cultura fruticeſcit. Italis Santolina. Reperiũtur & aliæ eius differentiæ, nõdum apud nos excultæ, de quibus ſuo loco tractabitur plenius.

Abrotanum magnum, Camphoratum, quibuſdam incenſaria,

 admo-

admodum fruticat & facile se ex surculis ꝑpagat: odoris grauis, attamen non omnibus iucundi. Tragus appellat Groß Stabwurtz.

Absinthium commune, Wermut. Hoc excellentiss. Medicus, Victor Trincauella, præceptor olim meus Patauij, qui 48. annos summa cum laude artem medicam exercuit, habebat pro Pontico. Ingratum saporem deponit, si prius per feruentem aquam trahatur. De hoc pulcerrimam similitudinem sumit D. Gregor. Nazianzenus in oratione apologetica. Citius, inquit, quis parua malitia abundare incipit, quam in virtutis cumulo vel parum proficitur. Quandoquidem & modicum Absinthij cito melli amaritudinem tribuit, mellis vero nec duplum Absinthio suam confert dulcedinem. Hactenus ille. Mirum tamen, radicem huius plantæ ob amaritudinem eximiam non tantum vulgo, sed etiam in sacris literis passim famosæ, dulcem & pene insipidam, cum exigua quadam salsedine succum illum amarum herbæ peculiarem è terra elicitum neutiquam resipere. Herba apud veteres fuit funebris quam in cœmiterijs plantabant. Pierius in Hieroglyph. Poculum Absinthij quadrigarum agitatoribus propinatum, refert Latinis ferijs, qui vicerant: maiores enim id sanitatem interpræta bantur, quam magni præmij loco dare se profitebantur, teste itidem Plinio, lib. 27. cap. 7.

„Contra icterum remedium non contemnendum: R. Florum Absinthij, Rosmarini, prunorum syluestrium an. partes æquales, Croci partem dimidiam. Decoquantur in vino diuretico, & exhibeantur præparato corpore.

Absinthium Romanum vulgo, Fuchsio Ponticum, media potius herba inter Absinthium & Abrotanum. Mire radix serpit & se propagat. Vino imposita ventriculo vtilis.

Absinthium latifolium marinum aromatico odore: *Seriphium* peritissimo rerum simplicium Medico D. Bernardo Paludano.

Vide

Vide picturam Dodonæi pag. 26. in magno opere, qui nescio quam ob causam vocat angustifolium.

Absinthium Santonicum, nonnullis dictum. Ad littora maris Galliæ & Angliæ sponte nasci Clusius ait: vnde nonnullis est Seriphium. Flores habet croceos, odore non ingrato prę-ditos. Durat apud nos hyeme in hortis, & se propagat plurimum. Gesnerus vocat Seriphium vel potius Santonicum fœminam Vallesiacum. Et nasci tradit è semine, eademque æstate flores proferre, præter paucas plantas serius enatas. Eādem vel simillimam inueniri in Massilię maritimis petrosis ex relatu Iacobi Reginaldi. Weißkraut / herbam albam dici Vallesijs.

Absinthium paruum & incanum, Gesnero humile. In hortum à me translatum ex montibus Tyrolensibus, vbi copiose crescens reperi. Sed non diu culturam fert, nisi sæpius transplantetur.

Absinthium Pannonicū flore albo. Vide Clusij obs. lib. 3. cap. 34. Elegans planta, quasi mediam naturam obtinēs inter Absinthium & Matricariam. Nō libenter horto assuescit, sicut nec aliæ plantæ alpinæ: quare collocandæ in loco vmbroso attamen aëri exposito, cum solem minime ferant.

Abutilon, Welsch gelbe Pappeln. Althæa Theophrasti secundum nōnullos. Vtuntur vnc. j. s. seminis ex vino cōtra dolo-« res calculorū. Alij volunt esse vulnerariam. Ad somnum cō-« ciliandum Turcis in vsu esse pōdere vnc. j. CL. V. D. Bernar-« dus Paludanus mihi retulit. Siq; rursus aliquem velint exci-« tare, nares aceto fricare.

Abutilon Indicum, quo nomine à peritissimo rerū simplicium Iosepho de Casa bona, Serenis. Magni Ducis Hetruriæ Herbario ad me missum fuit. Folia habet crenata in pediculis lōgis, florem elegantissimum, albicantem, interius luteū, magnitudine syluestris rosæ. Planta hæc à nemine prius fuit, vt

puto, depicta. Potest quoq; ad Althæas referri, cuius iconem in fine libri exhibuimus.

Acacalis, non tamen coueniens descriptioni veterum, sed hoc titulo ad nos missa, vel Syriaco Kisnisen, siue Sisime. Ex octenni semine enata tenella planta, instar Ceratiæ primum erumpentis, rotundis foliis, quaternis, vtrinque costæ annexis binis, cauliculus subhirsutus: quæ sub autumni initium rursus exaruit. Semen altera parte rotundum, latiusculum, altera in mucronem collectum.

Acanthium, Onopordon alijs.

Acanthus verus, Welsch Berenklaw/Branca Vrsina, quo nomine vulgo Spondylium quoque vocant. In horto aliquando perdurat, & semen perficit, sed hyemem acriorem non adeo bene fert.

Acarna Theophrasti, alijs Scolymus eiusdem, Eryngium Vegetij.

Acatia prima Aegyptiaca ex semine aliquoties enata, vix tamē semestris fuit.

Acer maius & minus, vtriusq; turiones lacte scatent instar ficus, sed non acri, nullius euidentis gustus.

Acetosa rotundis foliis, apud Lobelium Oxalis satiua Franca. Crescit non solum in agro Parisiensi Aurelias vsque, sed etiam in Germania, in Bauaria inferiore prope Kelhemium ad Danubium. Sapidissima est & aqua inde destillata, retinens acidum saporem in febribus vtiliter datur.

Eiusdem generis *tuberosa* à D. Carolo Clusio mihi fuit missa.

Acetosa Hispanica grandissimis foliis ex horto illustrium Fuggerorum huc translata.

Aconitum Lycoctonum flore luteo, in pluribus montibus Germaniæ reperitur, præsertim in Heluetia, vbi Lupariam nominant. In horto ex semine nimium propagatur, sicuti malo-

rum prouentus ſemper eſt vberior. Duplex eſt: Maior folio latiſſimo minus nigro, & ſerotino magis flore diſcrepat à minore, alioquin ſimiles ſunt plantæ.

Aconitum flore cæruleo, Napellus Serotinus, Lycoctonon VI. Cluſij. Alterum Napellum qui citius floret & vulgatior eſt, Narrenkappen apud nos vocant.

Aconitum flore Delphinij Cluſii I. Pannonicum, trium vel plurium cubitorum attingens, primum mihi communicatum à doctiſs. Medico, & rei herbariæ peritiſs. D. Friderico Sebicio Archiatro Ducis Lignicenſis.

Aconitum hyemale, aliis Ranunculus Monophyllos, ſiue Anemone Bononienſium, flore luteo, perennis planta, copioſe creſcens in montibus Euganeis prope Patauium.

Athenæus & Theopompus ſcribunt Aconitũ, de quo adhuc certatur & ſub iudice lis eſt, naſci in cautibus in Ponto prope Heracleam, quas ἀκόνας vocant: ac quamuis ſit venenatiſs. planta, non tamen nocere illi qui antea vino ſe ingurgitauerit. Ouidius Etymologiam illam videtur innuere:

Quæ quia naſcuntur dura viuacia caute
Agreſtes Aconita vocant.

Ac quamuis ſit venenum lethale, cuius etiam folia ita parari poſſe quidã ſcribunt, vt certo tempore interficiant, non tamen humanis vſibus prorſus eſt incõmodum, oculis enim inſtillatum dolores ſedat. Dicitur ita eſſe infeſtum Scorpioni, vt is eius cõtactu torpeſcat, admoto vero veratro albo reuiuiſcat & multo magis ocimo, in quo & ex quo is naſcitur.

Acorum Dioſcor. ſiue Calamus aromaticus officinarũ. Calmus/ In finibus Lituaniæ & verſus Tanaim ac Mœotim, vbi alba eſt Ruſſia Moſcis parens, in magna creſcit copia. In noſtros hortos ante aliquot annos tranſlata etiam ſæuiſſima frigora non curat. Floret menſe Iunio inſtar amenti ſiue iuli elegantiſs. Atque inde Diacorum in officinis iam recte parari

poterit, ſicuti illuſtriſ. princeps Lantgrauius Vuilhelmus ſingularis rerum naturalium amator in ſuo iuſtructiſ. horto tã abunde creſcentem alit, vt inde quotannis hoc medicamentum confici curet.

Adiantum album, Ruta muraria in parietum rimas indita viret, nec alia ratione ſe tranſplantari patitur. Amat autem ſaxa viua, in coctis lateribus immoritur. De Adianto, vt puto Lugdunenſi ſiue Capillo Veneris ſcribit Braſſauola in libro de purgantibus medicamentis, ad leniendam aluum hanc potionem nunquam ipſum fefelliſſe. ℞. Adianti, paſſularum an. vnc. j. ſebeſt. nu. 20. Bulliant in iure. interdũ Pruna Iberica & Myrobalanos addit. Sed Adiantum ſemper vltimo loco eſt addendum in decoctione.

Adonidis flos alijs Eranthemum, flore rubro maiore & minore, itemq; pallido creſcit in ſegetibus Thuringiæ & in Sueuia circa Dillingam. Saxones quod florem rubrum profert, vocant ob rutilantem colorem, Diaboli oculum. Quod autem flore pallido eſt fruſtra putabant aliqui eſſe Leucanthemum Dioſcoridis. Semen calculum efficaciter pellit.

Aethiopis. Cotonariam nominant in agro Montiſpeſſuli ob candida & tomentoſa folia. Altero anno apud nos ſemen profert. De ea Plinius multa magica ſcribit. Hyemis ſæuitia radix emoritur, & putreſcit vere ineunte, nullo ſuperficei incommodo, quæ tamen ſole altius aſcendente radijs fortioribus contacta marceſcit tandem vel etiam aeris vitio quantumuis vmbra illi inducta muniatur.

Ageratum, klein Welſch frawenmüntz. Italis Herba Iulia à menſe, vt quidam volunt, in quo florere incipit, Eupatorium Meſues apud pleroſq;, flore luteo: quãuis & interdũ albo inueniri aſſerant. Bononienſe tamen Antidotarium, vt vocant, Agrimoniam vſitatam volunt competere ſyrupo de Eupatorio Meſues: quod Gratiolam quoq; non repudiat. In Polonia

creſcere

crescere intellexi à quodã magnate eius gentis viro doctiss. et simplicium peritiss. nonnulli in vineis quoq; ad Rhenum reperiri aiunt.

Eius decoctum in vino in doloribus dentiũ à fluxionibus frigidis & putridis exortis singulare est remedium.

Agnus, quære Vitex.

Agrifolium. frequens in saltibus prope Saltzburgũ & vicinis locis. In Belgio inde sepes parant. Si in teneras arbusculas inserantur rosæ, producunt subuirides flores, vt peritissimi hortulani quidam experti sunt.

Agrimonia odorata Florentia transmissa, planta vt rara, sic apud nos ægre perdurans. Ante hyemem sata veris initio prodit, sed difficulter asseruatur. Wolriechend Odermeng.

Petrus Bembus Cardinalis, vir eloquentiss. asseruit ad arenulas in renibus expellendas nihil melius se reperisse, quam assiduum vsum aquæ stillatitiæ ex Agrimonia siue Eupatorio Græcorum.

Aizoon siue semperuiuum maius.

Aizoon minus, odorato & purpureo flore ferme Asteris Attici, elegans planta. Colore nimirum floris quam in vulgato viuidioris purpuræ, alioquin non absimili nisi minor esset. In Tyrolensibus montibus frequens.

Aizoon minus, albo flore, staminibus purpureis & aliud flore luteo inflexo instar scorpionum caudæ, folijs in acumẽ coactis quæ in priore sunt oblonga & obtusa, vuarum acinos imitantia. Vtraq; depinguntur à Fuchsio, sed quod florem luteum gerit, accuratius à Lobelio.

Aizoon palustre, à Clusio depictum, klein Haußwurtz die vierdt/ apud Tragum. Nascitur humentibus pratis circa hanc vrbem.

Aizoon peregrinum , sic appellandum ob folia crassa & pinguia, flores & semina vulgari Aizoo nonnihil similia, quamuis

uis planta sit annua. Eam mense Aprili accepi folijs præditam portulacæ, sed in summo crenatis & qua parte solis radios exceperint micas quasi argenteas ostendẽtib. ita collocatis vt oculi formam nõ secus atq; vulgare Aizoon repræsentarent. Maio mense in foliatum cauliculum palmi altitudine, incuruum, supinum nonnihil, & in paucos ramulos diuaricatum excreuit, subrubentem: flosculos Iunio proferẽtem stellatos, nitidos, candicantes, exiguos, & Quintili capsulas quinas itidem stellatim coniunctas, minutissimo semine refertas: atq; tandem cõtabuit herbula. Rursus vero prodijt ex semine Septembri mense, cum, quod sponte exciderat, frequentes pluuiæ macerassent & fouissent soles aliquot calidiores, & Octobri medio eandem formam & pene magnitudinem consecuta est, qua primum acceperam, sed vnica pruinæ acrioris sæuitia deleta fuit. Semen itaq; quod collegeram anno sequente veris initio terræ commisi & intra paucos dies copiose prodijt illa plantula, sed Quintili demum flores ostendit. Sapor idem est qui Aizoi. Cepæę non inepte ascribi posse videtur. Quidam Lunariam vocant. A nemine tamen hactenus descriptam inuenio, ideoq; delineatam cum alijs reieci in calcem huius libri.

Aizoon arborescens, quod vidi aliquando in horto Regio Noui Castri Neapolitani in fictili florere, cuius pictura passim habetur. Sed nobis non diu viruit, cum vix Italicum aërem ferat.

Alaterni arbuscula Florentia missa, cuius meminit Anguillara, Apulis Linterna, Illyricis Comoricha.

„ *Alcea vulgaris*, cuius vsus adhuc non contemnendus in dysen-
„ teria, quod etiam Diosc. annotauit.

Alcea Pannonica, cuius semen communicauit Carolus Clusius, minutius vulgari. Planta ipsa foliis primum exit nullam diuisuram habentibus, rotundis, crenatis tantũ, postea in caulem

lem

lem assurgens magis laciniata profert & tota tenerior est quā vulgo apud nos inuenitur. Non habetur in historia Pannonicarum stirpium à Clusio edita, ideoque eius picturam ad calcem adiungere volui.

Alcea tenuifolia, folio crispo, floribus maluæ, frequens in Harcynia sylua & apud Rhenum, non multum diuersa à Pannonica.

Alcea cannabina, secundū nonnullos Cannabis syluestris Dios. quinque vel sex cubitos alta.

Alcea arborescens, cuius D. Rauvvolfius meminit in suo itinerario, nomine Maluæ arborescentis.

" *Alchimilla vulgaris*, cuius decoctum aliqui laudant in dolore
" dentium.

Argentea heptaphyllos, montana, siue Argentaria petræa Gesneri, in montibus Helueticis & Tyrolensibus frequens.

Alisma Matthioli, alijs Chrysanthemon latifolium. Frequens in syluis apud nos passim, sed plerunq; in hortos trāslata exarescit nec facile culturā admittit vel saltem rarissimè floret. Laugen Kraut/ Joannes Kraut. Vtuntur Narisci rustici in de- "
coctó, si quid venenati putant pecora sumsisse. "

Alliaria, spontanea.

Allium Creticum, siue Serpentinum, Scorodoprasum in Pann. Clusij, pag. 210.

De vulgari scribit doctiss. vir Costæus in Commentar. ad "
Mesuen, se vidisse mulierculæ cuiusdam suasu contra quarta- "
nam secundo annularis vtriusque digiti internodio allij cru- "
di integram spicam vinculo noctu alligatam acerrimo dolo- "
re excitasse vesicam, qua nō solum cuticula summa, sed cras- "
sior quoq; cutis obsisteret à subiectis partibus. Coctum sub "
cineribus & impositum dentibus ad sistendum dolorē Amb. "
Paræus in sua Chirurgia vsurpat. "

Tenuifolium, vel potius *Ampeloprasum*. Figura enim propius ad

Porrum accedit, nec tam acre etiam & graue olens est quam Allium.

Saxatile, Bulbus Vomitorius, Moly foliis Narcisci.

Vrsinum, Arctoscorodon, syluestre, flore albo.

Alpinum. Victorialis mas & fœmina. Mari folia multo sunt latiora, fœminæ vero angustiora.

Alnus nigra, Frangula. Faulbaum. Vbique in syluis crescit. Siler Plinij secundum nonnullos. Dum pusilla est in pingui solo collocata, folia fert oblonga & magna, similia Guaiacanæ dictæ, tam figura quam magnitudine. Cortice eius interiore luteo in multis locis Saxoniæ hoc tẽpore vtuntur loco Rhabarbari, quod iam propter immensum pretium non cuiuis præscribi potest.

Aloë communis, affertur copiose ex Hispania. Appensa laquearibus non modo in multos annos durat, sed in quibusdam locis calidioribus quoque florem profert. Vidi anno 1561. Pisis apud quẽdam nobilem in fictili florentem, flore luteo, mense Martio. Apud nos nisi ante frigora brumalia eximatur è terra & in loco tepidiori suspendatur, ac primo vere rursum fictili imponatur, facile putrescit. Quiqueranus de laudibus Prouinciæ scribit libr. II. capit 59. In Stœchadib. Insulis luxuriose crescere ac vulgo vocari Semperuiuum marinum, ac tritum imponere incolas quibusuis vlceribus & vulneribus. Brassauolas in libr. de purg. tradit nonnullos ex minima pillula, quæ nõ erat quarta pars semiscrupuli, decies excreuisse. Plautus ait prouerbialiter: Vitam hominis plus « Aloës quã mellis habere, id est, plus molestiæ quam volupta- « tis illi inesse.

Aloe spinosa siue America, à Clusio descripta & depicta in obs. Hispanicis lib. 2. cap. 67. sine tamen floribus, quorum picturam in fine libri exhibemus. Creuit hæc planta (vt mihi per literas retulit diligentiss. rerum simplicium indagator Iose-

phus

phus de Casabona, Magni Ducis Hetruriæ (vt vocant) Simplicista, qui vt plura alia, iconem florum quoque liberaliter mecum communicauit) Anno Christi 1586. in horto instructiss. eiusdem Ducis, miræ altitudinis caulem proferens, instar abietis, pene contortum, in cacumine ramosum; in extrema ramorum parte congeries fuit referta floribus è luteo virentibus, instar Hemerocallidis Valētinæ, suauiter odoratis vt quidam retulit. Ipsa planta excessit altitudinem 12. cubitorum.

Hæc cum sit priore durior, facile in fictili asseruatur in loco tepidiori per hyemem. Copiosam tamē irrigationem recusat. Propagines multas spargit, quæ nisi tempestiue auferantur, priusquam adolescant, matri omne alimētum detrahunt, illamq́; perimunt.

Succus ex ea colligitur, facultate cum priore non dissimili.

Hanc plantam primus habuit, ni fallor, in Italia Iacobus Antonius Cortusus nobilis Patauinus, de re Herbaria opt. meritus, apud quem vidi inter alia selectissima, Anno 1561.

Alopecurus, à Dodonæo & Pena pingitur ac describitur, Planta frumentacea.

Alsine maior, media, minima, quarum duæ posteriores à Fuchsio & alijs, prior à Dodonæo exhibentur. Sponte nascuntur in hortorum areis. Sed prior admodum raro nisi transferatur è dumetis, in quibus nasci gaudet.

Alsine hirsuta, mediæ similis, sed nigrior, hirsutior ac durior, spontanea.

Alsine tenuifolia mediæ seu vulgari similis, sed strigosior, non tamen hirsuta aut pinguis vel tam late serpens. Nascitur ad Sepes: arenoso solo delectatur & solum excultum, non, vt reliquæ desiderat.

Alsine flore purpurascēte, Fuchsij III. itē cæruleo, Fuchs. II. Inter-

dum spōte prouenit in areolis lacteo aut dilute purpurascē-te flore.

Alsine parua recta folio rutæ modo diuiso Lobelij, spontanea etiam in segetibus præcipue circa Lipsiam.

Alsine repens Clusij, sponte passim nascitur in dumetis circa vrbem.

Alsine Viscaria, folio subcæruleo, pingui, flosculis nunquam se aperientibus, nisi meridie intensissimo æstu post pluuias, alioquin Alsinis reliquis similis, nisi quod cauliculi summitas, & foliorum pili tenuissimi scateant viscido succo, cui muscæ adhærent.

„ *Althæa* vulgaris, herba ad internos & externos affectus pluri-
„ mum vtilis, imprimis ad Calculi dolores.

Althæa arborescens, vel potius fruticosa, perennis planta, alia ab Hispanica Clusij, & fortasse eadem cum Prouinciali Penæ, sed non satis exquisitè picta.

Althæa flore grandi Alceæ, foliis durioribus quam in vsitata habentur, frequens in locis quibusdam Thuringiæ ad fluuios. Primus mihi communicauit doctissimus Medicus & Mathematicus, rerumq; naturalium peritissimus D. Erasmus Reinoldus, studiorum meorum in Italia quondam socius acceptissimus. Altera fortassis aut tertia ex Pannonicis Caroli Clusij.

Alypum Matthioli.

Alyssum Dodonæi, alijs Lunaria lutea siue Græca.

Alyssum Matthioli, in aruis passim apud nos crescit flosculis luteis ac interdum albis. Vulgus commendat vsum eius contra "
calculum, atque ideo Steinkraut nominat. "

Alyssum aliud descriptioni Galeni conueniens exhibuit nobis C. Clusius in suis Hispanicis obseruationibus.

Amaracus tenuifolia vrbana. Maiorana quæ gentilis vocatur & pro

pro Maro habetur nonnullos, apud nos proueniens degenerat in noſtram Maioranam.

Amaracus ſylueſtris annua. Maiorana vulgaris.

Amaracus ſylueſtris perennis, manet in horto, niſi acerrima hyems, qualis fuit ſuperioris anni, ei noceat. Non poteſt vlla cultura in arbuſculæ formam redigi, vt Vrbana, ſed Origani modo ſtolones multos ex radice protrudit. Primum habui à perito & rerum ſimplicium diligenti cultore Dn. Phil. Sprengero Pharmacopæo Haidelbergenſi.

Paulo aliam folijs maioribus & mollioribus aliquando oſtendit mihi in agris prope Bononiam excellentiſſimus D. Vlyſſes Aldrouandus omnium rerum naturalium peritiſſimus, à quo indies expectamus in hoc genere accuratiſſimos commentarios.

Amarantus magnus, commendatur in ſiſtendo ſanguine.

Amarantus paruus. In quo genere elegans reperitur Criſtatus. Item alius ſaturatius purpuraſcens & in caput breuius, denſius ac grandius conglomeratur: alius intenſius rubet & longioribus florum ſpicis, altioribusq; cauliculis aſſurgit, in quē Criſtatus plerumq; degenerat.

Amarantus pictus, vide Blitum varium.

Ambroſia picta à Lobelio, Conyza Hippocratis de morbis mulierum, vt quidā eruditi in Italia putant, alijs Artemiſia monoclonos. Floret Auguſto: caule eſt pilis vel aculeis albis hirſuto, foliis Artemiſiæ vel Abſinthij, fructu ſpinoſo, in quo ſemē ſingulare, cruſtaceo operimento nigricante nucleum album continens. Niſi mature ſeratur, præſertim ſi repentina frigora ſuperuenerint, vix perficitur. Ad mare Arimini copioſe naſcitur.

Ambroſia 2. Matthioli.

Ammi Matthioli & Creticum, item Vulgare à Trago & plerisq; depictum, quod interdum longe alia folia proferre conſpici-

tur, pluribus nimirum incisuris prædita & nonnihil crispa, vt penitus diuersa planta videri queat.

Amygdalus. Huius Gummi ad calculos renum minuendos efficax, quod etiam vsurpatur ad pannos sericos oblinendos vt sint firmiores, & non facile rugas contrahant.

Amygdaloperficus, cuius exterior pulpa Persicum pomum sapit, nucleus interior amygdalum.

Ampeloprasum proliferum, videatur apud Lobelium.

Anagallis flore phæniceo & cæruleo. Horti areolis innascuntur ambæ plantulæ. Luteo flore ex proximo monte S. Mauricij duobus milliaribus ab vrbe distante vmbrosis locis crescens in hortum translata. Frequens quoque in Austria & saltibus Thuringiacis.

Anagallidi flore phæniceo in morbis epatis multum tribuit Manardus. Venatores canem morsum ab alio rabido cane statim circa vulnus lauāt in aqua fluuiali bene cum arena & dant illi in ouis frixis Anagallidem Phæniceam cum Abrotano.

Anagyris prima, frequens in agro Romano & Neapolitano, fœtida admodū arbor, si folia parum manibus atterantur. Plauto, vt putatur, Nautea. Vnde Prouerbium vetus, ἀνάγυριν κινεῖς. Anagyrin cōmoues, cuius meminit Aristoph. in Lysistrato.

Anagyris altera apud Matthiol. Laburnus aliorum. Egeno Italice, vnde pro Ebeno ob ligni duritiem & nigredinē vtuntur Venetijs, præsertim pectinarij. Sed longe abesse à vero Ebeno ex Pausania quoque in Atticis discimus, qui ait ex Cyprio homine perquam perito in herbarum generibus ad medendi vsum notandis, se audiuisse Ebenum nulla folia nullumq; omnino fructū ferre, nec stirpem esse soli expositam: radices tantum occultari, quas eruant Aethiopes. Ita inquit, sæpe qui in Musarum angulis & sapientiæ vmbra delituere, progressi in medium multas & splendidas vtilitates pariunt.

Anchusa

Anchusa 2. itemq; 3. Matthioli.

Androsaces alterũ Matthioli. Eius deſcriptio luculentiſſima eſt apud Cluſium in Pannonicis.

Androſæmon Fuchſii, ſua ſponte interdum oritur in hortis, quã-uis nemora potius amet, vt Aſcyron, quod nunquam exit cultis locis, & vix illatum naſcatur, adeo omnem cultum reſpuere videtur.

Androſæmon maius apud Dodonæum, Siciliana ſiue Cæciliana vulgo, Climenum non Dioſcor. Sed Plinianum, quod tamen olim in re herbaria præceptori meo, Aloyſio Anguillaræ putabatur veterib. fuiſſe incognitum. Angli vocant Italico nomine Tutiſan, quaſi omnia ſanans: eſtq; illis vulgare quo vlcera ſanant. Creſcit copioſe in Ilua inſula.

Androſæmon minus huius generis ſiue anguſtifolium ϛαϱίοδμον, à nemine, vt exiſtimo, depictũ. Bellonius meminit nomine Tragij Cretici, ſi recte conijcio.

Prouenit in eadem inſula: & apud nos, vt ſuperius, frigus hybernum difficulter fert. Copioſe tamen è ſemine ſe propagat.

Anemone latifolia flore pleno, rubro elegantiſſ. quam habui ex illuſtriſſ. principis Vuilhelmi Landgrauij Haſſiæ, Domini mei Clementiſſ. inſtructiſſimo horto, cuius celſitudo imprimis huius floris pulcritudine ſingulari delectabatur. Apud nos horto non adeo facile aſſueſcit.

Anemone latifolia flore ſimplici Violaceo, magno. Communicarunt hanc & ſequentes D. Ioan. Aicholzius Medicus præcipuus Viennenſis & Domin. Carolus Cluſius amici mei obſeruandi.

Anemone tenuifolia flore purpureo, frequens in Italia circa Romã & Neapolim atque in Hetruria. Hæc tantum poteſt regio, inquit Coſtæus in ſuo doctiſſ. lib. de natura plantarũ, trãslata

ex Hetruria in hortum, flores quarto anno pro purpureis albos protulit. Idem mihi accidit in ea quæ cæruleos profert.
„Hæc planta acris eſt, cuius ſuccus naribus infuſus plurimum
„cerebrum expurgat.

Anemone tenuifolia flore violaceo item flore albo.

Anemone tenuifolia flore rubente duplici, Galipoli lalè & Biniſade inſcripta ab ijs qui Conſtantinopoli ad me miſerunt.

Anemone ſylueſtris flore candido. Copioſe ad loca montana quatuor milliaribus ab hac vrbe creſcit. Flos omnium horum facile in pappos abit & à vento diſijcitur, vnde nomē accepit. In Hieroglyph. Ori legitur, ἄνθη δὲ ἀνεμώνης νόσον ἀνθρώπου σημαίνει. Flores Anemones ſignificant morbum hominis.

Anethum ſemel ſatum poſtea reſtibili fæcunditate ſeminis excuſſi renaſcitur. Apud veteres in magno vſu erat, & nunc etiã eſt apud quoſdam populos, in primis Polonos, qui multa fercula hac herba condiunt. Columella: Et bene odorati flores ſparguntur anethi.

Angelica odorata. Sponte creſcit optime in Noruegia, Pomerania & alibi. Apud nos commendatur quæ Friburgo ex Briſgoa affertur. Semen terræ mandandum menſe Iulio vel Auguſto. Alij ſemen per noctem aqua maceratum circa feſtũ D. Martini ſolo pingui recondunt, menſe Maio ſequentis anni plena Luna ordine plantas tranſponunt, vt inter ſe diſtent pedem aut ſeſquipedem. Exacto triennio (nam quarto anno vt plurimum perit) radices exemptas & lotas exiccant in loco conuenienti, alioquin facile ſitũ contrahunt. Geſnerus affirmat ſe vidiſſe huius radices ad 3. libras pendentes. Pro Coſto multi vtuntur in Theriaca. Præſtans medicamentum in Peſte &
„alijs morbis, in primis cum Zedoaria in vino calido exhibita
„contra ſuffocationem matricis. Succus eius condenſatus ſi-
„cuti quoq; Oſtrucij opt. eſt contra putredinem dentium.

Angelica ſylueſtris montana. In locis tamē humidioribus naſcens,

folijs

foliis multo est tenuioribus, satis tamen odoratis. Frequens vbiq; apud nos in locis palustribus circa vrbem & alibi.

Angelica syluestris communis, pestis hortorum, cum serpendo omnia occupet & alias plantas suffocet. Strenßel siue Giersick.

Archangelica, depingitur à Lobelio, & Clusius in Pannonicis eius meminit.

Anguria.

Anisum. Huius oleum & aquam singulari ratione paratam describit Borgarutius in sua Pharmacopœia Italica.

Anonis, siue Ononis sine spinis, in Silesiacis pratis frequens, vt annotauit Clusius in obseru. Pannonicis, quæ simul in hortum translata, non facile se expelli sinit. Reperitur & spinosa floribus candidiss. copiose in Hassia & ad Rhenũ. Huius de-« coctum bibitum ramicem curat carnosum. Vulgo Acutel-« la, Stallkraut/ quia vtuntur ad prouocandã vrinam in equis.« In calculo eius destillatum optimum est. Anguillara dubita-« bat an non Crateuæ Aegipyron esset nostra Anonis siue Resta bouis vulgo dicta.

Anonis flore luteo à Cl. V. D. Aicholzio transmissa. Natrix Plinij apud nonnullos.

Anonymus peruincæ folio, similis cui in Pannonicis Clusius Colutheæ florem tribuit, folliculis Thlaspios vel potius Polygalæ Tragi, ex proxima sylua in hortum translata. Vide Cordum in obseruationum sylua, qui in syluis montanis circa Egeram in Bauaria & Vindelicia inuenit. Gesnerus Chamæpixũ vocat.

Anthyllis leguminosa Lobelij. De Salsa altera Anthyllide, quæ est Kali Arabum, Tetrastichum elegans Ioannis Maioris commendatur à pluribus.

E cineris massa, salsaq; Anthyllidis herba
Formari flammis lucida vitra solent.

Sit cinis ater eram, cineres nunc ſoluor in atros,
Sed nitidum ſummo corpus habebo die.

Antirrhinum maius flore roſeo, quale creſcit in agro Monſpelienſi & Nemauſenſi, & memini me reperiſſe aliquando circa Salernum. Item flore incarnato, luteo, candido.

Antirrhinum pulcerrimum flore luteo, grandi, ſua ſponte naſcitur inter Sauonam & Genuam.

Antirrhinum medium, Orontium aliorum, quod paſſim in Vineis & aruis reperitur. Et minimum in ſegetibus frequens.

Antora, quam alij Antitoram ἀντιφθορὰν appellant. In Sabaudia, vnde mihi miſſa, vna cum Tora copioſe naſcitur. Ex Pannonia quoq; à D. Friderico Sebitio Archiatro principis Brigenſis mihi communicata. Legendus de hac Geſnerus in epiſto-
„ lis. Radices huius ſanant dolores colicos & vterinos euiden-
„ ter & imprimis contra venena ſunt efficaciſſimæ.

Aphaca Dodonæi, Pityne, Theoph. Anguillaræ.

Aphyllanthes Anguillaræ in montib. Italiæ & Illyriæ ſponte naſcens. Bononienſib. Botonaria, vel Globularia.

Apios Fuchſii, Aſtragalus alijs, frequens apud nos, præſertim cir
„ ca Bapenbergam in agris. Ex huius floribus aquam deſtillant
„ quidam, quę ita roſaceam ementitur, vt pro illa à quibuſdam
„ vendi ſoleat.

Apium verum. Apud Romanos & in Certaminibus Nemeis herba coronaria. Eadem ſepulchra coronabantur, vnde prouerbium, Apio nihil opus eſt.

Anguillara in ſuis opinionibus Italicis de Simplicibus probare ſtudet, Apium noſtrum vulgare eſſe Paludapium ſiue Eleoſelinon Theoph. Verum autem Apium ab hoc parum differre ait, niſi quod aromaticum magis ſit, ac ſcribit in vniuerſa Græcia potiſſimum in Chio & Creta aliud Apium, quod ibidem magni faciunt, extare, inde nõnunquam etiam Venetias apportatur.

Apocynum verum, fœtidiſs. herba, quam canes interficere experientia cõfirmauit. Creſcit in Creta vbi hodie vocant Pſachi,& circa Tripolim, quod poſtremum in ſuo luculentiſſimo Hodæporico Orientali annotauit vir doctiſs. & in rebus naturalibus inueſtigandis ſtudij indefeſſi D. Leonardus Rauvvolfius Medicus Auguſtanus, ſingularis meus amicus.

Apocynum repens, vel potius ἀναδενδρὰς. Arbores enim ſcandit, & admodum alte creſcit. Gignitur in Græcia, vbi vocãt πεϱιπλοκάδα: lacteum ſuccũ emittit & folia ac ſiliquas profert inſtar oleandri. Reperitur huius generis altera ſpecies ſucco croceo, cuius meminit Aloyſius Anguillara in ſuis opinionibus, folio propemodum hederæ. Frigoris ſunt impatientes, vnde diligenter in hyeme aſſeruandæ. Ex taleis tamen in terram repoſitis mihi repullularunt.

Aquilegia, Akeley/Tyriackskraut. Pothos veterũ ex Coſtæi ſententia, Leontoſtomum Geſneri, Leo herba Dodonæi. Clariſs. viri D. Iacobi Dalechampij Medici Lugdunenſis excellẽtiſſimi διὸς ἄνθος, id eſt, Iouis flos, vt teſtatur in ſuis eruditiſſimis cõment. in Athenæũ. In Hiſpania q calculo renum ſunt obnoxij radicũ huius portiunculã mane diutius mandere ſolent. Alij decocto herbæ integræ & radicis in vino cum momento ambræ cõmendant cõtra ἀδυναμίαν. Semẽ in Ictericis & alijs obſtructionib. epatis & ſacharo obductũ cõtra vertiginem vſurpatur. In hac planta flos tã ratione magnitudinis, quã coloris varias ſortitur differentias. Eſt. n. ſimplex & plenus, colore incarnato, cæruleo, purpureo, rubeſcente, flauo, candido, variegato. Interdum inuerſus, & degener vireſcens.

Arabis quorundam, floribus luteis, quo cõmodius referri poſſe videtur quam ad Solidagines, quo nomine aliquando ex Anglia miſſa fuit. Picturam dedimus in Matthioli herbario.

Arabis verior, quam itidem in Matthioli nuperiore editione depinximus, addito ſemine, quod in icone reliqui omiſerant.

Aracus Matthioli, Dodonæo Eruilia siue Ochrus syluestris, German. Eselsohren dicunt à foliorum figura.

Aracus Fuchsii, vt Gesnerus picturæ inscripsit, vulgo Viciam Romanam vocant. Fabæ syluestri Matthioli & Piso nigro seu Phaseolo Dodonæi cognata planta.

Aracus Hispanicus, rectius quam Lupinus Hispanicus, quemadmodum insignitũ olim accepi ab amico. Ambigit hæc planta inter Matthioli Aracum & eum quẽ Dodonæus habet. E terra prodit vt Matthioli Aracus. Sed multo angustioribus ac pene gramineis foliis, quæ adulta quidem latiora paulo redduntur & alia anne×a ostendunt, non tamen assequuntur eius quem Matthiolus habet latitudinem. Planta vero lõge procerior est, ac si pedamenta quibus nitatur, compræhenderit, vltra quinos cubitos attollitur. Flosculi suaue rubent ac vmbilicotenus candicant. Semen peculiare est: nam folliculus dura cute constat, fuscus per maturitatem, ac inter singula grana, quæ pullo colore vndulatim variegantur, impressus, vt in eruo contingit. Nemo autorũ hactenus eius meminit, vt existimo, nec resciui vtrum sit spontanea planta, an satiua tantum. Ex Araci pictura apud Lobelium nihil certi cõijcere queo, sitne eadem cum hac, an diuersa potius. Congruit quidem aliqua ex parte, sed nec folia nec folliculi mihi satisfaciunt, nisi alia à nostra fuerit.

Arbor Iudæ. Siliquæ siue Ceratia syluestria. In Hypogæis apud nos asseruata floret verno tempore & siliquas producit.

Arbutus, ex semine prouenit intus latente in ipso fructu, non ex paruis granis quæ fructui vti frago exterius adhærent. Copiose crescit circa Neapolim.

Aria Theoph. Itali vocant ob duritiem ligni, Metallum. Crescit & in montibus nostratibus. Melbeer. Gesnero sorbus alpina, siue Lanata Cordo. Pingitur à Lobelio. In Italia Carbones inde parant optimos.

Arisarum

Arisarum tenuifolium. Durat in horto, nisi sit acerrima hyems, vt fuit præteriti anni.

Aristolochia longa vulgaris, alijs Clematitis cuius Clusius rariorem speciem in suis obs. Hispanicis proponit. Dodonæo Sarracenica. Osterluzey.

Aristolochia longa vera, difficulter in nostris hortis durat: habui tamen duorum pedum longitudine. Cicer: 1. de Diuinat: Nomē ex inuentione reperit, rem ipsam inuentor ex somno.

Aristolochia rotunda vera. In montibus Euganeis prope Pataviū crescit. Pulcerrimā reperiri ait D. Rauvuolfius in insula quadam non longe à littore Tunetano in Africa sita Simles dicta. Paulo alia missa à Dn. Clusio. Copiose alui in horto per multos annos, at prioris anni frigus inusitatum ne vnam quidem reliquit plantam. Huius puluis in ouo sorbili exhibi- " tus plurimum valet in Cardialgia & doloribus ventriculi a- " cerrimis.

Aristolochia rotunda vulgaris Fuchsii, Capnitis, Radix, caua, flore purpureo & albo, circa hanc vrbem non infrequens: In flore etiā diuersitas est, qui si minor fuerit, saturatius rubet, & pro mascula forte haberi poterit, sin maior, nonnihil purpurascit & lāguidioris coloris visitur. Minima radice solida exactius rotunda nascitur in saltibus Thuringiæ, & Misniæ. Semen po- " tum commendatur in Hernijs puerorum. "

Armerij flores Dodonæi, vide Cariophyllos.

Armerius flos proliferus à Lobelio pictus, circa vrbem sua sponte nascens.

Armeniaca maiora, Gallis Abricos.

Artemisia.

Goropius Becanus in suo Vertumno summopere com- " mendat balneum ex ea paratum in lassitudine pedum. Aloy- " sius ait quo propius nascatur ad mare, hoc odoratiorē & minorem esse solere. Secundam & tertiam idem adhuc incognitam esse dicebat.

Arthritica, Primula veris, Schlüsselblumen/ Himmelschlüssel/ flore simplici & pleno, luteo & pallido: itēq; exiguo caule vel quasi nullo vnde ἄκαυλος dicitur, pedunculo tantum nixo in alpibus Helueticis crescit & sub niue quoq; floret. Est & in Bauariæ & Sueuiæ vdis locis alia flore purpureo, cuius Cordus meminit in suo Hodæporico Mayele vocans, Gesnerus Lerchenblümle/ & binas depingit Lobelius.

Gesnerus commendat succum Primulæ, si per 30. dies ad ℥ ß. cum pauco Saccharo Epilepticis detur. Radix puluerisata, satis amara datur cum successu pueris contra vermes.

Arum vulgare. Aliud duriore folio, virente per totam æstatem, & aliud grande, pistillo albicante, rotundiore folio, itidem durante in multam hyemem. Posteriores duas sustulit hyemis iniquitas, alioquin à nemine depictas plantas cum alijs exhibuissem.

Vrsa cum primum ex antro suo prodit Aro vescitur agresti, cuius acrimonia intestinum illi concretum rursum aperitur. Plut. de solert: animi. Ari radix ad ʒ. j. sumta cum Sacch. Asthmaticis medetur. Alij eiusdem puluere vtuntur in hernia.

Arum Aegyptium, Aegyptijs hodierno die Colocasia, missa ab amicis Vienna, quæ in alterum annum egregie virebat. Tota planta acerrimi est saporis.

Asarum, Haselwurtz. Solam radicem vtilem esse dicit Galenus, quare si Asarum dicatur absolute, radix intelligenda. Aliqui tamen semine quoq; vtuntur. Vulgus quoq; expressum foliorum succum cum vino dat quartana laborantibus ad vomitum ciendum, idq; sæpe intempestiue nec sine detrimento. Aqua inde destillata vtilis est ad caligines oculorum abstergendas. Aliud multo maius asarum vsitato & odoratius reperitur in Helueticis alpibus zum Einsidel/ teste Gesnero.

Asclepias

Asclepias vulgaris flore albo, vtilis Hydropicis. Schwalbenwurtz.

Asclepias flore nigro, subrubescente, pusillo, qui tamen siliquam satis longam & priore grandiorem profert, herba anadendras. Schwartz Schwalbenwurtz. Dodonæus & Lobelius depinxere. Nascitur circa Montempessulum.

Ascyron difficulter ex sylua in hortum transfertur.

Asparagus hortensis, commendatur inprimis Veronensis in Italia.

Marinus crassiore & magis cæsio folio, baccis plerunque trigeminis.

Asperula flore cæruleo.

Asphodelus albus, siue mas, frequens in Hispania & Italia.

Asphodelus luteo flore & radice, non æque fert hyemem vt prior.

Asphodelus autumnalis siue maior, hoc nomine missus ex Italia. Prodijt ex semine, nec dum floruit, Hyemem non fert nisi in fictili asseruetur. Dubito an alij huius meminerint.

Asphodelus minor Clusii seu fistulosus in Sicilia frequens.

Asphodelus bulbosus Galeni quem Dodonæus pingit.

Asplenum siue Cetarach. Bononienses in suo Antidotario digitos Citrinos quoq; nominari aiunt. Aqua Aspleni destillata plurimum conducit bibita contra lapidem vesicæ & renum. Lixiuium inde paratum & bibitum per aliquot dies cũ oxymelle, spleneticis prodest.

Aster Atticus flore cæruleo, in Franconia ad Rhenum copiose proueniens. Eius duas habemus differentias: qui maturius floret minus alte assurgit quam qui serius.

Aster Atticus luteus, latifolius & angustifolius.

Aster Atticus repens Clusii.

Aspalathus siue 2. Acatia Matthioli, copiose nascitur circa Neapolim, quamuis Aloysius Anguillara aliam Acatiam secundam

cundam deſcribat à ſe repertam in Corſyca inſula, & hanc repudiat.

Atractylis, quæ non ita reflexis & curuis caulibus, vt Matthiolus pingit ſed plane rectis ſatis alte aſſurgit.

Atriplex purpurea grandis, quæ ſemel ſata, poſtea ſponte decidente ſemine prouenit.

Atriplex ſylueſtris polygoni folio, & aliæ, quæ in hortorum puluinos irrepere ſolent.

Atriplex marina, plurimum creſcens in Aeſtuarijs Venetis, vnde quandoq; cinerem parant ad conficienda vitra. Reperitur rubro & herbaceo ſemine.

Arundo Italica maior, non creſcit niſi in locis humidioribus, attamen ſoli expoſitis. vix biennium in horto perdurauit.

Auellana Lugdunenſis maior.

Aurantia poma. Apud nos hyemis frigora diligenti munitione effugientia poſtea ſæpenumero vbi æſtates ſunt clementiores maturant fructum. Inſeritur fructifera in ſylueſtrem vt ita dicam è ſemine enatam, menſe Auguſto & hoc quoq; modo „ fit fæcunda. Ex floribus huius itemque Limonum & Citrio„rum aqua deſtillata odoratiſſima, Napha vulgo in Italia vo„catur, qua vtimur in febribus malignis & in petechijs. Cordi „ enim amica eſt & ſudorem valide prouocat. Succus dulcium „ pomorum cũ ſyrupo violato exhibitus in febribus præſtans „ eſt ſomniferum. Cortex pulueriſatus datur in doloribus co„ licis, item cum melle & alumine in Aphthis puerorum.

Auricula muris à ſemine, et leporis à foliorum figura appellata. Folijs eſt Anthillidis leguminoſæ Lobelij, ſed magis virentibus, craſſioribus & magis acuminatis, piloſis quinis ſeptenisſue aut pluribus, impari ſemper numero vni coſtæ adhærentibus in cauliculis procumbentibus inſtar loti ſiliquoſæ, cuius etiam floſculos fert ſed multo minores, eoſq; melinos. Semen renis figuram obtinet in ſiliquis hirſutis & fuſcis circina-

cinatis & incuruis vt musculorũ auriculas quodammodo repræsentent, radice parua hæret, vt Melanthij, lutea, dulci, pene Glyzyrrhizam æmulante sapore. Annua est planta. Saporem nonnihil feruidum habet, ac diutius commanducata saliuã prolicit, liquor stillatitius dulcis est primo gustu, postea vero nonnihil linguam vellicat, forte putridis vlceribus, si quis periculum faciat, non incommodus. Vbi sponte nascatur, ignoro, nisi forte in Creta, vnde semen Epithymo immixtum defertur.

Auricula vrsi, Sanicula alpina, Lunaria Arthritica Gesneri de herbis Lunarijs, fol.24. flore luteo, rubro, incarnato, vario, cuius aliquot sunt etiam differentiæ quoad magnitudinem & foliorum discrimina. In alpibus Noricis, Helueticis, & aliis frequens. Floret primo vere. Amat loca vmbrosa & humidiora. Herba admodum vulneraria, cuius succus expressus in vnguentis & emplastris ad herniam imprimis vtilis.

Azadarach vulgo dicta arbor apud Auicẽnã, tametsi huic nõ per omnia conueniat. Pseudosycomorus monachorum in Italia, vbi in magnam proceritatem excrescit. Vocant ibidem Perlaro & arbore de gli paternostri: ad globulos enim vtuntur, quibus suas preces numerant. Gallis Arbor Sancta, aliis Zizyphus alba, Pellicerio Lotus alba. Prope Alepum & Tripolim, referente D. Rauvuolfio in suo itinerario copiose nascitur. Incolæ vocãt Zenselacht, ipse putat esse Rhasis Astergir. Apud nos prouenit ex semine & quidem ex vno fructu siue bacca, quæ habet forma corni minuti breuiusculi, sed albi coloris, arbusculæ separatim numero quinque vel sex. Hyeme in locis tepidioribus asseruanda, non enim fert nostrum coelum. Fructus est venenatus vt Canes necet. Florum aqua stillatitia pediculos interficit, & comam producit.

B.

BACCHARIS Monſpelienſium, Conyza maior Matthioli, frequens ad Danubium circa Ratiſbonam. Vulnera glutinare aiunt.

Ballote criſpa, depicta in Herbario Lugdunenſi flore paruo, antequam aperiatur, holoſericum ęmulante colore rubro. Spontanea planta.

Balſamine mas ſiue Momordica, Charātia. Pommes de merueilles, planta annua quæ paſſim apud nos colitur, imprimis tamē in Auſtria. Amat ſolum pingue ſoli meridiano expoſitū, quod ſæpius debet irrigari imprimis lotura carnium & Gallinarum. Prouenit etiam ex ſemine vetuſtiore. Tota planta eſt vulneraria. Oleum fit ex foliis & adhuc efficatius ex fructib. præſtans ad vulnera. Alij potiſs. cōmendant oleum ex ſemine ipſo per infuſionem parato, vt illius accipiatur bene maturi q. ſ. & infundatur in oleum vetus, deinde exponatur in æſtate Soli, coletur, poſt nouum ſemen addatur & iterum inſoletur. Perutile in hæmorrhoidibus dolentibus, in delendis cicatricibus & roborando vtero.

Balſamine fœmina, planta elegans, cuius tamen vſum adhuc nullum potui inueſtigare.

Balſamum alpinum Geſneri, ex alpibus non procul à Bauariæ lacu, quem Degernſee vocant, accerſitum. Sed quamuis ob miram elegantiā cultu hortenſi digniſſima ſit hæc planta, nimiū tamen cōtumax locis mitiorib. viuere penit⁹ refragatur.

Bamia, Triono Rauvvolfij congener, niſi ſit eadem planta natali ſolo lætius proueniēs. Difficulter creſcit, interdum ſed raro ſemen apud nos producit.

Barba Capræ Tragi & Fuchſii. Eius prima germina, niſi tegantur, plerunq; pruinis adurūtur. Flores odorati ſunt, mirifice apibus grati. Aqua deſtillata oculorū dolorib. inſigniter ꝓdeſt.

Florum

Florum aquã intelligo & ex relatione aliorũ habeo, nam her bæ Tragus vim causticã tribuit. Bauari vocãt Rösch im Hauß.

Barba hirci flore luteo & purpureo. Peculiaris species missa, minor priore à Iosepho de Casa bona ex insula Ilua. Crescit quoque in altissimis Apennini iugis flore albo.

Plantæ quæ semen proferunt, emoriuntur, sed ex semine nimis latæ se propagant. Radices teneræ expetuntur in acetarijs. „ Aqua ex hac planta destillata, vulneribus prodest im- „ posita.

Barba Iouis, pulcerrima arbuscula folio argenteo, cuius Plinius meminit lib. 16. c. 18. Tarde prodit è semine vere sato & maturius si autumno seratur. Pingitur in Herbario Lugdunẽsi. Difficulter seruatur per hyemem.

Beid elsar, missum semen à peritissimo Pharmacopœo Veronensi Francisco Calceolario, magnitudine & figura seminum paruulæ Zucchæ vel Colocynthidis pyriformis, cinericeum tamen & plurimũ repræsentans colorem nucis Vomicæ. Planta hinc orta folia habebat Lauri vel Nerij, sed multo breuiora, nigricantia, dura, vegeta, quorum bina ad singulos exortus caulem amplectentia sibi inuicem opponebantur, lacte plurimo si frangerentur manantia. Sed cum vix palmi altitudinem assecuta esset, nam tardissime crescebat, incepit extabescere, nec vllo ingenio per hyemem asseruari potuit.

Bellis maior, quam aliquando hic in cuiusdam amici horto forte fortuna reperi luxuriantem pleno flore.

Bellis media & minor, simplex & plena, alba, rubra, incarnata, varia, prolifera. Sæpius debet transplantari. Hyemem acriorem difficulter fert.

Bellis alpina ex Noricis alpibus folio longiore & crassiore vulga- „ ri. Succum Bellidis in vulneribus capitis experientia constat „ vtiliter adhiberi.

Berberis, quo nihil vsitatius in montibus Bauaricis & Noricis

 in

in Italiam vſque, vbi Creſpinus vocatur. In orientalibus regionibus vbique adhuc Amirbaris ſecundum Auicennam vocatur, & Damaſci, Tripoli & Beryti ſerapio ex illo confecto nihil vſitatius. Non videtur doctis cõuenire cum Oxyacantha Græcorum.

„ Eius interior luteus cortex, quo etiam pictores vtuntur, „ pulueriſatus opt. eſt in Aphthis, item cum aceto non adeo „ acri & aqua plantaginis in impetigine.

Beta alba, lutea, nigra, rubra, ſub ſalſo alimento gaudet.

Betonica flore albo, ex montibus Pannonicis primum à clariſs. V. D. Aicholzio miſſa. Reperta poſtea in agro quoque Vuirtenbergenſi, & circa Vuinshemium.

Betonica Pauli quorundã, Veronicæ cognata herbula. Dodonæus Veronicam fœminam vocat. Spõte in hortis tam inter gramina, quam in areolis naſcitur.

Bifolium, ternis foliis in hortum delatum rurſum degenerat.

Biſermas, Hormino noſtro vulgari vel Sclareæ dictæ congener planta, ſed minor multo & acuminatioribus foliis, flore albo: gratiore quoq; odore & nonnihil Ocymum æmulante. Horminum Syriacum vocari poterit. Nam D. Bern. Paludanus ſecum delatum ex Syria mihi communicauit.

Biſtorta, cuius quædam ſpecies minima alpina, quæ à me in hortum tranſlata alteram ferme altitudine æquauit, Serpentaria vel Biſtorta vulgari magis ſe propagantib. radicib. & graminis modo reptantibus. Aliam deſcribit Cluſius in Pannonicis, non degenerantem.

Blattaria lutea, duorum generum: altera quatuor cubitorum altitudine longe ſuperans, hirſutior, ſeminum plerunq; terna, quaterna, quina & plura etiam vaſcula coniuncta habens, in cacumine tamen interdum ſingula: altera vero eſt humilior, ſingula vaſcula proferens, foliis altera multo viridioribus. Abunde creſcit ſua ſponte apud nos & in Ba-

uaria

uaria inferiore. Reperitur & purpureo flore elegãti, folio obscure virente. Eſt & tertia albo & in medio purpurante, puluiſculo quodam flauo conſperſis ſtaminulis, flore pulcro prædita, mihi primum à Ioſepho de Caſa bona communicata, quæ quotannis vberrime ex ſemine ſe renouat. In hac peculiare inſectũ naſcitur, magnitudine lentis rotundũ, κουλεόπτερον, candidum, macula in medio nigra ornatum, vt procul intuenti perforatum videatur.

Blitum rubrum. Item varium, cuius folia vt refert doctiſſimus Coſtæus, rubro virenti & luteolo ita diſtinguuntur, vt Pſitacum æmulentur. Admirationem eam noſtris peperit, vt primum huc translata Herbæ admirabilis ſuſceperit nomen. Vnde apud nos quoq; vulgus vocat Papagen federn. Ad ſymphoniam Plinij congruit.

Borrago albis floribus & alia cæruleis vulgatior, quæ interdum autumno locis opacis conſita ſuauerubentes producit.

Botrys, Italis Patientia. In Miſnia vocant Lungenkraut. Nam ad „
pulmones male affectos mandunt herbam & cum pauco vi- „
no deglutiunt. Cum melle inde fit Electuarium ad vitia Pul- „
monum.

Braſsicæ multæ ſpecies, quæ paſſim ab autoribus enumerantur, imprimis Cypria ſiue Pompeiana, quam vulgo Caulifiori vocant: Rapicaulis, Apiana criſpa, Alba Genuenſis. Fit melior ſub ſalſo alimento, vnde Aegyptij nitro aquæ admiſto, eam aſpergunt. Braſſicæ ſemen quare degeneret in rapum vide Coſtæum de natura ſtirpium. Certum eſt ſi ſemen nimis in calido loco torrefiat, ita degenerare. Braſſicam conglutinare „
vulnera non fruſtra Galenus tradidit lib. 7. de Simpl. Med. fa- „
cult. Nam ex vino nigro atq; auſtero incocta folia vtiliter ad- „
modum adhiberi in magnis & ſinuoſis vulneribus certũ eſt. „

Braſsica ſylueſtris ſiue Campeſtris Cluſij.

Braſsica marina, Soldanella. Non omnes apud nos hyemes fert.

Mirum item eſt quod ſemen viginti annorũ nobis aliquoties
,, hic prouenerit. Puerulis ad ʒ.j. & vlterius datur in conſerua
,, Saluiæ & Roriſmarini. Braſauola.

,,*Bryonia* baccis nigris & rubris. Succus huius commendatur in
,, Epilepſia.

Buglosſum Italicum, vel Hiſpanicum grande cæruleis & interdum albis, interdum variegatis floribus.

Buglosſum ſemper virens, flore paruo, depictum & deſcriptum à Lobelio. Cæſalpinus ad Lycopſin refert & Bugloſſum Hiſpanicum vocat.

Buglosſum luteũ, Lingua bouis vel hirci dicta. Creſcit copioſe in Aquitania. Præter folia cum Bugloſſis nihil habere videtur commune. Anglicæ tamen mulieres in maiore precio habent quam Bugloſſum verum. Forte ὀνοκίχλη vel vt alij ὀνοχείλη Theophr. cichoriaceis annumerata, inter quæ aſperrima videtur, & ab aſinis cognominata vt illa anchuſæ ſpecies 2. apud Dioſcoridem, vt ſimiles haberent labra lactucas.

Buglosſum ſylueſtre Tragi, Echium Fuchſij, ſponte creſcens: interdum flore albo circa hanc vrbem reperitur.

Bulbocaſtanum Tralliani, Oenanthe Matthioli/ Erdfeſten/ Schäfersnuß. Cæſalpino Geranium primum Dioſcoridis. Copioſe creſcit in monte S. Petri dicto prope Salinas Saxonicas, vnde cũ alijs pluribus rarioribus plantis habui opera ſummi mei amici D. Balthaſaris Brunneri Archiatri in Salinis Saxonicis præſtantiſſ. In editis Aruernorũ montibus copioſiſſime naſcitur altitudine cubitali. Plurimum prouenit ex ſemine per maturitatẽ ſponte excidente, quo tempore, vt aliæ plurimæ plantæ commode quoq; ſeminatur. Vere autẽ ineunte terræ mandatum ægerrime pronaſcitur, & interdum integro anni ſpacio deliteſcit, nec niſi altero demũ prodit. Radix initio vix piſi magnitudinem habet, tandem vero per ætatem iuglandẽ ſatis grandem ſuperat: diu enim viuit nec, vt multarũ

vmbelli-

vmbelliferarum, femine maturefcente caffa redditur. Satis dulci fapore prædita eft, nonnihil tamen acredinis coniunctum habet. Itali Pancafeolum vocant, quod agreftibus cafei cum pane vicem præbeat.

Bulbocaftanum alterũ minorib. foliis & bulbis, in tractu Rhenano frequens. Vtrũque putarunt quidã effe Diofcoridis Buniũ.

Bulbocaftanum coniophyllon, quod fic ob folia Cicutam imitantia recte dixerim. Cicutaria Pannonica Clufii, Bienniũ folũmodo durat hæc planta, vel ad plurimum triennium. Nam è femine quo per totam hyemem iacuit intra terræ vifcera, ineunte vere demũ pronafcitur folijs binis, oblõgis, acuminatis, anguftis, vt multæ huius generis plantæ, à quibus tamen hoc difcriminis obtinet, quod alterum germen non è medio horũ, fed iuxta pediculum, quo ambo nituntur, ex ipfo bulbulo, qui vix orobi granũ æquat, enafcatur. Id fi non eodem anno iuftam magnitudinẽ affecutum fuerit, fiue altero caulẽ proferre quauis caufa prohibitum; quod vtrumq; tamen raro contingit, tertio demum anno floret ac femen perficit, & marcefcente radice penitus interit, femine interim fparfo multipliciter fe reftaurans. Integram defcriptionẽ. vide apud Clufium in Pannonicis.

Bulbus Eriophorus, è cuius bulbo & folijs lana copiofa extrahi poteft. Sed nunquam in his regionibus proferre voluit flores, imo nec hyemem nimis acrem perpeti poteft, quamuis in Auftria & alibi etiam negligenter cultus in loco vmbrofo & minime ventis expofito perduret.

Bulbus fyluestris Tragi, Sifyrinchium Cordi, Ornithogalum luteũ fponte enafcens.

Bunium adulterinum feu Pfeudobuniõ Diofcoridis quorundam, Carpentaria, herba S. Barbaræ, Nafturtium hyemale, Herba Sancta nõnullis & Fiftularia. Räbkreſſig, fpõtanea plãta, hyeme ob virorem tantum foliorum quæ tandem rubent, & nigrefcunt, in hortis habenda. In

,, In acetaria etiam tunc temporis recipitur & non paucis ad
,, fiſtulas perſanandas commendatur.

Buphthalmus Dodonæi, Pſeudohelleborus Matthioli, frequens in Bohemia circa Pragam & in Thuringia prope Ienam.

,, *Buphthalmus Matthioli* & Tragi cuius flores in Ictero vtiles præ-
,, dicantur, ijſdemq; ad tingendos capillos in lixiuio vtuntur
,, mulierculæ.

Bupleurum, Cordo Iſophyllon, cuius decoctum calculoſis com-
,, mendatur. Planta etiam vulneraria eſt.

Burſa paſtoris, eleganti folio, inſtar Coronopi repentis.

Buxus idonea topiario operi: cuius ligno multi vtuntur tanquã antiballomeno Guaiaci, quod tamen improbat Leuinus Lemnius in Biblicarum herbarum explicatione, miram hiſtoriam hac de re commemorans.

C.

CACALIA Auſtriaca.

Cachry marinum, Crithmo congener, forte ſpinoſus Dodonæi, hortenſi cultu lætior ac minus ſpinoſus redditus, ſemen fert Hordei magnitudine.

Cakile Serapionis, planta maritima in Italia. Purgat ſatis valide. Radix eſt inutilis. Eruca marina.

Calamintha montana, copioſe naſcens in mõtibus Euganeis prope Patauiũ & in Vicentinis, vnde nactus ſum, alijs præſtãtior. Creſcit quoq; in Veronenſibus montibus & in Sæneuo Lin-
,, guagotiæ. Medici quoq; Taurini aquam feliciter exhibent in
,, menſibus promouendis. Facile in noſtris hortis ſeſe propagat, etiam ex ſurculis.

Calamintha 2. Nepetella in Italia.

Calamintha vulgaris.

Calamintha alia, flore rubro circa Francofurtum ad Mœnũ ſponte proueniens.

Calamintha Cretica, exiguis foliis, incanis.

Calendula, cuius meminit quoq; autor libri de Dynamidijs, falso Galeno ascripti, siue Poëtarum Caltha, medio luteo flore & ruffo, simplici, pleno, reflorescens & prolifera. Crescit sua sponte, teste Gesnero, circa Monspelium. Vt trifolium noctu folia contrahit. Si in fictili hyeme asseruetur, præsertim magna reflorescens, nō secus ad Leucoia & Cariophylli fruticosa euadit. Singulis mensibus floret. Aqua stillatitia oculorum doloribus medetur. Eius decoctum commendatur in Ictero. Suffitus ex floribus secūdas elicit, quod remedium Mizaldus magnifacit. Folia eius siccata in furno optima in fluxu albo. Efficax herba in peste. Semina Calthæ, oxalidis, portulacæ, plantaginis vermibus infesta.

Caltha palustris, flore pleno. Gefüllt Ruckerzu in Bauaria. Ruellius vult esse Chamæleucen. In Anglia sua sponte non solum plenis sed odoratis etiam floribus passim sese offert.

Calamus aromaticus, vide Acorum.

Campana pyramidalis, siue lactescens κατ' ἐξοχὴν, præ reliquis plurimo lacte scatens, depicta à Lobelio & Lugdunensibus.

Camphorata Monspeliensium.

Canna Indica, flore purpureo pulcerrimo, interdum primo ãno floret, sed rarius apud nos. Diligentius in fictili asseruata secundo quoq; floruit. Xiphium Indicum Italis.

Capparis, Fabago, Andirian Rhasis, & Ardifrigi Auicennæ, secūdum D. Rauvvolfium, qui eius picturam publicauit: scribitq; se reperisse circa Alepum, vocariq; ab incolis Morgsani: ac esse ingrati odoris, vnde ibidē vsurpãt cōtra vermes. De cultura veræ Capparis, quæ quidem nobis prouenit, sed paulo post exarescit, legendus Quinqueranus de laudibus Prouinciæ.

Carduus hortensis, siue Cynara. Eius species multæ sunt, capitulis non spinosis & spinosis esculentis, eisq; vel oblōgis vel latiusculis discernēdæ. Spinosissimis præditus est quē Cardum

vulgo vocãt, nec vescis, aculeis lõgis armatis. Colitur tamen opertus ac terra obrutus, vt stolones teneri gulæ arrideant. Is veterum Cactus est, de quo Theocritus Idyl. 10.

ἀλλ᾽ ὑπολείπῃ
ὥσπερ ὄϊς ποίμνας ἇς τὸν πόδα κάκτος ἔτυψεν.

Sed longe sequeris velut agnus ouilia cuius
Cuspide spina pedem pungens discidit acuta.

Spontaneus est apud Brutios, ideoq; nostras hyemes minus ægre fert quàm delicatus ille, qui spinas mangonio deposuit, cuius etiam in Geoponicis fit mentio.

Carduus Benedictus, Italis sanctus, Atractylis Aloysij Anguillaræ siue Cnicus syluestris secũdus Theophrasti. Folia eius tenera adhuc præsertim circa capita succo cruento, vt Atractylidis veræ, madescunt si defringantur, minus tamen euidenti vt in
,, illa. Magni vbiq; vsus planta cõtra putridos & malignos mor
,, bos. Succus eius cum eiusdẽ decocto per plures dies bibitus
,, Epaticis vtilis. Arnoldus de Villa noua ex eo contuso, & in
,, vino cum axungia & triticea farina probe cocto ad vnguenti
,, formam parat opt. Medicamẽtum ad vlcera quæuis profun-
,, dissima, si bis in die adhibeatur. Extractum vtile in morbo
,, Gallico, palpitatione Cordis & in quartana. Aqua eius cum
,, aqua Cuscutæ & ligustici in faciei rubedine vtilis est.

Carduus stellatus, Eryngium Guillandini, Calcatrepola. Radice vtuntur huius Francofurti loco vsitati Eryngij, cum tamẽ si-
,, mul ibidẽ copiose crescat. Stellaria Horatij Augerij excellen-
,, tiss. Medici, qui ad calculũ in suis epistolis doctiss. plurimum
,, prædicat.

,, *Carduus Solstitialis*, siue Spina solstitialis. Allobroges nominant
,, Aureoles ob floris colorem aureum & florem atq; radicem
,, mirifice prædicant valere in Cachexia, hydrope, febrib. diu-
,, turnis, virginum decolore facie & aliis obstructionibus. Eius
,, decocto vel destillata aqua rustici vtuntur ad coxendicis dolores,

lores, pũctiones laterum, lienis tumores & ſudorẽ ciendum."

Carduus Mariæ vulgaris, & alia eius ſpecies, cuius ſemen ſubalbicans inueni inter Epithymum è Creta delatum, ſed ad frugem non peruenit frigore ſuperueniente corrupta radice & mox cõtabeſcentibus foliis quæ teneriora erãt & plane ſimilia illi carduo quem itidem Lacteum nuncupat D. Rauvvolfius, vel Beduguar Arabum cũ Syriacis herbis aliis mihi communicatum, flore purpureo palleſcente, caule exalbido, ſpinis nitidis è luteo albeſcentib. Fortaſſe idem fuerit. Nos Iconem ex ſicca delineatã ad finem libri cum cæteris reiecimus.

Carduus eriocephalus.

Carduus mollis tenuifolius, cuius icon extat in Pãnonicis Cluſij.

Carduus montanus, foliis Helenij nõ ſpinoſus, capite rubro, frequens in mõtibus Hermundurorum circa vrbes metallicas, non multum differens à Carduo molli latifolio Cluſij, in cuius deſcriptione huius quoque meminit.

Carlina ſeſſili flore ἄκαυλος, & alia caulem proferens, alioquin ab hac nihil diuerſa. Nam plerunq; ſi eo anno floruerit, quo in hortum transfertur, ſine caule permanet, ſin minus, multo lætior altero anno aſſurgit & cauligera fit.

Carlina alia caule cubitali, cum priore copioſe naſcens in montibus inter Mainingam & Smalcaldiam.

Carotta Italis, radice rubra & alba. Daucus Theophraſti ſecundum Anguillaram. Volunt aliqui eſſe ἀντιβαλλόμενα Been rubri & albi, non omnino male.

Carthamus ſiue Cnicus, flore croceo, albido & cæruleo. Suntque duæ hæ ſpecies poſtremę pennes ſed à gelu acriore muniẽdæ.

Carum Venetijs miſſum, à noſtro non multum diuerſum, niſi cultura aliquãtum vegetius. Huius radice plurimum delectantur apri, atq; ideo prata caro referta admodum vaſtant.

Caryophyllata vulgaris, Item Montana ſimilis vulgari: elegantior tamen & maioribus floribus prædita eſt: & altera alpina, quæ

ad Albis fontes in Bohemia frequẽs, à Matthiolo & alijs depicta. Thomas Penneus Medicus Londinensis præcipuus, rerum naturalium peritissimus, amicus meus singularis, in mõte Lupo Galliæ reperit floribus albis. Itemq; palustris. Galli Sanamundam vocãt. Geum putatur esse Plinij. Bibitur cum " successu eius decoctum in vulnerib. internis & ad lateris do- " lores vtilis est. "

Caryophylli domestici maiores & minores, candidi, pallide rubentes, rubore intenso nitentes, purpurei, varij, Mirum tam elegantem florem veteribus fuisse incognitum, vnde alij alia illi nomina antiqua tribuerunt, de quib. alias. Iphyum apud Athenæum lib. 15. quidã esse voluerunt, annotante doctissimo viro Dalechampio, Sed Bulbosam esse illam herbã ex Theophrasto liquet. Singulare est huius florib vt Iasminis & Rosis, quod interdum primo tabescẽte flore similem aliũ in eodem pediculo producant. Insitione quoq; propagatur. Vidi aliquando ad tantã crassitiem in longæuis plantis caulem siue stipitem peruenisse vt brachij mediocris æquaret crassitu- ,, dinem. Flos est Cardiacus & in peste vtilis. Estq; eius Syru- ,, pus efficax in eiusmodi affectibus, itemq; conserua.

Caryophylli syluestres odorati & inodori sanguinei coloris, flore pleno. Item Armerij flores dicti & inter hos, qui eleganti flosculorum stipatura vmbellam cõficiunt. **Cartheuserblüm=lin**/colore albo, rubro & variegato.

Cassia Aegyptia siue purgans, quæ tamẽ difficulter ad alterum annum seruatur.

Catanance quorundam Scorpioides Bupleuri folio à Lobelio depicta.

Caucalis flore minuto, & alia coronata vmbella: vtraq; ex aruis in hortum translata, illa ex Thuringia, hæc ex Babenpergensi agro, pulcerrima. Trago **Ackerkletten.** Depingitur etiam à Lobelio.

Caucalis Hispanica, superioribus fere similis non tamen spinoso semine sed rugoso nonnihil, eoq; elegantissimo, sed pusillo flore in vmbella incondita. Tota planta lac habet dulce in modum Chærefolij, sed copiosius, quod etiam ex immaturo semine confracto promanat. Radix tamen eo caret, nisi forte initio antequam caulescat planta etiam lactescat, quod tamen nondum obseruaui. Sapor est Apij.

Centaurium maius, à Centauro Chirone sic dictum, à quo Κενταύριον Achilles edoctus fuit. Affertur ex Apulia de monte Gargano siue S. Angeli dicto, ac pro Rhapontico venditur. Quod mirum non est, cum Oribasius quoq; collect. lib. 15. eos nō male sentire scribat qui Rheum vocent Centaurium magnum. Lucanus Thessala Centaurea vocat, à loco. Succus eius hic ‹‹ in crebro vsu contra cachexiam & alia Epatis vitia. In quo- ‹‹ rundam hortis aliquando diu durat, sed necesse est vt sint soli expositi & areolæ non nimis altæ & hyems paulo mitior.

Centaurium minus in hortum sæpius illatum imprimis vero pulcrum & vegetum ex monte prox. S. Mauritij, cubito altius & plurimis cauliculis dense stipatum, sed inani conatu, cū nolit coacte crescere. Copiose reperitur flore albo tum alijs in locis tum in quadam syluula prope Augustam Vindelicam qua iter in Bauariam Fritbergum versus. Habetur & luteo flore.
„ In Italia præcipui Medici exhibent in Ascite tertio quoq; die
„ eius pulueris ℥.j. cum sem: carui & anisi in vino vel in deco-
„ cto aliquo. De hac planta doctiss. Medicus & poeta Ioannes
„ Postius hoc eruditissimum distichon composuit.

„ *Flos mihi suaue rubet, sed inest quoq; succus amarus,*
„ *Qui iuuat obsessum bile, aperitq; iecur.*

Cepa Hispanica siue oblonga, quā Lobelius pingit. Gesnero Spanisch Vlch.

Cepæa Alphonsi Pancij excellentiss. Medici Ferrariensis, alijs Marina. Telephium quorundam semper virens. Radix nonnihil

nihil odorem refert Rhodiæ radicis, folia tamen ſunt rotundiora & craſſiora. Libenter aſſueſcit noſtris hortis.

Ceraſa omnis generis, inter quæ reperiuntur plane cerea, quæ pruno ſunt inſita, ſed non adeo ſapida. Quædam arbores flores producunt pleniſſimos inſtar paruarum roſarum ſed fructū non adijciunt. Eſt & ceraſus racematim fructum ferens: alia binos vel ternos in vno pediculo. Item Chamæceraſus. Vide multa philologica de ceraſis apud Goropium Becanum in ſuo Vertumno.

Cerefolium apud Columellam Chærephyllon, & Chærophyllon. Dodonæus exiſtimat eſſe Anthriſcum Plinij. Anguillara in ſuis opinionib. Italicis putat eſſe Apiū montanū ſiue Oreoſelinū, q; ait in hunc vſq; diem in Græcia pro quadā ſpecie Apij ,, haberi. Hui⁹ ſuccus in iuſculo gallinaceo vtiliter in colicis do ,, lorib. datur. Herba aūt frixa in butyro vmbilico imponenda.

Cerinthe vulgo, maior. Telephiū Lutetiæ maculoſum vocant, quamuis doctis viris hæc appellatio non arrideat. Cerinthen Plinij putat doctiſſ. Dalechampius eſſe Calendulam à cereo ipſius flore ſic appellatam. Annua hæc eſt planta excreſcens admodum longe lateq;.

Cerinthe minor, quam Geſnerus Berghunds zung & Fleckenkraut appellat, addens folia tenera in acetarijs comeſta non diſplicuiſſe. Non eſt annua vt prior. Vtraque videtur accedere ad Almaru Auicennæ.

Cerrus Cluſij in Pannonicis.

,, *Chamæciſſus vulgaris* ſiue Hedera terreſtis. Huius decoctum & in- ,, fuſum in calculo laudatur. Aqua deſtillata & 44. dies conti- ,, nuos bibita, autore Ludouico de Leonibus Medico olim Bo- ,, nonienſi inſigni, in ſuppuratione pulmonum efficax. Ioan- ,, nes Lerius Burgundus in ſua Hiſt. nauigationis Braſilianæ ,, meminit cuiſdam remedij quo ipſe & ſocii poſt longam & ,, extremam inediam in mari paſſam, ex qua διαῤῥοίᾳ & ſtoma-

chi

,, chi vehementi solutione conflictabantur, feliciter vsi sunt.
,, Accipitur ius hederæ huius cum Oryza probe coctum cui ad
,, ignem vitelli ouorum sunt miscendi; Sumitur ad modum
,, pultis.

Chamædrys mas vbiq; in montib. Noricis & Franconicis nascens.

Eiusdem species folio duplo maiore, floribus albis & rubellis in eadem planta pro Teucrio missa.

Chamædrys fœmina nimis abunde in horto ex semine sese spargens. Chamæpithys altera Dodonæi.

Chamædrys alpina, quorundã Leucas, flore albo eleganti in pappos abeunte. In montib. Sabaudicis itemq; Heluetiæ Stockhornio & Nesso frequens, vbi vocant Hirtzwurtz.

Chamelæa Germanica, Zeydelbast/alijs Daphnoides. Flore reperitur quandoq; albo.

Chamelæa vera, alijs Tricoccos, Mezereon. In horto difficulter asseruatur, locis subterraneis per hyemem habenda. Propagatur surculis.

Chamæleon niger Bartholomæi Maranthæ, cuius siccam plantam optimus vir mihi ipsemet aliquando Neapoli cum alijs rarioribus plantis communicauit.

Chamæmelum odoratum Italicum simplici flore, quam plantam aliquando reperi copiosissime nascentem sua sponte in villa olim splendidiss. Adriani Imperatoris prope Tibur. Itemq; flore pleno elegantiss. quam primum Dn. Ioannes Brancion p.m. Mechilinio huc misit, vnde alij acceperunt. Retulit tamen mihi vir Cl. D. Ioannes Mathesius Medicus doctiss. qui iam Dantisci magna cum laude artem Medicam exercet, se aliquando forte fortuna in Gallia per agrum Aurelienſem reperisse. Hæc apud nos hyemem nõ æque fert vt altera. Facile tamen ex vna plantula sese rursum propagat.

,, Multa inde præclara remedia parantur, atq; inter alia ex
,, floribus imprimis aruensis oleum cærulei coloris optime in

colicis

„ colicis doloribus. Itemq; aqua cum pulegio & ſcordio exhibita ad menſes promouendos.

Chamæmeſpilus in alpibus Mälpi vocant. creſcit & durat apud nos in hortis, Epimelis quorundam.

Chamæmorus folijs laciniatis & altius inſectis quã vulgaris, alioquin augmenti tarditate ſolum diſcrepans.

Chamæpeuce Cordi Matthioli Roſmarinum ſylueſtre. Ad Ciſtum refert Cluſius. Copioſe creſcit in ſyluis & ſolitudinibus Bohemiæ, Pannoniæ & Marchiæ ac ſimilibus alijs in locis. Difficulter vt aliæ nimis ſylueſtres ſtirpes culturam horti admittit. In Saxonia Gichtañen vocãt, quia medetur Iſchiadicis, alibi Zeitheide. In ſyluis Thuringiæ circa Ienam appellant Bienkraut, quia ea apes delectantur. Vtuntur ruſtici ad pecorum Scabiem & mulieres eius inſeſſum adhibent ad menſes ciendos. In Marchia cymas cereuiſiæ imponunt ad inebriandos homines. Alij veſtibus apponunt ad arcendas tineas, vnde Schabenkraut nominant.

„ *Chamæpitys* Aiuga. Huius eſu oues marcidas reſtitutas eſſe affirmat Braſſauola in ſimplicium examine.

Chamæpitys cærulea Cluſii.

Chamæſyce, quotannis ex ſemine rurſum enaſcens. Circa Boniam vbiq; creſcit.

Chelidonium ſiue Chelidonia vt Serenus fecit, vbi loquitur de aurium & capitis vitijs.

Chelidonium minus flore pleno. Quod habui ex horto cultiſſ. Dn. Adami Keckij Pharmacopœi Francofurtenſis.

Chondrilla purpureo flore radice craſſa.

Naſcitur in montanis locis Miſniæ ſiue Hermundurorum prope vrbes Metallicas.

Chondrilla flore cæruleo, Italis Caccialepore, qui in acetarijs eius radice delectantur.

Chondrilla

Chondrilla tota hirsuta frequens in Hassia. Hyeme in cibo coctam & acetarij quoque instar conditam auide comedunt.

Chondrilla rara Lobelij siue Crupina Belgarum.

Christophoriana in alpibus crebra, in quorum editioribus locis exilior prouenit. Aconitum racemosum Maranthæ. Wolffswurtz/Christoffelskraut. Habetur pro venenata planta.

Chrysanthemon planta annua, ex semine se propagans, quod est amarissimum cū in foliis nulla sit amaritudo. Duas alo eius differentias, alteram folio magis cæruleo & minus dissecto, alteram virentiore & plures diuisuras habente.

Cibage, ex Orientalibus regionibus à D. Paludano delatum semen nigrum, acuminatum: vnde prodijt planta Pini forma, sed tenerior.

„ *Ciceres* albi, purpurei & nigri. Notandum secūdum Plutarchum
„ in his nullas bestiolas aut vermes innasci, cum ferme aliæ
„ plantæ omnes peculiaria generent insecta: quare Ethnici al-
„ legorico sensu in ceremonijs connubialibus adhibebant.

Cicer syluestre Matthioli, fructu tamen nonnihil differt, quia maior & oblongior est.

Cicuta maior Cordi. Nascitur in Bauaria, plurimum circa Landshutum oppidum, ad fossas & sepes.

„ *Cicuta minor Cordi*, qui refert quod ob similitudinem cū petro-
„ selino quibusdam huius esus fuerit pernitiosus.

Cicutaria palustris, Cicutaria quædam semine Chærefolij, caule plerunq; quodammodo procumbente, nec prorsus erecto. Duæ eius species floris differentia notandæ: nam in vna est candidus in altera purpureus. Dalech. in Historia stirpium Vniuersali, Lugduni edita describit.

Cicutaria palustris alia siue Phellandrium. In horto crebra irrigatione aliquantisper alitur: nō tamen ita vegeto caule crescit, vt in aquosis brachij ferme crassitiem æquat vel etiam nonnunquam superat.

Cichorium commune flore albo. Huius ſemina non poſſunt bene eximi, niſi madefiant. Sic enim cõceptacula aperiuntur. Flo- res cichorij, conſolidæ regiæ & cyani in aceruo formicarũ in vitro bene obturato per mẽſem relinquãtur: liquor inde colle- ctus oculis inſtillatus eos reddit multo limpidiores. Aqua ex floribus tantum deſtillata datur in calculo præſertim pueris.

Cichorium verrucarium ſiue Zazintha Matthioli.

Cineraria, Iacobæa Marina, alijs Artemiſſia Marina, Nõ libẽter in noſtris hortis viuit. Depingitur à Lobelio. Reperi illã olim in littore Maris prope Oſtiã rariorum plantarum pleniſſ. cum me eo deducerent aliqui Romani Medici doctiſſ. inter quos erat excellentiſſ. Hippolytus Saluianus qui præclarum opus de piſcibus edidit.

Circæa Monſpellienſium, apud Lobelium, late ſerpens in hortis: quã reperi copioſe naſcentẽ in ſylua Haſſiaca inter Melſingã & Rodenburgũ: in quo vltimo oppidulo Hortũ quoq; inſtru- ctiſſ. habet illuſtriſſ. princeps Vuilhel. Lãdgrauius Haſſiæ.

Cirſium vtrunq;, tam ſpinoſum quam lene. Item Grande aliud bienne & aliud exiguum perenne.

Ciſtus mas, fruticoſa planta, diu durans, ſi hyeme recte in fictili- bus cuſtodiatur. Paſſim in Italia, potiſſ. vero in Hetruria circa Piſas & in littore maris ad portum Herculis creſcens.

Ciſtus fœmina. In montibus Euganeis circa Patauium frequens: vbi vocant Saluiam ſylueſtrem. Et inde afferunt venum Pa- tauium Hypociſtidem. Minus facile tuta præſtatur à noſtri aeris iniurijs.

Ciſtus annuus flore luteo Cluſij in Hiſp: Huius flos inter omnes max. eſt caducus. Statim enim mane vbi floruit, rurſum de- cidit.

Ciſtus flore luteo folijs Ladani Italici ferè. Planta eſt adhuc puſilla, vt non poſſim affirmare nunquid alij depinxerint. Pro peculiari Florentia miſſa.

Citria mala siue Medica, alijs Citrangula. Rariss. apud nos fructũ maturum producunt, quamuis floreant. Destillatur aqua ex " toto Citrio pomo gustu suauis, admodum cordi & cerebro " conferens, quo vtimur in febribus putridis & malignis cum " conserua acetositatis citri. Huius semina, vt & arantiorum & " limonum cum cortice ad 40. vel plura comesta aluum sol- " uunt, q̃ Diosc: notauit & Brassauola in tractatu de purg. me- " dicamentis verum esse asserit. Genus quoddam grande in Prouincia Quiqueranus de eiusdem laudibus commendat pulcritudine admirandum, Ponsiros in Prouincia vocant, inde etiam Melissophyllum herbam Ponsiratam ob odorem nominant. Magnitudo quæ capiti humano, medulla exigua, præcrasso cortice, flores odoratiss. qui deportari nequeunt, quod triduo fatiscant.

Clematis altera flore albo, Flammula repens Dodonæi.

Clematis altera flore purpureo topiario operi aptissima.

Clematis Pannonica cæruleo flore, folio pene Asclepiadis.

Clematis Daphnoides siue Peruinca apud Plinium flore cæruleo maior & minor: quæ interdum reperitur flore quoque albo. Item purpurea Austriaca à Clusio missa flore eleganti pleno. " Ad sistendos menses vtuntur Galli. Folia ore retẽta sanguinis " fluxum è naribus erumpentem compressisse frequenter vi- " dimus, inquit doctissimus Costæus in libro suo de stirpium differentijs.

Clematis minima, Forte I. Plinii lib. 24. c. 15 quam describit rostratis foliis ad similitudinem penularum iacentem in aruis. Sed quod addit sistere aluum & sanguinem magis conueniet Daphnoidi, quæ illi tertia est. Interim Fumariam Clematidẽ vocemus, flore albo, foliis Split, pro quo aliqui habent, nec folliculis aut semine dissimili, admodũ Caustica. Split album Lobelii. Corydalis non est, quæ florem edit luteum, nec radix conuenit. Copiose crescit in maritimis Belgii locis.

Clinopodium maius & minus.

Clinopodium maius Matthioli, flore candido circa Pauonouiam Bauariæ repertum.

Clinopodium Dodonæi, Marum putat eſſe Ruellius ob affinitatem vocum. Maſtich enim vocāt Galli. Dalechampius exiſtimat eſſe Helenium odoratum Theophraſti.

Cneoron Matthioli, è ſemine natum.

Cobes, Maluæ ſpecies, non inelegans futura, quantum ex rudimento colligi poterat, ſi ad frugem perueniſſet, Clariſs. Viri Doctoris Paludani ex Syria reducis munus. Semen reliquarum maluarum ſemine minutius.

Cochlearia, de quo doctiſſimum commentarium edidit Ioannes Vuierus, excellentiſſimus Archiater Ducis Iuliacenſis.
„ Ad Stomacacen vtuntur Saxones vtiliter, præterea eius ſuc-
„ cus recens exhibetur felici ſucceſſu in magnis lienib. atq; eo-
„ rum obſtructionibus.

Colchicum Hiſpanicum paruum.

Colchicum Pannonicum polyanthum, flore albo: quamuis in Germania quoque interdum flore albo reperiatur, ſed non ita referto in vna planta. Colchici radicem vere amariſſimam eſſe, autumno dulcem annotauit Coſtæus in ſuo de plantarum natura libro. Crudus enim multus humor per hyemem diffuſus in æſtate coquitur, & ſic in autumno fit dulcis. Ego vero autumno amaram depræhendi cum hic ſæuiret peſtis & quidam impoſtores plebi pro antidoto venderent. Idem annotauit à quibuſdam ſtirpibus duo florum germina prodire. Colchicum enim præter ſuum quem Croco ſimilem edit autumno, alterum verno tempore herbaceum proferre interdum animaduertitur.

Geſnerus annotauit aliud Colchicum ſubobſcuro flore præ altero & minore creſcere circa Tigurum in Heluetia Aprilis initio cum alia omnia in autumno floreant.

Colus Iouis Dodonæo Oruala tertia, Camphorata alijs quia odorem Camphoræ refert. Per vniuersam Pannoniam frequentem esse tradit Clusius.

Colocynthis. floret quoq; in nostris hortis sed fructum minime fert. Quæ vna, (inquit Costæus) vno in loco planta nascitur, damnant medici vt nimia præditam violentia. Caute illa intra corpus vtēdum. Nam Dodonæus in suis obseruationibus medicis refert, robustum hominem cui in enomata drachma vna illius fuerat vsurpata, non diu superuixisse: cui mox post mortē aliquot deinde horis sanguis copiosus per sedem effluxerit.

Colocynthis nigra Pyriformis.

Colutea vesicaria Welsch Senetbaum/ Gallis Bagenauldier, Heluetijs Verbrütne Küchlin. Spūte crescit circa Monspessulum
„ ad montem Lupi in valle. In copia maiori quam Sena data
„ purgat, quod sæpe expertum se esse scribit Brassauola in lib.
„ de Medic. purgantibus.

Colutea Scorpioides, peculiaris species folio rutæ, per hyemem & frigora diligenter munienda. Depinxit etiam alias Clusius in obs. Pann. Crescit in Gallia circa Monspessulum & in vicinis Viennæ montibus.

Consolida maior flore albo & purpureo. Symphytum maius. Hu-„
ius flores in vino rubro cocti bisq; in die sumpti in cruenta„
vrina optimi. Succus Consolidæ maioris bibitus ad duas vn-„
cias in lethargo & profundo somno commendatur. „

Consolida tuberosa vel nodosa Lobelij, in Matth. nostræ editionis verius depicta: quā copiose aliquando inueni circa Salzburgum, inde in hortum translata admodum se propagauit.

Consolida media pulchra flore albo copiose crescens in locis humidis Sueuiæ prope Dillingam & ad pedē montis S. Mauritij.

Consolida minima, siue Prunella flore purpureo vulgaris & rarior quoq; albo. Nascitur asperis circa Miltemburgum Franconiæ

opidum. In libello de Dynamidijs, qui falso ad Galenum autorem refertur, bene describitur.

Consolida regalis, siue Flos Regius flore albo, incarnato, purpureo, cæruleo, minore & maiore. Itē vtraq; tam maior quam minor flore pleno. Cæterū maior præsertim purpureus flos hoc habet peculiare, quod folium corniculo annexum si pan datur literas AIAIA inscriptas ostēdat, vnde Cæsalpino Hyacinthus poëtarum habetur, de quo Ouid. in Metamorphosi:

Ipse suos gemitus folijs inscribit & AI AI
Flos habet inscriptum, funestaq; litera ducta est.

Itemq; Theocritus, Idyll. 19.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον AI AI,
Λάμβανε τοῖς πετάλοισι.

Nunc hyacinthe sonet tua litera scilicet AI AI,
Nec tamen hoc satis est, AI AI plus ergo loquatur,
Literulasq; velis folijs inscribere plures.

Vt Eobanus Hessus vertit.

Alibi etiā τὰν γραπτὰν ὑάκινθον vocat fœminino genere. Virgilius vero habet ferrugineos hyacinthos 4. Georgicōn. Præterea AIAcis nomen eodem folio poëtici hyacinthi contineri testis est Ouidius eodem in loco, Metam. 10. Apollinem de altera fabula vaticinantem inducens his verbis:

Tempus & illud erit quo se fortissimus heros
Addet in hunc florem folioq; legetur eodem.

Satis superq; forsitan ad persuadendum videri possent hæc alicui, nostram Consolidam regalem esse hyacinthum poëticum, qui non legisset etiam reliqua apud Ouidium eodem loco supra citato: non enim ijdem horum flores sunt.

qui lilia si non
Purpureus color his argenteus esset in illis.

Nec tamen idcirco putandum est Eruditissimum Cæsalpinum

num hæc nō legiſſe, vnico Plinij loco quē citat, contentum: Sed potius in ipſius ſententiam eundum, ꝙ magis ſit cōſentaneum ex hoc ipſo hyacintho puerū illū poëtis decantatum, quam ex puero hyacinthū natum olim eſſe, vt illi haberēt ꝙ fingerent & pingerent pro lubitu ſiue lilij ſiue qua potiſſimum arrideret figura. Si vero cuipiam hæc non ſufficiunt alium hyacinthum ſane per me quærat ſiue in Alcynoi hortis, ſiue in Elyſijs campis, ſaltem memor poëticum florem non niſi in poëticis hortis quærendum eſſe.

Conuoluolus cæruleus, Nil Arabum vel potius Hab al Nil Serapionis, Latine granum Indicum. Haſmiſen circa Alepum vbi multū creſcit, Perſis Acaſia, Italis Campana Azurea aut fior di notte: quia noctu potiſſimū floret, ſole oriente clauditur.

Conyza maior, grauiſſimo odore, longe alia à Bacchari Monſpelienſium. αἶγες καὶ πρόβατα κονύζαν φάγοντα ἀποθνήσκει δίψῃ καλεχεθέντα.
„ Capræ & oues vbi Conyzam comederint, ſiti detenta pereūt.

Conyza Hippocratis, lib. 2. de Morbis Mulierum, ſecundum Aloyſium Anguillarā. Creſcit prope Ariminū ad mare copioſiſs. & in Dalmatia. Aliis eſt Ambroſia aut Artemiſia marina, de qua ſupra, quod tamen Anguillaræ non placet.

Corcorus ſiue Melochia, Olus Iudaicum. Nam vt D. Rauvvolfius annotauit in ſuo Hodeporico, Iudæi cocta folia cum carne edunt, ſapore enim acetoſo prædita ſunt. Creſcit copioſe in hortis Alepi. Raro apud nos ſemen affert. Annua planta. Semen paruū eſt, cæruleum. Lobelius florentem depinxit. Nos ex Geſneri typis ſemē & folia cum barbulis exhibemus, quæ in Lobeliana pictura fuerunt omiſſa.

Coriandrum, copioſe in Selandia colitur. Aliqui his qui omnia „
medicamēta faſtidiunt, præſertim pueris dant catarthicum. „
Nam poſt primam cum Saccharo, vt vocant, confectionem „
aſpergunt puluerem Diacrydij recte correctū, & rurſum mo- „
re vſitato Saccharo obducunt.

Coris Matthioli. In Liguria ad Cararam oppidum prouenit foliis Thymi vulgaris largioribus & tenuioribus, Hyperico alias non absimilis quo ad flores. Estq; odorata herba.

Coris Monspeliensium, ex semine prodijt & durauit in fictili per hyemem, herbula elegans à Clusio in Hispanicis depicta.

Cornus, vbiq; nota arbor. Cuius fructus (inquit Hermolaus in corollario suo) syluestres dulciores sunt quam vrbani. Quod ita se habere comperi & plerunq; etiam maiores esse. Syluestris fruticat tantummodo, sed cultura in arborem pulcram redigitur. „Sponte in Thuringia locis decliuibus & syluosis „montium prouenit, vbi parant ex baccis electuariũ dysen„tericis conuenientissimũ, quibus etiam vtiliter in cibo dan„tur. Scribunt arborem è semine lapilli quem cõtinet fructus, crescere, non surgere è Surculo vt alias arbores. Ego vero vtroq; modo prouenire obseruaui. Semen osseum tota hyeme latet sub tellure antequam prodeat.

Corona imperialis, Tusai Turcarum. De quo vide Clusium & Lobelium & cæteros.

Coronopus satiuus, Herba stella Italis, Cornu Cerui Gallis. In acetarijs vtuntur. Hirschhorn Salat.

Marinus, Halæ Saxonũ spontaneus ad salsos lacus. Aliquantisper in hortis durat, sensim tamen extabescente radice tandem euanescit.

Repens Ruellij, qui etiã circa Lipsiam in Misnia sua sponte prouenit.

Cortusa Matthioli, nomen accepit à suo inuentore Nobili Patauino Iacobo Antonio Cortusio, tota odorata, vt ipse refert, loci natalis forte beneficio, nam apud nos præter florem nihil vel parum olet. In valle Stagna dicta agri Vicentini ipsemet olim reperi. Sed non tantum ibi crescit, cum Clusius quoq; in Pannonicis obseruatio. eam exhibeat. Inde oleum„ paratur ad vulnera admirandum. Ad Caryophyllatas refert„ Lobelius & alij.

Corydalis Galeni, vt fert coniectura, nam nullam descriptionem addidit autor, sed adhuc in Græcia vocatur similis planta κορυδάλιον. Alio nomine Split & herba Sclauonica nuncupatur. Nascitur enim copiose in Illyria, Item in Hetruria & circa Narbonam, & vt alij volunt, quoq; circa Lucarnam. Chelidoniam Capnon potius facit Historia stirpium Lugdunensis & Corydalidis nomẽ attribuit Fumariæ bulbosæ, siue Radici cauæ.

Costa, herba in Italia alibi Ingrassia di porci. Crescit in aggeribus foliis in terra prostratis pinguibus instar Hieracij: & quãtum ex icone cognoscere possum, conuenit cum Hieracio ,, latifolio Clusij. Singularis vsus in Phthisi, vnde cõseruam, ,, Syrupum, puluerem ex illa exhibent in Misnia & alibi, Item ,, que fercula inde parantur. Aliam hoc nomine in suo de stirpibus opere proponit Cæsalpinus, nimirum quam Matthiolus Pseudocostum vocat.

Costus hortensis, secundum Cassianum Bassum, qui nomẽ Costi adhuc retinet in Græcia. Italis herba S. Mariæ, Menta Græ ,, ca. Vtilis stomacho & cordi amica. In sylua Martia non pro- ,, cul à Lenskirch syluestrem eius speciem prouenire aiunt.

Costus spurius Matthioli. Panax Chironium quorundã, aliis Pharnaccum, aliis Ferula Sagapenifera.

Cotinus, Coccygria Plinii, κοκκυγηλεία Theophrasti secũdum Clusium, freques in alpib. Tridentinis. Vtuntur tam foliis quam radice ad tingendas vestes. Solius huius arboris semẽ in pappum abit.

Cotula fœtida. Huius decoctum commẽdatur in hydropicis plu- ‹‹ rimum. Sponte in puluinos irrepit. ‹‹

Cotyledon, primum in autumno prodiit vere satum.

Crithmum, vulgo Creta vel Salsa marina, Fenocchio marino. Floret secundo anno.

Crithmum ſecundum Matthioli forte, vide Cachry marinum. Semen enim Cachryos fere habet.

Crithmum tertium Matthioli, è ſemine papposo naſcitur ſed difficulter.

Crithmum quartum Matthioli, Sichelkraut / à figura. Vbiq; apud nos in ſegetibus prouenien s, an ϖειονίτις illa Tralliani diuretica.

Crocum hortenſe, ex Auſtria aduectum, hyemis prodigioſi ſuperioris anni ſæuitia prorſus abolitum. Dicitur & maſculino ſexu Crocus, vt Virg. in Battarum: *Corycio crocus editus aruo.*

Olim Corycius, Lydius è monte Tmolo, Sicanius è Sicilia commendabatur. Nunc vero Samnitius circa Aquilam, Gallicus, Hiſpanicus, nec minorē laudem meretur Auſtriacus circa Viennam.

De huius cultura ſcripſit poëma quidam Iuſtulus Spoletanus, Romæ editum.

Crocus & Melilotus dum virent, quoniã humidiora ſunt,
,, minus olent quam arida. Hic adeo eſt thoracis affectibus a-
,, micus vt ſint qui ad ℈ s. atq; etiam vnũ cum dimidio moſci
,, grano & vino optimo calido propinando aſthmaticos cura-
,, uerint. Ad reſpirationem ex nimio frigore prohibitam eo-
,, dem modo plurimum conducit. Huius extractum rite præ-
,, paratum in minima copia datum per os, difficilem partum
,, promouet corroborando imprimis vires grauidæ & fœtus.

Crocus Autumnalis ſylueſtris.

Crocus montanus Theophraſti.

Crocus vernus, flore vario, purpureo & aureo. A Cluſio habui ex Pannonia. Inuenitur quoq; in Allobrogum montibus niuoſis, terra nigra & pingui.

Cruciata, Aſperula aurea Gallio cõgener. Dodonæus poſt Aſpe-
,, rulam collocat. Vulneraria planta, imprimis hernioſis vtilis.
,, Pota thoraci, ventriculo, venis meſaraicis & viſcerib. obſtru-

,, ctis prodest, excrementa pituitosa foras pellit, ideo appeti-
,, tum iuuat. Sponte mauult quam coacta crescere.

Cucumis syluestris, siue Asininus. Crescit copiose in Italia ad moe-
,, nia vrbis Bononiensis. Huius radices cum melle ad formam
,, linimenti redactæ cicatricibus plurimum medentur. Vtiles
,, quoq; sunt in doloribus capitis illi contusæ impositæ.

Cucurbitæ variæ, longæ, latæ & stellatæ siue sessiles pulchræ. Indicæ siue Zuchæ.

De Cucurbitis Indicis spacio 25. dierum à satu maturis scribunt Historiographi noui rerum Indicarum quarum meminit Quiqueranus Gallus in libro de laudibus Prouinciæ.

Cupressus arbor ex semine prouenit, sed per hyemem & frigora in fictili diligenter custodienda.

Cyanus maior, flore cæruleo, purpureo intus vmbilico, qui & albo quandoq; flore reperitur.

Cyanus minor, flore cæruleo, purpureo, candido & rubro, & ex
his coloribus misto. Interdum flore pleno reperitur. Vtun- "
tur huius floris decocto aliqui in palpitatione cordis. In Sa- "
xonia eius manipulum in cereuisia cum butyro coquunt & "
exhibent in Ictero & Ischuria. "

,, Cum aqua florum destillata extrahitur succus ex Cancro
,, viuo contuso & eo gingiuæ puerorum in dentitione illinun-
,, tur. Puluis florum vna cum capitibus puluerisatis, exiccatis
,, prius, erisypelati vtiliter inspergitur.

Cyclanimus vernus, à D. Clusio primum communicatus, altero
rarior & odoratior. Item æstiuus vulgaris ex quo folio hede-
raceo quidam habetur. Sphæritis Aëtij secundum Bononiē-
sium sententiam in suo antidotario. In partu accelerando "
efficax, quod & Diosc. notauit. "

Cydonia malus, cuius fructus sunt varii generis. De vsu Medico ligni Cydonij scripsit peculiarẽ libellum doctiss. Medicus Ingolstadiensis D. Cyriacus Lucius.

Cymbalaria, Pataui potiss. frequens in murorum maceriis: ex surculis decerptis statim se propagans.

Cyminum satiuum. Vide Plutarchi eruditissimã explicationem in Symposiacis prouerbii istius: Amici ad salem & cyminum vsque.

Cyminum syluestre globosum & alterum Matthioli, quod Clusio potius est Hypecoon.

Cynocrambe, siue Mercurialis mas & fœmina.

Cynoglossum, paruum cinereum Creticum dictum, Itemque Italicum. Brassauola de Med. purg. ait copiose nasci in Padana Insula ad D. Georgii pontem prope Ferrariam, gaudereque ,, locis arenosis. Aluum mouet in aqua decoctum cum oleo & ,, sale. Radices Cynoglossi cum farina aqua subacta obducan- ,, tur & in cinere calido seorsim frigantur, deinde ablata farina ,, instar suppositorii adhibeantur in dolorib. interiorum ma- ,, riscarum.

Cyperus longus. Ingens eius copia in vallibus Pedemontii reperitur. Nisi singulis tribus annis transplantetur in horto, non perdurat.

Cyperus rotundus, cuius species est nigras durasque & inodoras radices habens, qui fert facilius nostrum aërem quam odoratus.

Cyperus dulcis, Thrasi siue Dulcichinum. Fumanellus in Regimine senum existimat esse Granum azelen apud Arabes, & conferre ad ἀφροδίσια. Alii Cremorem illius commendant ad vitia pulmonum. Radices ante hyemem è terra eximantur, alioquin putrescunt & rursum primo vere aqua maceratæ in illam recondantur.

Cytisus

Cytisus Galeni, adhuc in Surrentino tractu frequens, vnde habui primum opera D. Maranthæ. Ex surculis terræ mandatis celerrime prouenit, sed hyemis apud nos impatiens.

Cytisus Tragi, Lagopi species, olim Pes Milui officinis.

Cytisus supinus prope Lausannam frequens suffrutex.

Cytisus Columellæ in maritimis crescens. Glaux à quibusdã dicta, herba candicans, hirsuta tota, astrictorio gustu: foliis quinis, ex quibus tria sicut in trifolio figura & situ se habent: alia vero duo cauli propiora sibi inuicem opponuntur vt in Pseudomeliloto quorundam, quam nos Gäle Taubenkröpfle vocamus, quibus & flores figura similes, quæ & leguminum est, & similiter in corymbis colore differũt. Duo enim inferiora florũ folia inuicẽ opposita (inter quæ recuruus ceu auis alicuius vnguis latet & in eo siliquæ futuræ rudimentũ) colore albo sunt, superius autẽ foliũ singulare maius ex albo purpurascit. Coliculi ab vna radice plures circiter XV. assurgunt, teretes, pilosi, quorum alij breuiores, longissimi vero cubitales penè sunt. Folia mollia in molles mucrones desinunt, quina vt dixi, per interualla, alternante per caulem situ. E semine prouenit, & plerunq; tertio demum anno floret, Iulij principio. In Germania sponte natã hactenus non obseruaui, nec nasci puto, cum adeo ægre ferat nostras hyemes. Ramuli ex ea decerpti ac terræ mandati annum integrum vixerunt ac virorẽ cõseruarunt sine radice. Huic cognatum esse puto Doryciniõ Monspelij existimatũ, sed lignosius, minoribus folijs. Sponte gignitur circa Pisam & in Samnitibus itemq; in Bononiensi agro.

Cytisus niger siue maior Pseudocytisus Cordi forsitan. In montibus Bauariæ inferioris frequens præsertim circa Ratisbonã. Hanc satis elegantem plantam tota æstate florentem in topiarijs hortensibus primum habui à Nobiliss. viro & rei herbariæ studiosissimo Domino Paulo à Lobelfingen, Domino in Ram-

D.

DAMASONIVM nothum Dodonæi de Floribus Calceolus Mariæ. Heluetij, in quorum montibus cubitum æquat, nominãt Ancken Ballen. Helleborina punicea ſeu ferruginea Dalechampij. Creſcit paſſim verſus montana loca circa hanc vrbem & in Franconia. In Bauaria vero & Heluetia flore duplo maiore. Aſſerunt quoq; interdũ reperiri flore albo. Geſnerus putat non male conuenire cum Coſmoſandalo Panſaniæ. Dicitur vulneraria eſſe & vulnera recentia curare.

Daucus Creticus verus. Nõ facile apud nos ſeruatur. Creſcit quoque in Italia in montibus Vicentinis & Baldo ac monte Generoſo prope Comum.

Dauco Vulgari congener Seſelios Peleponnenſis nomine ex Italia miſſa, perquam aromatico ſemine, folijs pulcre virentibus, nitidiſſimis.

Dens caninus ſiue Dentali: alij ad Hermodactylum referunt. In Styriæ paſſim montanis reperitur, ſed etiam ex Italia habetur Puniceo flore. Rariorem quoque alo, qui candidum fert. Vtuntur in Epilepſia radicibus.

Dentaria bulbifera heptaphyllos & alia pentaphyllos.

Dentaria maior Matth. Squammaria ſiue Squammata ob radicem ſimilẽ ſquammis. Vnde Saxones Schupwurtz. Apud nos Blumenkraut/ Fraiſchamkraut. Creſcit paſſim in ſyluis magis vdis potiſſimũ ad Betulas. Floret in Aprili & Maio ſine folijs, deinde plane areſcit. Eius aquæ deſtillatæ vſus apud nos creberrimus in fluxionibus varijs, epilepſia & ſimilibus affectib. Horto nunquam voluit aſſueſcere quamuis ſæpe in eum tranſtulerim.

Dictamnus Creticus. Ex ſemine aliquoties nobis creuit & florem produxit copioſum. Niſi vero pangantur plantæ, raro, etiam diligenter aſſeruatæ per hyemem durant. Satius igitur eſt vt

ſurculis

ſurculis propagetur, qui in alterum annum florem produ-
,, cunt. Huius ſuffitus fœtum mortuum extrahit. Plutarchus in Gryllo: Quis Capris Cretenſibus præcepit vt ſagittis ictæ dictamnum quærant quo comeſto cuſpides extrahunt.

Pſeudodictamnus Matthioli, ad me Florentia miſſus, nihil habet cum priore commune, quemadmodum Anguillara huic deſcriptioni cõuenire negat. Hodie vocãt in Græcia καλικιμοιθεία.

Dictamnus albus, Fraxinella vulgo, Tragium Penæ, Peonia maſcula Tragi. Plurimum infeſtatur à formicis, ſed calce aſperſa abiguntur, quod in alijs quoq; plantis eſt obſeruandũ. Quic-
,, quid vero apud veteres ſit, cõſtat ſemen eius vtiliter admodũ
,, exhiberi epilepticis, ſicuti quoq; eius conſeruam. Aqua illius
,, vtuntur intra corpus cõtra peſtem. Veneti ad oculos inflam-
,, matos. Romæ quoq; circumfertur ad faciem albam redden-
,, dam. Oleum ex floribus opt. in doloribus articulorum ipſis
,, inunctum. Radicis decoctum ad venenatas beſtiolas è cor-
,, pore abigendas eſſe efficax experientia teſtatur.

Digitalis flore albo, purpureo & luteo, item ex diluto purpuraſcente. Coſtæus nominat Verbaſcũ digitalem. Alba & lutea paſſim in Germania creſcit, purpurea in Rhætis prope Curiã.
,, Folia decocta leniendi aluũ vim obtinent. Bononiæ vocatur
,, Aralda & putatur eſſe vulneraria, vnde prouerbium Italicum:
,, Aralda, tutte piage ſalda.

Doreæ herba vtraque maior & minor, communicata à C L. V. D. Ioã: Aicholtzio Medico Viennenſi. Videtur ad conſolidã auream accedere. Lobelio ſubijciente videndum an ad Panax Chironium Theophr. & Pharnaceum Plinij ſit referenda.

,, *Doronicum* minus ac vulgatius & alterũ Auſtriacũ à D. Cluſ. de-
,, ſcriptum latifoliũ. Gemſenwurtz/qa radice Capreæ ſylueſtres
,, admodũ delectantur, quã (referentib. venatorib. qui & ipſi ea
,, radice vtũtur intra corpꝰ cõtra vertiginẽ & in comitatu Tyro
,, lenſi nominãt ab hoc effectu Schwindelwurtz) copioſe ingurgitant,

,, gitant, & diu ita famem tolerant. Vnde circa Nouembrem
,, vbi capiuntur in ventriculo eorum reperitur pila siue globus
,, ex eiusmodi radicibus & aliis plantis alpinis quam vulgo vo-
,, cant Gemsenkugel/quales multas vidi & aliquot habeo: sunt-
,, que odoratæ, quibus vtuntur similiter contra vertiginem.
Disputatur à multis an sit Doronicum venenatum, quod de nostro certe nequit affirmari, de qua re alias copiosius differemus. Bononienses in suo antidotario admittunt Doronicum vsitatum, aut pro illo Caryophyllorum dimidium vel Galangam aut Zedoariæ par pondus substituunt.

Dorycnium Monspeliensium à Clusio in Hispanicis accurate pictũ. Quod ipsum vel simillimum saltem strigosius in campis asperis & lapidosis circa Fruxingam Bauariæ inueni. Longe aliud Aloysius in Samnitibus reperit vt est videre in suis opinionibus Italice impressis.

Dracunculus maior, Matthiolo minor (de maiore enim ipsius est magna dubitatio) Dracontion, serpentaria. Crescit quidem apud nos, sed ægre fert hyemem frigidorem: ac raro florem ac semen profert.

Dracunculus aquaticus Plinij, In hortis nisi irriguis non viuit.

Draco hortensis. Tarchon Auicennæ. In Acetariis expetitur & se propagat ex germinibus.

Dryopteris Hortum non amat, è vicino monte S. Mauritij translata. Filix elegantissima à Trago perquam belle depicta

E.

ECHION *Matthioli* flore albo.

Echion Fuchsii spontanea planta, cultis nasci gaudens.

Elaphoboscus Plinij, missus Florentijs.

Elatine Matthioli, longe glabrior in horto & lætius virens redditur quam quæ sponte in aruis prouenit.

Elichrysum,

Elichrysum, alijs Heliochrysum Matthioli. Hispanis secundum Clusiũ Scoba hedionda, id est Scopa fœtida. Apud nos crescit & semine in alterum annum propagatur.

Italicum eiusdem Matthioli, Millefolium luteum.

Creticum, Stœchas Citrina altera odorata Lobelij, cuius iconem accuratiorem dedimus in Matthioli editione.

Endiuia hortensis, & Romana crispa imprimis elegans.

Enula campana, siue Helenium, copiose ex semine se propagat.
" Vtilis herba ad vitia pulmonis, ad quod extractum ex florib.
" & radicibus vtile.

Epimedium. Crescit in Italia in agro Vicentino, vbi vocant lunariam, & in Illyria producit florem & semen, quamuis Dioscorides non viderit, quod etiam illi de Dictamno accidit. Serpit plurimum in horto, vnde necesse est vt proprijs quasi cancellis includatur.

Erica maior & procerior Italica. Buchanan. in hist. Scot. lib. 1. me-
" moriæ prodidit, In insulis Scoticis Ebulis homines esse in-
" cultos, qui lectum sibi parant ex filice vel Erica, radicibus de-
" orsum, frondibus sursum versis, adeoque scite cõciannnt, vt
" mollitie cum pluma certet, salubritate longe superet. Erica
" enim naturali siccandi vi prædita superfluos humores exhau-
" rit, neruisq; eorum molestia liberatis suũ vigorem restituit,
" ita vt qui vesperi languidi & lassi decubuerint mane vegeti &
" alacres resurgant.

Eruca maior, minor & tertia Anglica foliis latis. Similibus Verbenacæ vulgo dictæ sed lætius virentibus: florib. minutis, luteis & paruum relinquentibus post se semen in strictissimis filiquis.

Eruum verum Sibæ Orobus.

Eryngium vulgare, passim in Franconia inter vineas & in via crescens, apud nos raro admodum vel potius nunquam occur-
" rens. Radices conditæ multiplicis sunt vsus & imprimis hy-

,, dropicis & aduerſus nephriticos morbos vtiles, generationi
,, etiam conferre certum eſt.

,, Eædem contuſæ inq; forma Cataplaſmatis applicatæ cir-
,, ca vmbilicum in grauidis abortum metuentibus fœtum eui-
,, denter retinēt, cum nihilominus decoctum eorum bibitum
,, partum adiuuet. Plutarchus in libello quod max. cum prin-
,, cipibus ſit diſputandum philoſopho, tradit: Eryngium ſi vna
,, capella in os ſumat, ipſam primum, mox totum gregem ſub-
,, ſiſtere, donec accedens paſtor eam eximat, tantam vim ce-
,, leritatis odorem eius habere. Eryngii radicem contactu oc-
,, cidiſſe Salamandram aſſerit Cardanus in ſuis comment: ad
Aphor: Hippocratis.

Eryngium marinum in littore Veneto copioſe naſcens.

Eryngium totum cæruleum, elegans planta. Sponte creſcit in mō-
tibus Allobrogum, & imprimis in pratis circa Taurinum, vbi
pumila quædam illius pulcerrima ſpecies ſeſe offert.

Eryngium capite dipſaci, nobile dictum à Geſnero, quod periit
poſtquam ſemen tulit, ſed ex ſemine ſtatim terræ iniecto al-
tero anno rurſum prodiit.

Eryngium Pannonicum latifolium deſcriptum in obſer. Pannoni-
cis Cluſii.

Eryngium Vegetij. Anguillara vult eſſe Scolymum Theophraſti,
cuius etiam in 2. Operum & dierum Heſiodi fit mentio.

Erythrodanum ſiue Rubia tinctorum. Colitur copioſe in Sileſia
& Selandia, atq; etiam in Belgio & alibi. In horto radicibus
,, ſuis repentibus nimis eſt moleſtum. Decoctum huius radicis
,, regii morbi colorem emendat. Aqua inde deſtillata optima
,, ad vlcera oris, addito pauco alumine & melle roſaceo.

Euonymus Pannon: vterq; Cluſii.

Eupatorium Auicennæ ſiue aquaticum (quod idem tamen vo-
lunt eſſe cum Græcorum, autores Bononienſis antidotarii)
vulneraria planta eſt. Huius radices accedere ad vires radicū
Helle-

Hellebori albi in ſe ipſo expertum eſſe D. Geſnerus perhibet.

Euphragia flore luteo à Lobelio deſcripta quæ reperitur in montibus Auſtriæ & quoq; in Franconia à me inuenta eſt. Ad caliginem oculorum commendatur, non tamen quamuis, ſed tantum in frigido affectu. Calefacit enim & ſiccat, Quare nõ conuenit vinum Arnoldi de villa noua, ſed potius officit, vbi eſt Spirituum inopia.

F.

FABA rubra, alba, maior & minor, itẽ ſylueſtris alijs Aracus.

Ferula quam quatuor cubitorum vidi Monaci, vnde habui, in horto illuſtriſſimi principis. Creſcit etiam ad promontoriũ Miſenũ & in tota Apulia vberrime, in qua propter defectum lignorum eam potiſſ. ad inſtruendos focos vſurpant. Martialis vocat ferulas triſtes ſceptra pædagogorũ. Nam ea manus diſcipulorum olim cædebant magiſtri.

Ferulago, Ναρθήκιον Theophr.

Ficus, tam magnos quam paruos fructus proferens: item albos quo ad interiorem pulpam, quas habui ex horto illuſtriſ. principis Vuilhelmi Landgrauij Haſſiæ &c. Ad annos 60. & vlterius perdurat, quæ in ſenectute, vt teſtatur Plinius, quoque lacrymam deſtillat gummi inſtar. Annoſa arbor apud nos quoque, ſi à frigoris iniuria muniatur, vnde hic quædam præcipua familia eiuſmodi arborem adhuc frugiferam alit in annum octogeſimum. Ficum Mori germina per inſitionem excepiſſe ſcribit Plutarchus in Sympoſiacis: atq; ibidem ait fulmine non tangi, vbi quoq; explicat vt arbor amariſſima fructum proferat dulciſſimum. Nam vt iecur bile in vnũ locum ſecreta fit dulciſſimum, ita Ficus dum in fructum ſuũ dulcedinem & pinguedinem omnem demittit, ipſe expers fit dulcedinis.

" Ex ſemine Ficus nihil producitur. Fructum hunc hyſteri-
" cis vteroq; eſſe vtilem admodum nouerat Hipp. quare in lib.
" de Morb. Mul. ad omnes eius affectiones vſurpat exterius, ſi-
" ue vterum vlcus erodat ſiue non.

Ficus ruminalis dicta eſt, ſub qua expoſiti & enutriti fuerunt Romulus & Remus, quæ adhuc in antiquis nummis argenteis expreſſa videtur.

Filipendula, Vrinæ ſuppreſſæ atque eius ſtillicidio non parũ ſuccurrit, quare Oenanthes loco eſſe poterit, quãuis nõ omnes notæ illi aſſint.

Filicula ſaxatilis, parua admodum & elegans, alioquin vulgari Filici maſculæ ſimilis, ex vetuſtis columnis Miltenburgenſibus in hortum tranſlata.

Filix latifolia Cordi, ſiue florida, Oſmunda. Reperitur in Miſniæ locis paluſtribus paſſim.

Flammula recta. Nam repens eadem eſt cum Clematite alba, cuius ſupra memini, quæ ſæuiores hyemes non ſuſtinet.

Flos Indicus maior & minor, vterq; flore pleno & ſimplici. Tagetes ſiue Africanus flos. In Africa, vnde primũ allatus, ex Carthaginis ruinis tempore Caroli V. ſponte prouenit. Hic nullo modo intra corpus dandus, habet enim aliquid venenati. An Lycoperſicum Galeni ſit, Dodonæus examinandũ proponit.

Flos Solis, maior, minor & ramoſus. Planta maxima, Gigantem ob magnitudinem vocant Luſitani. Chryſanthemum Peruuianum. Noſtris hortis iam familiaris planta. In Italia 24. flores in vno caule producere ſolet, plures in Hiſpania, nobis decem protulit. A Nicolao Raſſio Chirurgo Regio Gallico p. m. viro humaniſſimo, & rerum ſimplicium peritiſſimo, ſemen miſſum, quod album florem produceret, ſed non
" creuit. Semen purgandi vim habere inſtar Cartami quidam
" mihi retulit, quod tamen in me ipſo periculum faciens non

potui

„ potui depræhendere. Adeo autẽ est huius ferax, vt aliquando ex vno flore abstulerimus duo millia trecenta & sexaginta duo semina matura. Pediculi foliorum vt asparagi comeduntur. Caulis fractus facilime callo obducitur: vnde vulnerariam esse conijciunt & ad fracturas conuenientem. Sed hoc signum non sufficit, nam & in maluæ caule idem contingit. Inesse tamen vulnera glutinandi facultatem non negarim. Gummi profluit ex vulnerata planta, pellucidum, rubrum, odorum. Aparet etiam in floribus aliquid resinosum plane terebinthinam substantia & odore referens.

Flos solis Matth. Helianthemon Plinij, alijs Panax Chironium, quamuis radix sit expers odoris & saporis. Reperitur quoq; interdum flore albo. Chamæcisti species, folio latiore quam vulgo nascentis, ex Italia missa, sed eandem postea circa Bapebergam inueni.

Fœniculum maius siue dulce Italicum. Quibusdam verum putatur esse Fœniculum, sicuti nostrum vulgare, Hippomarathrum. Radices in arena per hyemem seruantur.

Fœnum græcum, optimũ ophthalmicum. Lauatur aqua fontana decies & eius postea decocto spongia imbuta fouentur oculi dolentes.

Fœnum græcum syluestre Lobelij.

Fraga, omnis generis rubra & alba & inter hæc coloris medij. Semen terræ autumno commissum prouenit. Succus illorũ expressus ad multa vtilis, visui imprimis & retentæ vrinæ: ac longo tempore asseruatur, viresque vetustate acquirit. Decoctum ex herba & radice diutius vsurpatum cum passulis, ictericis prodest. Stillatitia aqua manantem sanguinem sistit.

Fraxinus mas. Floret copiose nigris racemis siue glomulis, sed „ non fert fructũ. Eius cortex interior, (vt Cæsalpinus refert) „ aquam in qua maduerit, cæruleam reddit, quam apponunt

" gallinis cum morbis diuexantur. Ex hoc genere, inquit idem,
" forte est lignum in noua Hispania repertum, cuius ramenta
" in aqua post horæ dimidum cæruleum elegantissimum red-
" dunt, cum ipsa candida sint.

De Manna quæ in Fraxino & aliis nonnullis arborib. colligitur, videndus Costæus, Altomarus & Quiqueranus. Non autem inutiliter monet Cordus, adulteratā & minime probā esse Mannam, quæ grumis suis foliorum Senæ partes aliquas complectitur, cum nulla ad nos ex Arabia & Aegypto Manna afferatur, quemadmodum Sena.

Fritillaria planta speciosa & rara, Lilionarciscus purpureus variegatus Lobelii. Meleagridem ob similitudinem cum plumis auis eiusdem nominis potius vocandam censet Dodonæus. Floret statim primo vere & etiam acriores hyemes ferre potest. Nicolaus Rassius, cuius antea fecimus mentionem, primus mihi communicauit ac scripsit circa Aurelias in Gallia forte fortuna fuisse repertam. Aiunt inueniri quoque flore pleno, sed rarius. Narcissus Caparonius quoque dicitur ab inuentore.

Fumus terræ siue Fumaria vulgaris. Puluere huius plantæ sæpius exhibito à Melancholia se quendam liberauisse affirmat Brassauola.

Fumus terræ siue Fumaria tenuifolia, Hispanica, elegantissime variegato ex rubro albo viridi & luteo coloribus flosculo, quæ ex semine plurimum se propagat. Minus est amara quā reliquæ fumariæ. Pictura est apud Clusium & Lobelium. Habemus & alteram adhuc teneriorem, Syriacam cuius semen D. Paludanus ex Aegypto rediens nobis communicauit, vt omnia sua, perliberaliter: qui dicebat incolis Seltereis dici. Prouenit etiam ex vetustissimo semine, nec simul omnia grana enascuntur, quæ simul & fere eodem momento terræ mandantur, sed alia sequente anno. Cuius rei periculum feceris, si longum

longum sulcum duxeris & semina inieceris, mox enata euulseris. Nascentur enim eadē linea, qua illo, quo seueris anno, etiam altero & nonnunquam etiam tertio, quod in nonnullis etiam alijs plantis obseruaui.

G.

GALEGA siue Ruta capraria. Frequens vbique in aggeribus viarum per Italiam. Editur in acetariis & in iure carnium quoque coquitur.

" Alii succum exprimunt & mane ebibunt contra pestem,
" venena & morsus venenatorum animalium. Adhæc instar
" cataplasmatis contusam imponunt. Succus & semen vermes
" necat. Decoctum in aceto paratum cū Theriaca & Tormen-
" tilla ac Cardo benedicto, teste Ingrassiā, plurimum valet in
" peste & febribus malignis cum petechiis. Prouocat enim val-
" de sudorem. Nonnulli succi vncias quinque vel Sex calide in
" peste propinant. Hac herba saginantur Gallinę, & pariunt in-
" de plura oua.

Galeopsis, flore luteo, folio longo, rectis caulibus, quam quidam
" Vrticam labeonem vocant. Ambrosius Paræus Chirurgus
" Regius exercitatissimus in Gallia Galeopsis cuiuscunque ge-
" neris succum hæmorrhoidibus impositum tradit tumentes
" aperire & sanguinem congestum educere. Eodem remedio,
" ait, thymum circa Sedem curamus.

Gallium flore albo & luteo inter gramina prouenit, & ingruen- "
tem tempestatē suauissimo odore prænūciat. Suauius etiam "
olet apparente Iride. "

" *Gallitricum siue Sclarea* cum Alectorolopho Plinij hoc habet
" commune, quod semen oculis inditum, sordibus purgatis
" sponte excidat & visum clarificet. Excellentiss. D. Crato, præ-
" ceptor olim meus omni laude & memoria perpetua digniss.

inter

„ inter alia sua εὐπόριστα commendabat in suffocationibus vteri
„ & similibus affectibus vnguentum ex Sclarea cum butyro co-
„ ctum, cui adijcitur aliquid gummi istius exotici Takamaha-
„ cæ, quod etiam tum vmbilico imponendum.

Gelsiminum siue Iasminum, Zambach Arabum, flore albo & luteo. Est & tertium Catalonicum siue Hispanicum dictum, cuius flos duplo maior est priore & multo odoratior. Inseritur autem facile in vulgare, sicut hoc in sui generis plantam & in Rosam. Album nunquam mihi semen tulit, sed luteum sæpius, baccas nimirum nigricātes cæruleo liquore refertas. Ipsemet obseruaui cum I. Cæsare Scaligero, surculos Iasmini terræ impactos florem produxisse & perdurasse in alterum annum sine radice.

Gelsiminum siue Iasminum Indicum, sub quo nomine cum primū fuerit ex Indijs aliis communicatum, semper postea hoc nomen retinuit, quamuis sit planta sui generis, & pauca habeat cum Gelsiminis communia. Magis proprie flos Mexicanus à loco natali, Cæsalpinus existimat esse Mandragoram Theophrasti. Eius radix vel negligentius in hyeme asseruata, tam intra quā extra terrā, modo non frigore lædatur, altero anno pulcre repullulat. Germinib. quoq; transplantatur. Hispani vocant florem miraculosum, quod tot coloribus sit præditus ac tantum duret ad meridiem vsque. Hinc θαυμάσια quidam, ex Hispanico Marabillas. Habemus enim rubrum, luteū, album & postea infinitas ex hisce coloribus in vno flore vari-
„ etates. Radicem huius discutere valide tumores frigidos
„ Historia stirpium Lugdunensis annotat. Caustica est tota planta. Diligentissime describitur à Clusio in Pannonicis.

Genistella, Genista pumila siue Chamægenista Clusij.

Genista sagittalis Pannonica.

Genista spinosa, Crebro in syluis Sueuiæ proueniens. Libentius

ex

ex semine, autumno terræ iniecto prouenit, quam si planta ipsamet vel suæ telluri hærens transferatur.

Genista transalpina, siue Hispanica arborescens, cuius flores ante exortum solis sunt odorati, postea vero minuitur odor donec meridie penitus euanescat. In multos annos durat si hyeme recondatur in cellam.

„Vulgaris genistæ lixiuium rite paratum instar clareti Hy-
„dropicis est efficax. Succus eius oleo omphacino vel Sinapi-
„no exceptus tutiss. est remedium contra pediculos.

Gentiana maior flore luteo, Bitterwurtz in Alpibus dicitur. In horto quidem manet & mihi floruit, sed ægre vltra triennium. Ex semine nunquam vidi prouenire. Euporiston medicamē-„
tum in febribus, quod etiam testatur doctissimus Horatius„
Augerius in suis epistolis. Simlerus in descriptione Alpium,„
refert pastores vti gentianis ad vbera vaccarum si à muribus„
araneis aut alijs bestijs venenatis lædantur. „

Gentiana maior flore purpureo, ex montanis in hortum translata durat quidem sed ægre & florem negat proferre, quocunq; modo colatur, fitq; deterior potius hoc benificio.

Gentiana media siue Cruciata, quæ libentius assuescit horto.

Gentianella pratensis Bauarica minutissima autumno florens.

Gentianellas multas elegantissimas vndiq; conquisiui, sed nullo ingenio cogi potuerūt, vt soli natalis obliuiscerentur & hortum suo decore ornarent.

Geranium. Huius admodum multæ sunt differentiæ, nos eas breuiter enumerabimus, quas hucusque in horto aluimus, à notioribus incipientes.

Supinum paruum, vbique vulgare, Gruinalis Dodonæi: maius vero huius generis non ita passim obuiam vel notum folijs initio rotundis prodit, quæ sequuntur alia althæam referentia, sed mox in plures diuisuras finduntur vt paruum

vulgatius, attamen differunt, quod minus ordinatim disposita spectentur.

„ Robertianum, ab aliis Sanguinaria dicta, quod ad sanguinem sistendum inter omnia præstet. Duplicem obseruarunt pastores; Quæ omnino viridis est, fœminam cognominant, sed rubentem præferunt, aquæ incoquentes & potui dantes pecori armentisue cruenta mingentibus.

„ Maluaceum siue Balsaminum, Pes columbinus, potionib. ad interna vulnera reliquis præfertur. Ruellius vult esse secundum Diosc. cuius tamen ille vsum in medicina nullum esse dicit.

Althæodes, foliis incanis, mollibus, apud Matthiolũ VI. vel vltimum in ordine, imprimis elegans.

Batrachiodes, quod etiam duplex est, floribus cæruleis, idque grandius & rubris, minus.

Hæmatodes, sponte in multis locis nascitur Germaniæ. In autumno tota planta rubra est.

Macrorhizon, Gallis Banatica; grauissimi odoris, præsertim radix. Batrachiodes alterum Lobelij, Statice quorundam, quæ septem floribus roseis, ventrem sistens à Plinio describitur, sed numerus ille definitus hic locum non habet.

Muscatum, siue acus muscata, musci odorem referens, præsertim matutino & vespertino tempore. Ad vrinas ciendas vtile. „

Saxatile, in locis saxosis crescens ad riuorum aspergines in Hercyniæ saltibus, à nemine, vt puto, descripta vel depicta herbula, vnde eius iconem inferius exhibuimus. Hygroscopelon Thalij in sylua eius Hercynia.

Tuberosum maius, primum transmissum à Clusio, planta admodum viuax & copiose se propagans. Hoc primum est Diosco-

Dioſcoridis. In Samnitibus (vulgo Abbruzzo vocant) frequens, itemq; in Dalmatia prope Zaram.

Eſt aliud minimum, in murorum rimis naſcens folio, floſculo & tota facie vulgaris maluacci Balſamini vel Pedis Columbini, attamen multo minus: radice auellanæ magnitudine, rotunda, tuberoſa, nullis fibris, ſed veluti acetabulis aut oſculis ex parietibus alimentum hauriens. In hortum tranſlatum, vt obſeruarem, an mutaretur forſitan, penitus contabuit.

Geranium Creticum, longiſſimis roſtris à Lobelio deſcriptum.

„ Geranium potum calculos renum & veſicæ mirabiliter „ frangere Empirici affirmant.

Gingidium, vt D. Rauvvolfius appellat in ſuo itinerario, Syriaca planta.

Gladiolus peregrinus, rubro & incarnato flore. Magna frigora difficulter fert, alioquin in horto multis bulbulis ſeſe multiplicat.

Gladiolus noſtras, ſponte naſcitur humente ſolo, in pratis ad ſtagna, radice duplici. Vulgus ad extrahenda infixa vtitur ſupe-« riore, quod à Dioſcoride quoque illi aſcribitur: Vim autem « repellendi inferiori tribuit. Alij Blutwurtz appellant, ſan-« guinem ſiſtere perhibentes. Dioſcorides in Euporiſtis ait ſu-« periorem vrinas ciere. Aetius Gladiolum vna cum radice « exiccatum contuſum & cribratum cum granis Piperis 11. bi-« bendum præbet diuturno colico dolori medicaturus. Foli-« um medium diuiſum & in ſimilitudinem coronæ in ſe con-« nexum, ac pro torque circa collum habitum tonſillas ſedare « Marcellus Empiricus affirmat. «

Glaux, paruula herba, ex ſalſo lacu prope Iſlebiam miſſa à CL. V. D. Brunnero. Dodonæus & Lobelius pingunt.

Glaux alia, à foliorum glauco colore ſic dicta, cum alioqui non multum diſcrepet à Dioſc. deſcriptione, præterquam quod

non ad mare naſci obſeruarim. Floſculis purpureis prædita eſt, folijs lentis, cauliculis ſupinis per terram ſparſis. Ex ſabuloſis locis circa hanc vrbem in hortum translata.

Glaſtum, ſiue Iſatis ſylueſtris, frequens paſſim in Thuringia potiſſimum circa Ihenam.

Glaſtum ſatiuum ſiue Iſatis, ex qua Thuringi non exiguas opes colligunt. De eius cultura & præparatione accuratũ ſcriptum edidit Henricus Grolachius Gothanus.

Glycyrrhiza Dioſcoridis, pillulas inſtar Platani producens. Noſtra tamen multo eſt dulcior & ſucculentior. Hanc quoque eundo verſus Thraciam Conſtantinopoli in vijs paſſim creſcere Anguillara refert.

Glycyrrhiza noſtras quam copioſe Bapenbergenſes colunt & inde quæſtum faciunt. De cuius cultura iamdudum commentariolum proprium tanq; de planta populari, meditor.

Goropius in ſuis Beccеſelanis hanc neque Theoph: nec Dioſc: notam fuiſſe exiſtimat, ſed tantum priorem. Alii tamẽ exiſtimant radicem eſſe Scythicam apud veteres, & refert Generoſus & multarum rerum experientia inſignis vir D. Augerius à Busbeck &c. in ſuo itinerario Byſantino, ſe in quadam ſyluula ad Halys fl. ripam copioſiſſ. hanc quoque ſua ſponte naſcentem reperiſſe.

„ Radix Glycyrrhizæ & flores Tiliæ in vino albo coquuntur
„ & eo calide dentes in eorum dolore eluuntur.

Glycyrrhiza ſylueſtris. Fœnogræcum ſylueſtre Tragi. Et alia priori non diſſimilis prope Vuittembergam in monte Apollinis vulgo Pollersberg/ & altero S. Petri non longe à Salinis Saxonicis proueniens.

Gnaphalium marinum, planta tota albicans exceptis floribus ſubluteis. Reperi plurimũ ad littora maris in agro Neapolitano.

Goſſypium, ex ſemine prodit & floret, ſed fructum ferre per æſtatis fugacitatem hiſce regionibus non conſueuit.

Gramen pictum siue striatū, Mannæ vulgo dictum. Itemque perenne, miliaceū, in syluis non procul ab vrbe nostra ad montem S. Mauricii frequens.

Cyperoides in hortum translatum durat quidem & propagatur sed non floret.

Gramen tuberosum siue nodosum Lobelij vbiq; sese offerens in saltibus Thuringiæ. Validius cæteris obstructiones aperire & vrinam ciere asserunt.

Gramen marinum spicatum alterum Lobelij. Maius cuius pictura est apud eundem, ad lacus salsos nascitur circa Halam Saxoniæ: Minus vero in pratis lætioribus & humectis circa Lipsiam, quod inter Calamagrosteos species Tragus depinxit.

Gramen equinum siue Hippagrostis Gesneri, Roßgraß circa Tigurum vulgo. Gramen albicans lanuginosum, molle, cubitos duos cū dimidio attingens: Semine lato, satis magno, vt hordei fere. Refert ille in pratis nasci sed parce. Habeo ex horto Nobilissimi & præstantiss. viri D. Georgij Ritteselij, &c. vbi spōte inter cætera gramina proueniebat.

Gratiola. Stanca Caballo Italis, quia equi ea planta gustata languescunt. Crescit alibi in locis palustribus & in hortis facile perit, nisi ijsdem locis collocetur. Hic diligenter eam asseruant vetulæ medicastræ in suis hortis, sine discrimine cum vino vel alio liquore decoctam omnibus febricitantibus propinantes. Weiß aurin vocant. Flore luteo reperi non procul à Genua ad riuulum quendam. Gesnerus nescio quam ob causam nominat Sesamoides. Huius vsus præcipuus in hydrope, potissimum illius extracti cum puluere cinamomi in catapotia redacti, itemq; in febribus tertianis & alijs diuturnis cum succo calamenti datur. Gilbenech nihil aliud est quā semen huius plantæ, quod nomē adhuc apud Arabes retinet.

Guaiacana vulgo. Lotus Matthioli apud Theoph. Dalech. Diospyros Theoph. Faba Græca Gesneri. In horto durat & fructū

etiam fert nonnunquam. At per hyemem opt. munienda præ frigore, alioqui perit arbor, at radices repullulant.

H.

HABBVRES elegans planta similis Plantagini strictifoliæ, sed longe tenerior & sursum erigens acumina sua foliola in modum hastarum: capitulis Psyllij, in quibus semen nitidum, ex albo rubellum, Psyllij semini æquale magnitudine, sed colore & figura multo elegantius. Ex Oriente secum detulit D. Bernardus Paludanus.

Halicacabum vesicarium siue Alchakengi. Cuius succus vrinam per triduum retentam mouit, teste Brassauola in examine simplicium.

Halicacabum siue Solanum Indicum. Primum à Domino Iosepho de Casabona Florentia mihi impartitum, planta antea, vt existimo, incognita, atq; ideo eius picturam addidimus in fine libri. Folijs Solani est, sed caulibus digito crassioribus, nodosis, angulosis, trium cubitorum altitudine: ramis multis, flore vulgaris halicacabi, magis vero in ambitu laciniato, quinquangulo tamen, purpureis staminibus in medio cum nigricantibus & cæruleis apicibus & circa fundum maculis quinis nigris vel purpurascentib. Folliculis alterius quoque Halicacabi sed viridibus, etiam per maturitatem, aut quandoque qua parte solem spectant, obsoleto colore purpurascentibus. Acini sunt in medio grandes, qui plene maturi totam vesicæ capacitatem explent aut etiam ob magnitudinem rumpunt, in quatuor partes decussatim diuisi, vt extrinsecus apparent, cum tamen intus non animaduertantur illa intersepimenta, si dissecentur, & insipidi vt tota planta, sed vbi pediculo adhærent succo glutinoso Lycopersici siue Malorum aureorum odore, obliti sunt: qui an esui sint, nondum com-

compertum. Planta est annua.

Halicacabum peregrinum siue Vesicaria peregrina. Isopyrum quorundam. Cor Indum, Pisum Cordatum. Inter Solana non recte collocatur. Dodonæus existimat conuenire cum grano Serapionis Abrong aut Abrugi dicto.

Halimus Matthioli.

Hedera helix. Plutarchus in Alexand. memoriæ prodit Babylonicam regionem nõ ferre hederam, rationemq; reddit, quod nimis sit calida, cũ hedera frigida loca amet. Ex Hedera quæ conficiuntur pocula vinum non retinere Costæus tradit.

Hedera terrestris siue Chamæcyssus, de qua supra pro qua communiter vsurpatur, vulgo Grundreb/ad calculum pellendum non postrema. Veruntamen Hederam terrestrem Diosc. se nondum cognoscere fatebatur Aloysius Anguillara. Ioannes Lærius Burgundus in Historia nauig. in Brasiliam commemorat medicamenti genus quo post longam inediam diarrhæa & stomachi solutione ipse & sui comites conflictati, postquam vsi fuerunt, confestim sani euaserunt. Est autem eiusmodi. Ius hederæ terrestris est accipiendum cum oryza probe cocta, in ipsa olla pannis veteribus restincta: quibus igni admotis ouorum vitelli sunt permiscendi. Confectionem illã cochlearibus ad modum pultis ori, inquit, admouebamus. Ac sane nos omnes morbo illo extinctos futuros fuisse nisi medicamentũ illud adhibitum fuisset, facile credo.

Hedysarum maius & minus, prætera Clypeatũ Lobelii, & Scorpiuron vti ratione seminis appellari non inepte queat: alijs Onobrychis. Vide Clusium in Pannonicis. Securidaca lutea circa Ariminum in Italia & in Apulia crebro sese offert, sicuti quoque in Dalmatia.

Helenium, cuius magna proprietas ad hilaritatem & gaudium excitandũ, vt vult Rondoletius in suis libris de arte curandi: quare

„ quare Sach: siue conserua ex illo etsi est paulũ amara & aqua „ destillata non parum prosunt. Laudant quoq; in calculo re„num. Asthmaticis quoque pro lubitu parata est vtilis. Vide supra, Enula campana.

Helleborus albus tam flore in viridi albescente, quam subpurpureo, vel atrorubente ex horto olim Ioach. Creichij pharmacopæi Torgensis. In Helueticis alpibus **Germer** vocant. Hispani Balistariam herbam, cui occulta proprietate Malum Cydonium aduersatur. Illius enim mortiferi succi vis quo isti populi sagittas illinunt ad venationes solo Cydonij odore prorsus hebescit. Quod Costæus quoque & Matthiolus in epistolis annotarunt. Idem de Pharico tradunt veteres. Vt Scorpioni infestum Aconitum cuius ille veneno torpescit, ita amicum Veratrum album quo admoto reuiuiscit. Pulcra est admonitio Persii, vitijs & morbis in principio esse occurrendũ, non vt vulgus facit, quando ad extremũ est peruentũ.

Helleborum frustra cum iam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

„ Hellebori vi Cirrhæi expugnati fuerunt vt tradit Pausanias „ in Phocicis. Solon enim eius radices quamplurimas in Plistũ „ amnem conijciendas curauit: atque vbi satis infectam medi„camento aquã intellexit, quem prius in vrbem influentem „ auerterat, in pristinum alueum amnem reposuit. Cirrhæi cũ „ auidius de aqua illa bibissent, alui perpetuo profluuio labo„rantes, deserere mœnium præsidium coacti sunt & Amphi„ctyonibus obsidentibus vrbem tradere. En egregium stratagema, rem gerere ope herbarum dum armorum non licet.

Helleborina Dodonæi, & aliorum. Huius genera aliquot à Clusio in Pannonicis enumerantur. Crescit quædam nõ longe ab hac vrbe, foliis admodum similibus Helleboro albo, cubitali caule, flore albicante.

Heleborus niger syluestris vterq; tam qui dicitur ἐννεάφυλλον, quam

alter

alter folio duriore & obſcurius virente: & quidem huius poſtremi non prioris radices ob penuriam Styriaci vel Italici non male vſurpantur.

Helleborus niger flore albeſcente, cum aliqua diluta rubedine. Reperitur nō ſolum in Italia potiſſimum circa Larium lacum, ſed in Styria & comitatu Tirolenſi copioſe. Florētini in ſuo Antidotario accuratiſs. cōmendant eū qui creſcit in Eremo de Camaldolo ꝑpe monaſteriū. Bellonius obſeruauit reperiri flore rubeſcente in mōte Olympo Græciæ & quidā amicus meus mihi retulit talem aliquādo ſeſe inueniſſe in Iſtria non procul ab vrbe Iuſtinopoli. Excellentiſs. Iulius Alexandrinus non ſemel ſcribit ſe expertum eſſe ꝙ tradidit Gal. 6 de ſimpl. Med. facult. hanc radicem vtilem eſſe fiſtulæ calloſæ ſi illi immittatur.

Helleboraſtrum Geſneri, vide Buphthalmum Dodonæi.

Heliotropium maius. Herba Cancri vel Verrucaria Dodonæo. Commendat enim contra verrucas. Semel in hortum translata ex ſemine poſtea ſemper ſe renouat. Torneſol bobo Hiſpanis: apud quos ſimul cum maiori copioſe creſcit.

Heliotropium minus, Torneſole. Eius tincturā vilibus linteis exceptam ad nos ſub eodem nomine mittunt Hiſpani. Sæpe à me ſatum ſemen in media æſtate rurſus exaruit, quod in Belgio quoque accidiſſe Cluſius obſeruauit. Creſcit ēt in Italia, in agro Bononienſi prope villam Treſolzam, eundo verſus Medeſanum & in Samnitibus ad Ortonam & Francauillam.

Herba Clytiæ vocatur, quod in hāc mutata fingatur à Poëtis, vnde hi verſus:

Herba velut Clitiæ ſemper petit obuia ſolem,
Sic pia mens Chriſtum quo prece ſpectet habet.

Helxine Ciſſampelos, apud Theoph. Orobanche, diuerſa ab illa altera Dioſc. Patauini vocant Broeggiam. Plinio eſt Scammonea tenuis: ac putatur aliquid cū vera Scammonea habere ſimile.

Helxine siue Parietaria, Herba muralis Plinio. Perdiciũ, quia perdices eo delectantur. Vrceolaris Scribonio, nam abstergẽdis
,, vrceis apta est. Contusa & cum aceto calide imposita opt. re-
,, medium in enterocele, vbi tumor excitat dolorem. Herbam
,, parietariam per iocum nominarũt Imperatorem Traianum
,, ꝓpter inscriptiones & statuas plurimas vbiq; ab ipso positas.

Hemerocallis I. Matthioli. Bulbifera & sine bulbis cauli annatis. Aliquãdo reperitur flore pleno sed facile, vt mihi euenit, rursus degenerat. Hemerocallis Diosc. secundũ Anguillaram est Cynorrhodũ Plinij & Martagum liliaceũ, forte Crinorrhodum legendum, & eadem est cũ Crinanthemo Hippocratis.

Hemerocallis Chalcedonica Lobelij. Planta elegantiss. & rara. Lilium rubrum Constantinopolitanum Clusij in obs. Pannon. Zusiniare Turcis, à quibus allata est. Venetijs sub nomine Marocali ad nos missa.

Hemerocallis Valentina Clusii. Turcice Con Zambach: apud nos nunquam voluit florem proferre.

Heptaphyllon Cordi.

Hermodactylus Matthioli. Lonchitis CL. V. Vlyssis Aldroandi Bonon. Raro apud nos floret.

Herniaria, circa hanc vrbem frequens mense Aug. in locis sabu-
,, losis. Aqua destillata opt. in calculo.

Hesperis nostras. Itemq; Pannonica à Clusio in obs. Pann. exhibita. Præterea Syriaca, quã alio nomine vocant Leucoion Syriacum, Pannonicæ similis, sed crassior & minus procera, siliquis rotundis & quasi geniculatis.

Hieracium Creticum, pro Endiuia lutea missum. Vocamus autem Creticum, quod eius semina postea inuenerimus in Epithymo ex Creta misso, & à Gesnero similem plantã hoc nomine delineatam depræhẽderimus. Grandius est vulgari Hieracio maiore Matthioli & teneriorib. foliis, initio Endiuiã repræsentantib. sed postea aliquantũ insectis instar ferme Sonchi.

Flore

Flore luteo in grādi calice & ſemine papposo, curuo, aſpero, vnguium modo. Amara eſt & annua tantum herba.

Hieracium latifolium, Matth. maius & minus, ſpontanea. Item latifolium Pannonicum, de quo ſupra in Coſta herba.

Hieracium V. Pannonicum & VI. montanum circa Landeshutum Bauariæ.

Hieracium, foliis & facie Chondrillæ Lobelij.

Hieracium alterum, grandius Lobelij, rectum & fruticoſum.

Hippogloſſum, ſiue Vuularia, ſiue Biſlingua, ſiue Bonifacia. Quāuis Anguillara verum Hippogloſſum ſecundum deſcriptionem Dioſc. qui dicit Corymbos producere, exiſtimabat adhuc nō adeo bene eſſe cognitum. Raro vltra annum vel alterum in horto vtpote nimis montana durat.

Holoſtium Salmanticum Cluſii, floret primo anno, ſed raro ſemen maturat, Frigoris impatiens eſt.

Holoſtium Loniceri. Cauda muris, alibi in ſegetibus frequens.

Hordeum γυμνόκειθον, & alterum multis ſpicis in vno culmo.

Horminum ſatiuū, copioſe in agro Senenſi, ſed copioſius creſcit in Apulia, Illyria & inſula Leſena atq; vniuerſa Græcia.

Horminum ſylueſtre, flore cæruleo, item albo, quod frequens in Suecia in quibuſdam pratis ſeſe offert. Itemque rubro, & denique ferme abſq; vllo flore per æſtatem, Sed in hyeme paruo, cæruleo, lupuli odore, ſimile ſecundo, quod Cluſius in Pannonicis depinxit.

Hoxocoquomaclit, ſub quo barbaro vel Indico nomine fuit Florentiam & inde ad nos miſſa. Folia habet propemodum Fraxinellæ, vel potius eodē fere modo quo Caſſia ſiliquoſa prodit, nullo in coſtæ extremitate imparitatem faciente folio. Caules & ramuli & foliorū oræ rubent, flores flaui ſunt, Caſſiæ floribus ſimiles. Hinc emergunt ſiliquæ oblongæ, cylindraceæ, exterius per maturitatem fuſcæ, intus purpuraſcētes, fuſcis granis diſtētæ. Radix nigro cortice obducitur, quo ab-

raſo flaueſcit, & fibris plurimis conſtat, viuitque ſex tantum menſes, gelu impatientiſſima planta, & apricũ Vulturnoq; expoſitum locum deſiderãs, alioquin nec floſculos explicat, nec ſpem frugis facit. Odor illi grauiſſimus & plane abominandus, ſapor ſubdulcis nõ ingratus cum aliqua aſtrictione, pene vti Chebulorum, minus tamen aſtringens: radicis vero amarus & Polypodij ſaporem repræſentans cũ dulcedine aliqua, niſi quod nõ ita filiceum quiddam ſapiat. Folia explicat oriente Sole, cadente remittit & in ſe cõtrahit vt peritura videatur, qui antea non obſeruarunt, & hoc quidem cum alijs quibuſdam leguminoſis habet cõmune. Sed hoc imprimis notatu dignum, alarum cauis, qua parte caulem amplectitur latior coſtarum extremitas, innaſci verruculas paruas rubentes, quæ intenſiſſimo æſtu exudant liquorem candidum, purum, pellucidũ, vt minutas margaritas referret, ſi paulo maior ei⁹ copia emitteretur. Viſcoſus is eſt ac dulciſſimus, ideoque à muſcis auidiſſime expetitur. Ineſſe huic plantæ vim quandam plane peculiarem, nemo negarit qui ſemel attentius paulo ipſam conſiderauerit.

Hyacinthus comoſus, maior ſiue ſerotinus, & minor ſiue præcox. Creſcit in aruis paſſim in Italia. Anguillara bulbum proprie dictum eſſe volebat, & in Græcia adhuc vocatur βόλϐος. Italice Cepa Bouina.

Hyacinthus comoſus leucanthemos, è ſemine Italico natus.

Hyacinthus Belgicus, non ſcriptus Dodonæi.

Stellatus flore albo & cæruleo. In Ducatu Vuirtenbergenſi creber, vt Fuchſius quoque meminit, & Cordus Tubingæ in ſyluulis naſci ſcribit.

Botryoides odoratus, pruni odorem referens, maior & alter minor inodorus, cæruleo, incarnato & albo flore.

Conſtantinopolitanus. Dioſc. Hyacinthus ſiue Orientalis, albo & cæruleo flore, itemq; purpureo. Turci vocãt Zemblecuder.

Hiſpa-

Hiſpanicus obſoleto flore à Cluſio miſſus.

Arabicus à D. Aicholzio communicatus, Zumbal Arabi.

Hyoſcyamus albus, ad mare proueniens. Difficulter apud nos emergit ex ſemine, ſed vbi ſemel enaſcitur, facile ſeipſum ſe-
„ rendo perſeuerat. Tuſa huius planta fictili vaſi inditur, cui
„ ſubtus foramina ſunt facta, cui alterum vas apponitur & in
„ terram omnia reconduntur tamdiu donec liquor extillet.
„ In doloribus dentium & alijs topici loco non contemnen-
„ dum remedium ſi à perito Medico adhibeatur. Sic molis ef-
„ fractum ſemen & preſſum, oleum reddit ad idem vtile.

Hyoſcyamus luteus ſiue Priapæa. Semel in hortum tranſlata ex ſe-
„ mine vndiq; nimis copioſe repullulat. In Italia ſemine vtũtur
„ ad priapiſmum ſedandum. Pediculos & imprimis pulices ne-
„ cat, vt fieri poteſt periculum in canibus. Nam foliis huius af-
„ fricatis cuti vel ſucco illito tanquam incantamento fugati
„ decidunt.

Hyoſcyamus peculiaris, vetuſto quodam ſemine ſubalbido ſiue cinereo, natus, flore per initia pallidi coloris, elegantioris tamẽ quã qui in vulgari habetur, poſtea purpuraſcente & incuruo, nõ æqualiter patulo vt reliquorum, ſed altera parte aliquantulum repando: foliis alterius hyoſcyami, ſed lætius virentibus & multo minoribus. Planta vltra cubitum non aſſurgit. Prorſum conuenit cum Beze à D. Paludano ex Syria delato, quod à Cluſio in Pannonicis deſcribitur, ſola foliorum latitudine diſcrepans. Cumq; planta ſit rara, eam quoq; curauimus depingi.

„ *Hypericum*. Succus illius enecat vermes equorum, præſertim ſi
„ agrimonia illis detur comedenda. Flores eius cum ſale & bu-
„ tyro in Cereuiſia, in Polonia crebro illis exhibentur, qui ob
„ grauia pondera geſtata aliquid in corpore læſerunt. Sal para-
„ tum ex hac herba pleuriticis plurimum conducit.

Hyſſopus, vel hyſſopum flore cæruleo, albo & rubro, ac præterea

vtrinq; floridum, cuius pictura extat apud Dodonæum in appendice. In valle Athesina quæ & Guarina, multæ egregiæ stirpes nascuntur, interq; alias Hyssopus montana odorata.

Vulgaris Hyssopus ad loca montana Franconiæ non procul à ruderibus arcis Streitbergensis à me aliquoties est repertus.

Disputatio, an Hyssopus Græcorum sit idem cum Arabum, quam imprimis proposuit Anguillara in suis opinionibus Italicis, ad aliud tempus differatur.

Hyssopoides. eius semen minutum subfuscum in oblongis vasculis mihi missum ita inscriptum ab Ioanne Thalio viro doctissimo & imprimis diligenti herbarum & rerum naturalium perscrutatore, p. m. Est omnis odoris expers, saporis aliquãtum nitrosi, alioquin forma exquisite pene Hyssopum refert, strictioribus tantum folijs. Allata etiam fuit ex Italia & Patauij crescere intellexi ad portam S. Iustinæ & intra mœnia circa Populos ad fossulam consitas. In Hassia quoq; nascitur, vbi quidam herbarũ indagatores Halimum aquaticum vocant. Dum hæc conscriberem ipsemet erui inuentam loco vdo, iuxta arua in Franconia non procul ab oppido quod vocatur Ebern.

I.

IACEA *Pannonica* Clusii capite hirsuto.

Iacea flore luteo spinosa, Scabiosa alijs lutea.

Iacea alia pumila siue nana, Penæ Montana & Carduus Pineus Norbonensium, Theophrasti Chamæleon non aculeatus, Monspelio finitimis locis Glareosis inter Cistos & coccíferas ilices nascens. Herba est parte auersa cana & lanuginosa, superiore virescentia gerẽs folia, magnis incisuris dirempta, non multum lata: caule rotundo & cano, sesquipalmum aut

pedem

pedem alto; interdum nullo: in quo caput ſatis magnum pro ratione totius ſquamis eleganter ſtipatum, repræſentans conum abietis, ſumma parte crenatis, nigricantibus, inferiore albicantibus: flore purpureo è multis ſtaminibus congeſto. Radix nigreſcit forinſecus, intrinſecus alba eſt.

Irion alterum ſiue Eryſimum Matthioli & Anguillaræ Pſeudobunium, quo littora Veneta, vulgo al lio, abundant. In hortos translatum ex ſemine copioſe quotannis renaſcitur.

Iris. Huius differentias præcipuas tantum proponemus. Hyacinthus Virgilij, Columellæ & Palladij maxime ſecundum Aloyſium Anguillaram, qui etiam illam reperit in Illyria ad flumen Naronem & Drilonem, quemadmodũ notauit Nicander, quæ hodie corrupte vocantur Drino & Narenta. Plantam vero incolæ nominant Macinaci, & hodierno adhuc die floribus vtuntur in corollis, quemadmodũ Theoph: & Athenæus quoq; tradunt.

Iridum quas in horto hactenus alui, alia maior, alia minor eſt, illa colorum diſcrimina habet Candidum, cæruleum vel purpureum & varium.

Alba, Illyrica vulgo vel potius Florentina, cuius aliquando primo vere, collem plenum reperi circa Priuernum vrbem in itinere Neapolitano. Vehementiores hyemes apud nos ægre ferre poteſt, & imprimis à niue liquefacta & rurſus gelaſcente tutari eam diligens hortulanus officij ſui eſſe meminerit.

Cærulea vel purpurea, alia vulgatior eſt obſoletioris coloris, nec tam grandi flore, folijs & radice, nec etiã tam odorata hac quam ſequentes.

Domeſtica flore cæruleo, quæ ab Illyrica non differt. niſi quod Illyricæ radix ſit odoratior & bis floreat in anno.

Dalma-

Dalmatica Clusii, quæ forsitan ad Illyricam nomine loci posset referri.

Lusitanica, biflora à Clusio depicta in Hispanicis & ad me missa.

Bysantina à CL. D. Ioh. Aicholzio communicata, quæ hyeme in fictilibus apud nos asseruanda est.

Variegata è luteo & purpureo obsoleto flore, quem in locis natalibus non promit: in hortum vero translata contra aliarum syluestrium plantarum naturam, altero anno floret, & quotannis postea, ac longe lateq; serpit. Idq; verum esse experientia me docuit, cū eius generis plantas ex monte quodam Franconiæ prope arcem Comitum de Castello mecum deportassem in hortum. Foliis est Acori vulgaris id est aquaticæ flauæ Iridis sed latioribus & rarissime vt aliorum erectis, sed plerunq; mucrone languido & incuruo.

Variegata è luteo & purpureo syluestris alia, foliis erectis vt reliquarum vulgatiorum, à quibus floris colore tantum discrepat.

Minorem segrego in latifoliam & angustifoliam. Illamq; rursus in cauligeram & ἄκαυλον. Cauligera item vel altius assurgit vel humilior subsistit. Itemq; colorum varietates habet, quas ordine iam commemorabo.

Purpurea triplici differentia constat. Maior enim Serotina est & interdū autumno denuo florida. Minor præcox: & inter vtrasq; mediæ magnitudinis itidem Serotina ex Anglia delata, medio labrorum exteriorū candicante macula insignis.

Pallida, vel purpurea macula insignis, vel sine macula, odorata.

Cærulea.

Lutea variegata, Pannonica, odorato flore à Domino Clusio quoq; descripta.

Candida, præcocior illa grandi cuius supra memini & minus alsiosa.

Ἀγκυλὸς plerunq; purpurea eſt, & ſemen gerit omnium Iridum maximum.

Anguſtifoliæ aſcribo Chamæiridem, quæ duas habet differentias. Alia enim odoratiſſima eſt prunorum odorem repræſentans: Alia penitus odore caret, ſola alioquin magnitudine à iam dicta diſcernenda.

Adhæc vndecimã Cluſij Iridem apprime elegantem, caule tenero, foliiſq; admodum ſtrictis, erectis tamẽ. Vide eius deſcriptionem in Pannonicis obſeruationibus.

Vltimo quam Lobelius maritimam inſcribit ac dubitat nunquid ad Medium Dioſcoridis referẽda ſit. Foliis quidem latioribus eſt quam ſuperiores: non tamen vſque adeo latis vt in Anguſtifoliarum cenſu haberi nequeat. Trita Xyridem
„ olent. Aquam deſtillatam è purpureis floribus cum ſpecie-
„ bus Diatrionſandalon & Cinamomo vt efficaciſſimam in
„ Hydropicis commendant Hollerius & Geſnerus.

Iris bulboſa flore vario & odorato, anguſtioribus foliis, quæ hyemis vehementiam poteſt ferre & ſeſe mire ex bulbulis multiplicat.

Iris bulboſa latifolia, flore purpureo latifolio: quæ facile à frigoribus intenſioribus læditur ac putreſcit. Hyacinthum poëtarum putat eſſe Lobelius.

Iris bulboſa flore luteo, cæteris rarior.

Iuniperus maior Italica baccis rubris, quæ in horto per hyemem perſeuerat, itemq; noſtras.

„ Nullum ligni genus carbones præbet, qui diutius ignem
„ conſeruent, vnde ſimilitudo ſumpta Pſal. 120. Baccæ cum
„ lixiuio coctæ & pauco aceto, inſtar catapla ſmatis imponun-
„ tur vlceribus capitis. Cum per deſcenſum lignum deſtillatur,
„ prima aqua quæ exit non eſt adeo valida, quæ tamen vlce-
„ ra erodentia & quæ ex ſalſo phlegmate oriun-
„ tur, plurimum curat.

K.

KALI Cochleatum maius.

Alterum, seu minus. Reperitur in Italia ad Lucifusinam prope Venetias & alibi.

Rubrum & viride geniculatum vltra hyemem non perdurant in horto, nec tamen semen ferunt, sed ad salsos lacus crescere malunt.

Paruum foliis oblongis, supinis coliculis, rubentibus, pro Coride missum.

L.

LABVRNVM, vide Anagyris, Cordo arbor trifolia, quamuis sæpe quatuor & quinq; folia vni pediculo cohæreant, quod in altera arbuscula, quam in horto alo, frequentissime contingit, vsq; adeo vt diuersa videatur ab altera, qui antea hoc non obseruarunt.

Lacryma Iob. Lithospermum arundinaceũ siue maius: cuius grani postquam exaruit, annua enim est planta, semper adhuc exterior quasi testa integra adhæret radicibus.

Lactucæ varia genera.

„Elicitur ex semine eius oleum, cum aqua stillaticia Rosa-
„rum, cuius parum cum iusculo aut vino datur mane per ali-
„quot dies magno cum successu contra pertinacem fluxum
„gonorrhœæ.

Lactuca syluestris Anglica à D. Thoma Pennæo mihi communicata, grandis admodum & alta, odore prorsus Opij. Similis cuiusdam descriptionem D. Lobelius habet.

Lactucella syluestris repens, ambigẽs inter Hieracium & syluestrem lactucam. Herba dodrãtalis, sæpius minor, nunquam altior, foliis per terram sparsis, lactucam syluestrem nonnihil imitantibus. Oblonga enim sunt, & per ambitum pilis raris munita,

nita,ſed anguſta admodum, ſemunciæ latitudine, longitudine trientis, & hac ſaltem ratione, ſi proportionis modum penſites aliquanto ſcrupuloſius, minus conuenientia. Cæteroquin duriuſcula ſunt, amara, ſuperne viriditatis obſcuræ vel nigricantia, inferius cæſia. Coliculis reptitat multis Piloſellæ in modum, ſed craſſioribus: floſculi quoque eidem ſimillimi ſunt, ſed plures vni cauliculo ſine ordine adnaſcentes, calice nigris pilis ornato, è quibus pappoſum ſemē. Prouenit circa hanc vrbem, locis humectis, muſcoſis, apricis, ſterili putridoq; ſolo, vnde erutam, vt eius naturam diligentius obſeruarem, in hortum deportaui.

Lagopus maior, flore rubro à Lobelio quoque deſcriptus. Itemque minor ſponte vbique creſcens, efficax in ſiſtendo ſanguine.

Lamium Plinij, lib.22.cap.14. quod Milzatella Italorum eſſe creditur. In foliis albicantes maculas profert, creſcitque in locis humidis & opacis circa foſſas. Doctiſs. Medicus Reinerius Solenander in quadam ſua conſultatione tradit eius vſum eſſe crebrum in Hetruria, exhibendo puluerem foliorum in ouo ſorbili in lienis obſtructionibus: atque aſſerit ſolum puluerem iſtum in vino feliciter ſe in ijſdem affectibus exhibuiſſe.

Lamium Tragi, flore candido, alioqui tantum purpureo reperitur.

Lamium flore luteo, ex ſylua Hercynia, efficax ad vulnera, vlcera & tumores, vnde quibuſdam Sideritis putatum, & noſtris maioribus Archangelica dictum, vt Lobelius refert.

Lampſana Dodonæi, lacteſcens planta, paſſim obuia. In Pruſſia nominant Papillarem, nam eſt efficax in ſanandis papillis exulceratis.

Lapathum ſatiuum, ſiue Rumex, cuius ſemen commendatur apud nos Vulgi experientia in Dyſenteria, & multo magis

" adhuc eius extractum. Lapathi radicem in aceto coctam & " tritam, quidam lienis tumoribus imponunt.

Lapathum latifolium tam longa, quam rotunda forma. Vocant Rhabarbarum Monachorum, apud veteres Hippolapathum, " & in dupla dosi exhibitum nonnihil purgat. Vocat autem Ioannes Tzezes commentator Hesiodi quoq; Rhabarbarũ, vnde forsitan appellatio illi imposita est.

Lapathum rotundifolium crescit in montibus supra Curiam & non procul à Friburga Heluetiorum. Item in Austriacis montibus. In Belgio vocatur Patientia. Vnde Goropius in Hermathena prouerbium dicit extitisse apud Belgas, Lapathum non in quouis horto prouenire.

Lapathum sanguineum siue sanguis Draconis, sanguineis in viridi lineis pictum. Copiose crescit in subalpinis Taurinorum " montium. Semen imprimis vtile ad nimium fluxum men- " sium intra os assumptum Crescit sua sponte quoq; in Franconia ad Tuberum fluuium.

Larix. Vsitata arbor in multis alpibus. Est resinifera. D. Basilius in Homilia 9 Hexaemerω̃ ait, Laricis arboris lacryma vulpem seipsam curare. Agarico ditiss. syluæ Lariceæ circa Tridentum quoq; habentur: quamuis præparandi & dealbandi artem nesciant.

Lathyris, Cataputia minor, ad Rhenum vbiq; sua sponte pullulans. Plin. lib 27. cap. 11. illi tribuit Lactucæ folia sed tenuiora, Dioscorides Amygdali. Barbari medici in Lecturam & Latiuam corruperunt.

Lathyrus Dodonæi flore purpureo, & alter albo. Pisum angulosum vulgo tam à viticularum quam seminum angulis, Eckerbes. Orobus Fuchsii, Phasiolus minor satiuus Cordi.

Lathyrus syluestris latifolius, Clymenum Matthioli, & alius angustifolius à priore tantum hac nota discrepans & facilius, imo facilime hyemis sæuitiam tolerans. Vtriusq; flos dilute rubellus

rubellus imprimis elegans est. Planta ipsa pedamentis fulta satis alte surgit, ideoq; topiario operi commoda est.
Lauendula, quæ etiam folijs latioribus & albis floribus aliquando crescit: quam ni fallor, vidi in illustrissimi Landgrauij Hassiæ Vuilhelmi instructissimo horto aliquando Cassellis. Hanc quidam Doctiss. vir non asserit sed conijcit esse Iphyum Plinij, quamuis Caryophyllorum florem vel Tunicam altilem eo quoq; nō inepte referri existimet. Plinius Tiphyon habet & nihil nisi quod inter æstiuos flores referat, de ipso tradit. Theoph. vero expresse bulbosum Iphyon asserit & florem ante folia proferre.
„*Laurus vtraq;*, tam latifolia, quam angustifolia, passim nota in „Italia. Herodianus lib. 1. in maxima peste consulentibus Me„dicis, Commodum Imperatorem ob copiam arborum ista„rum Laureatum secessisse memoriæ tradidit. Aridi huius ba„cilli mutuo attritu ob caliditatem innatam ignem concipere „traduntur. Baccæ Lauri & pyra syluestria contusa simulque „imposita fronti & temporib. in linteolis, sedant dolores ca„pitis. Eædem Baccæ cum pauca Scammonea & Croco tritæ „in aceto & oleo rosaceo, instarque linimenti applicatæ in he„micrania diuturna non parū prosunt. Lauri folia olim com„edebant ij, qui nolebant sibi vinum nocere, vel potius qui, „cum vinosi essent, vinum tamen redolere nolebant & sobrie„tatem mentiri conabantur, vnde Martialis:

Folia deuorat Lauri
Merumq; cauta fronde non aqua miscet.

„Aegyptiorum Hieroglyphica Picam folium Lauri ore „tenentem pingunt, quo designabant hominem sibi ipsi me„dentem. Nam pica ægrotans dicitur lauri folia in nidum cō„gerere & illis morbos arcere.
Laurus syluestris siue Tynus. Fert vtcunq; nostrum cœlū. Nimijs tamen frigoribus succumbit. In Samnitibus circa Lanzanam

&alibi reperitur eius magna copia, vocantq; incolæ Moleſſo.

Laurocerasus Clusii, cuius liberalitate hanc raram arborem primum nactus ſum & dum hæc exarabam, copioſiſſime florentem non ſine voluptate aſpexi, quemadmodum ex eius icone ad viuum depicta à nobis inferius exhibita apparet. Itali vocant Laurum regiam, alij Trapezunticam. Propagatur ſurculis, non tamen ſine labore.

Laurus Alexandrina Matthioli, Polygonaton Cluſii in Obſeru. Pannonicis. Naſcitur ſponte in Monte Arbario in Bauaria Bohemiæ contermino.

Ledon latiore folio Italicum, & alterum anguſtiore præditum ac teneriore, Ardiueia Hiſpanorum. Hoc etiam Hypociſtidem producit ſed parum liquoris in ſe continet.

Lens Italica, grandior, & candidior vulgari. Lentes in Aracum mutari doctiſſ. Marantha obſeruauit.

Lentiscus ex ſemine enata, ſed ab hyemis iniuria diligenter cuſtodienda. In Apulia vocant adhuc noſtris temporibus Stinchi, corrupto vocabulo à Græco σχῖνος. Baccæ σχινίδες Hipp. lib. de nat. muliebri. Quanquam exemplaria Græca falſo ἐχινίδας habent. Has Plin. lib. 15. cap. 21. velut oliuas & Corna in cadis muria condiri dicit, ne quid non hominis ventri natum eſſe videatur.

Leontopodium Creticum, Lobelio Syriacum: & alterum vulgare Matthioli, quod potius Pſeudoleontopodium dicendum.

Leontopetalum. Ex ſemine quidem prodijt foliis binis oblongis, criſpatis oris, ſed ad frugem nõ peruenit. Naſcitur in Græcia, & quidem quo ad radicem & fructum conuenit deſcriptioni Dioſcorid. ſed folia & flores plane diſcrepant. D. Rauvvolfius opt. deſcribit in ſuo itinerario Orientalium regionum, „ idq; reperit circa Alepum: atq; tradit incolas radicum maio- „ rum puluere fricare veſtes & hac ratione maculas delere. Sua lingua hoc tempore Aſlab vocant.

Lepidium siue piperitis. Vsus eius in cibis. Alibi sua sponte reperi prouenire ad arcem in montibus Franconiæ Comitum Castellanorum. Candidis minimis & copiosis flosculis odor inest Ligustri florum odorem referens sed non adeo fragrans.

Leucoium flore luteo simplici & pleno. Semen nullum, vt multa in hoc genere, profert quod pleno est flore, sed ex germinib. & surculis instar Caryophyllorum facile propagatur. Conserua huius cum aqua eius stillatitia crebro sumpta præseruat ab Apoplexia & iuuat paralyticos. Plutarchus in libello de Amore fraterno pulcerr. hoc distichon affert:

Inter Echinopodas velut, asperam & inter Ononin
Nascuntur passim mollia leucoia.

Album hortense fruticosum, quale reperi sponte nascens in agro Puteolano. Item rubrum & purpureum, nec non versicolore. Discrepant etiam, quod æstatem vnicā durent quædam plantæ, quædam aliquot annos. Atq; insunt etiam purpureo ob colorē dilutiorē & saturatiorē aliquot differentiæ.

Est præterea rarius folio plane viridi, flore albo admodum odorato, quod per aliquot annos durat, sed hyeme est in cella asseruandum.

Leucoium marinum Clusii maius & minus. Flores odoratiores sunt priusquam Sol oriatur.

Leucoium marinum aliud, Tripolium Aloysii siue Crucigera.

Leucoium syluestre quod apud nos passim in locis montanis prouenit. Cuius pulcram & raram speciem reperi Bononiæ.

Leucoium syluestre minutis flosculis, sed procerius omnibus reliquis leucoijs, ad ripas fluminum & in nemorib. proueniens, vnde in hortos transuecto solo pinguiori, semen quoq; illius quod excidit forte, simul infertur, & ad tædium vsq; areolas late occupat.

Leucoium Syriacum rectius Hesperis Syriaca. Vide supra in Hesperi.

Leucoium

Leucoium Bulbosum, Triphyllum, Hexaphyllum, Polyanthemum. Vulgo ad Narcissos referunt. Et inter illa minus autumnale.

Libanotis prior vel Cachryfera, quæ rotundis foliis prodit è semine, cum pleræq; aliæ vmbelliferæ oblongis oriantur.

Libanotis altera, semine lato, nigricante, odorato.

Ligusticum vulgare, siue Leuisticum, foliis Apij, vnde Hipposelinum est Matthiolo: radicibus in multas partes distractis, nõnunquam cubiti profunditate aut maiore descendentibus, efficatioribus quam reliquæ partes, sed propter excrementosam humiditatem facile teredini obnoxijs. Semẽ vero, quia siccius est in multos annos prorogatur. Vmbrosum locũ desiderat, ideoq; felicius iuxta macerias prouenit, quemadmodum etiam Cordus testatur.

Lilium album, cuius præter vulgare reperitur & alia species foliis & floribus tenerioribus. Constantinopoli allata pro Martago candido, de quo Clusius in Pannonicis.

Fingunt Poëtæ è lacte Iunonis esse enatum. Horatius breue vocat, quia non diu durat. Vnde D. Basilius in explicatione Psalmi 44. Nullum florem hoc melius exprimere fragilem humanæ naturæ conditionem refert. Idq; etiam Theocritus Idyl. 28. innuit:

Λευκὸν τὸ κρινόν ἐστι, μαραίνεται ὄκκα πίπτῃ.

Candidum est lilium, tabescit vero cum decidit.

Rubescere ait lilia Florentinus scriptor rei rusticæ, si eorum bulbis diligẽter apertis puluis aliquis rubri coloris, modo non sit erodens, inijciatur & pingui solo committantur. In Lilij florente caule resecto etiam bulbo semina prouenîunt: quod etiam obseruaui in iride bulbosa.
„ Huius aqua stillatitia ex floribus parata in partu facilitando & secundis ex-
„ pellendis efficacissima, vnde non temere in alijs affectibus
„ danda. Folia incocta vino austero & vulneri diuturno imposita

„ sita secundum Galeni doctrinam in libr. 7. de simpl. Med. fa-
„ cult. multum iuuare, in eundem autorem annotauit Excel-
„ lentiſs. Iulius Alexandrinus, Cæſarius Archiater.

Lilium ſylueſtre, Martagon, flore ſubrubro & albicãte, falſo olim
„ pro Aſphodelo habitum. Empirici vtuntur radice in contu-
„ ſis membris & vlceribus.

Lilium Perſicum: Italis Pennachi del Perſiano apud nos quidem perdurat etiã in hyeme nõ nimis acri, ſed bulbus ſemper decreſcit, nec florem, quod ego ſciam, in Germania produxit.

Lilium Alexandrinum, inter Lilionarciſſos & Ornithogala medium, admodum elegans planta, cuius flos ſuauem odorem præbet, erumpit in fine Maij. Deſcribitur à Lobelio.

Lilium non bulboſum, ſiue Arundinaceum flore ſubcroceo & alterum luteo odorato admodum. Profert interdum germina in ſummitate caulis, vbi flores ſine ſemine deciderunt, quæ terræ commiſſa ſtatim radices agunt.

Lilium conuallium vulgare, & alterum alpinum flore maiore & odoratiore: tertium vero rarum admodum flore ſubrubro à CL. Viro D. Friderico Sebicio ad me miſſum, quod etiam in Belgio coluerunt. Apud Athenæum Doctiſs. Dalechampius interpretatur Oenanthen. Hoc ex ſemine non prouenire vel ſaltem difficilime, teſtatur experientia. Radix eius maior interdum tunicis veſtita inuenitur, ſub quibus paruæ fibræ ſecundum longitudinem porrectæ latent, vtrinq; annatæ ad exortus ſiue genicula, repræſentantes lyrarum cordas, vt videantur nerui ipſius radicis ſolui & in huiuſmodi fibras mutari. Tandem enim ob putredinem dehiſcente tunica, altero extremo abrumpuntur & ſe explicant, ac reliquis fibris ſi-
„ miles fiunt. Radicis, quæ dulcis ac aromatica odorataq; eſt,
„ puluis naribus attractus pituitã elicit, & ſternutationes mo-
„ uet ſine vehemẽtia. Floribus vas impletur bene obturatum,
„ & in aceruum formicarum reconditur per menſem. Liquor

„ inde collectus instar olei sedandis doloribus podagricis & si-
„ milibus affectibus exterius adhibitus perutilis.

Limonium primum Matthioli. Item paruum Narbonense. Difficulter è semine proueniunt, sed hoc illo difficilius, & vix ad florem perducitur.

Linaria vulgaris, & altera flore maiore & magis luteo. Aquam «
huius stillatitiam vrinam mouere in hydropicis multi sunt «
experti, & ad eam rem vtuntur quoq; veterinarij ac inde no- «
men accepit Harnkraut. «

Linaria parua flore cæruleo, in aruis reperta ferme Antirrhino minimo similis, & vt existimo, tantũ annua. In hortum translata prorsus perijt.

Linaria flore cæruleo, in hortum semel translata ex semine postea vbiq; perennat. Sed altera flore albicante & ob odorẽ quem spirat, Caryophyllata dicta, multo elegantior, quæ & ipsa radicibus admodum sese propagat, & diu durat in hortis.

Linaria flore albicante, inodoro, sed eleganti & pene æqualis magnitudinis ei qui passim luteis obuius est, rictu purpureo, è semine nata, & primo anno florida, vix cubiti partẽ tertiam excedens, alioquin Caryophyllatæ linariæ similis.

Linaria Austriaca, quamuis etiam apud nos proueniat, vmbella lutea, quæ in pappos abit, Linaria aurea Tragi.

Linum syluestre Matthioli latifolium flore luteo, in agro Bononiensi vbiq; proueniens.

Linum syluestre tenuifolium flore albo, cæruleo intense, & dilute purpureo. Et aliud pusillum candicantibus floribus sponte vbiq; occurrens circa vineta Franconiæ.

Lingua vulneraria Cordi, Fuchsio Ophioglossum, si horto inseratur vmbrosis locis durat & annuatim repullulat. Seminis loco ei tenuis quasi pollen in linguæ insectionibus, quibus per maturitatem dehiscẽtibus, excidit. Saporem habet herba subdulcem, modice tenuem & aliquantum glutinosum.

Radix

Radix paululum amarescit & subacris est, quemadmodum etiam Cordus obseruauit, qui mōtana loca illi assignat, cum apud nos etiam in plana descendat.

Lithospermon vulgare, maius & minus, quorum hoc albos illud cæruleos flores gerit, itemq; syluestre.

Lonchitis aspera, maior & minor. Hanc ex monte Arbario Bohemiæ finitimo, distante à Ratisbona circiter milliaria quinq; nactus sum: illam ex Italia, vbi Lodouicus Anguillara pro genuina habebat & præferebat ei, quam Lucas Ghinus Lonchitidem alteram esse contendebat. In Dalmatia vero se inuenisse affirmabat, itemque in Græcia. Pruinas & gelicidia apud nos tanquam extremam pestem odit, ideoque à frigoribus diligenter fuerit munienda.

Lotus arbor, à Matthiolo & alijs picta, alijs Celtis. Durat vtcunque apud nos in horto. Italis Perlaro.

Lotus satiua Cordi, Siebengezeit / trifolium odoratum. Dodonæus nescio quibus rationibus adductus existimat haberi posse pro Oxytriphyllo Scribonij, ad venena ac morbos pestilentes commendato. Frequentiss. seritur apud Heluetios propter quoddam Casei secundarij genus, Claronensem vocant, quod hac potissimū herba condire solent. Vide Gesnerum de operibus lactarijs. Eius olei vsus est ad corroborandos neruos.

Lotus alia peculiaris, siliquosa, luteis flosculis, siliquis tenuissimis Ornithopodij, sed non articulatis.

Lotus pulcerrima tetragonolobus, flore ruberrimo holosericū eiusdem coloris imitante, siliquis grādioribus, quaternis membranis per longitudinem extrinsecus distinctis & quasi angulosis. Grana intus cōtinentur pulla, pusillæ fabæ magnitudine. Pisum rubrum quidam nominarunt.

Lunaria Botryitis, in horto non diu durat. Huius quædam species est ramosa ex Silesia à CL. V. D. Friderico Sebicio mihi

transmissa, sed & ipsa vernacula potius loca, quam culturam
„hortensem amat. Refert Gesnerus de Lunariis, & rebus no-
„ctu lucentibus, semini vim veneni esse, idque si equus vel bos
„depascatur, mox intumescere & perire. Quod si ita affecto
„animali herba & folia eiusdem plantæ exhibeantur, venena
„dispelli & liberari animal, de quo plura vide in loco ci-
tato.

Lunaria maior, Bolbonac aliis, flore cæruleo vel purpureo, Thla-
spi Crateuæ Dodonæo est. Biennalis planta. Crescit copiose
in saltibus Thuringiæ syluæ. Alia est flore albicante, odora-
to, perennis Heluetiis, vbi quoq; copiose prouenit, Flüblum.
„Quidam ibidem chirurgus ex contusis eius foliis & saniculis
„parabat vnguẽtum vulnerarium non cõtemnendum. Puluis
„seminis amarifs. cũ aqua appropriata exhibetur in Epilepsia.

Lunaria minor, vulgo Græca: radice alba lignosa & acri. Alyssum
Dodonæo.

Lupini albi, in quorum genere reperiuntur maximi, flore ante-
quam aperiatur, subcæruleo, intus vero albo. Lupinos cum
sole quotidie circumagi, horasq; agricolis etiam nubilo die
monstrare Plinius annotauit libr. 13. cap. 14. Est autem illis
tam imbecilla vis, vt nisi protinus ab area terræ committan-
tur, quasi steriles redditi male proueniant. In nostris vero re-
gionibus hoc non habet locum, imprimisq; si hyemes fue-
rint acriores. Plautus nominat Lupinos aurum comicum,
nam in scena nummis ex Lupino factis pro aureis vtebantur
comici. Et nunc etiam in Italia pueri ex his nummos effor-
mare solent. Vnde Horatius:

Nec tamen ignorant quid distent æra lupinis, id est, sciunt
quantum probati nummi distent à falsis, itemq; boni viri à
malis.

Lupini lutei, flore odoratifs. Leucoij ferè, vnde Hispanicas vio-
las nominant.

Lupini

Lupini sylueſtres flore cæruleo, ſemine paruo inſtar lentis, craſſiore tamen. Creſcit ſua ſponte in Italia circa Viterbium & Piſam ac apud Samnites & alibi.

Lupulus mas & fœmina.

Lutea Plinij ſiue Lutum ſecundum Dodonæũ. Pſeudoſtruthium, Antirrhinum Tragi. Græcis hodie χυμέλη.

Lychnis flore vario albo & rubro. Pleno in Belgio fuit quoq; culta. Sitne Dioſcoridi deſcripta, diſputabitur ſuo loco.

Lychnis ſylueſtris alba & rubra, item viſcida vel noctiflora annua, noctu tantum floſculum odoratiſſimum explicans, coloris albi & nonnihil punicantis. Calix florum multo ſucco glutinoſo muſcas inſidentes implicat. Spõte naſcitur locis cultis.

Lychnis Conſtantinopolitana vel Cretica, Geſnero Ocymoides peregrinum, planta flore imprimis flammei coloris ſpectabilis, vt optime mereri poſſet nomẽ τῦ φλογὸς apud Theophraſtum, ſi non æſtiuus potius quam vernus flos eſſet **Jeruſalem blum/ Türckiſch doſten/** Dodonæus optime pingit.

Lyſimachia flore purpureo, luteo minore & maiore: quæ vltima Pannonica eſt lanuginoſis magis foliis à Cluſio deſcripta. Pro Suchaa Arabum ſumunt Bononienſes in ſuo antidotario ſemen Lyſimachiæ præſertim luteæ, cum ſit præſtantius quam purpureæ ſemen eſt. Serpentibus & muſcis Lyſimachiam ad- „ uerſari certum eſt. Hanc integro ſcripto celebrauit Eraſi- „ ſtratus.

Lyſimachia vulgo altera, Geſnero Chamænerion & Epilobium. Salicariam alij nominant. Onagram vel Oenotheram eſſe cenſet Hiſtoria ſtirpium Lugdunenſis, vbi de hac plura legantur. Flore non ſolum purpureo ſed & albo reperi in Latomijs vicinis huic vrbi, dum eo vna cum Dn. Cluſio expatiarer.

Lyſimachia flore cæruleo. Galericulata Lobelij, paſſim in ripis creſcit apud nos, alijsq; locis paluſtribus. Eius decoctum com- „ mendant in fauciũ putredine, quã vulgo **die Breun** vocant. „

M.

MAIZ rubrum, luteum & varium, Frumentum Turcicum Fuchſii, ſed potius Indicum triticum dicendum, cum nō ex Aſia ſed Indijs primum fuerit allatum. Milium Indicum vult eſſe Dodonæus. In hoc, ſcribunt autores rerum Indicarum, quoddam genus reperiri quod duobus tantum menſib. & ſeritur, & metitur. Farina quidem candida eſt vtilis ad cataplaſmata mollientia & ſuppurantia, ſed inde panis ſatis ater paratur, quemadmodum aliquando feci periculum. Frugem quibusdam inuolucris munitam gerit in coni ſpeciem congeſtam: in culmi ſummitate vero inanem iubam, flori tantum emittendo natam, quamuis interdum etiam huic ad naſcantur grana, vbi nondum plene ſeſe explicauit, potiſſimum circa imam partem qua tunicis veſtitur, quaſi pereat euaneſcens nuditate fœcunditas, eademq; operimentis integra conſeruetur à tempeſtatum iniurijs.

" *Magiſtrantia* ſiue Oſtrutium, Imperatoria. Huius ſuffitu per na-
" res aliqui feliciter vtuntur in abſceſſu cerebri.

Mahaleb, tarde creſcit è nucleo & amat loca montana, quare horto difficulter aſſueſcit. Geſnerus mauult Chamæceraſum Petræam aut Petroceraſum vocare.

Maiorana ſylueſtris in horto durat. Reperi aliquando ſimilem circa Bononiam, dum ibidem cum excellentiſſimo D. Vlyſſe Aldronando montes vicinos plantarum cauſa adiremus.

Malua criſpa ſiue laciniosa Cordi, caulem erigens humana ſtatura plerunq; proceriorem, numeroſis & cubitalibus adnatis ramoſum, vt arboreſcere videatur, quamuis tantum plan-
" ta ſit ſemeſtris, magnam emolliendi vim præ alijs habens. Malua, trifolium, Securidaca, oriente ſole hiant, occidente clauduntur. Pythagoras, vt refert Aelianus τῆς μαλάχης φύλλον ἱερώτατον, id eſt folium Maluæ eſſe ſanctiſſimum dixit, lib. 4. va-

riæ

riæ hiſt: nimirum quia myſteria ſua in hoc olim ſcriptitabant ſacerdotes.

Malua Hortenſis ſiue Romana, vulgo Biſmalua, Herbſtroſen / flore ſimplici & pleno, qui multiplices colorum differentias habet. Reperiuntur enim candido, dilute purpureo ſiue vt vulgo vocant, incarnato, rubro, puniceo, nigricante. Atque hæc poſterior differentia primo anno raro floret & vix durat vltra triennium. Vulgo vocant etiam Ernroſen & coquunt in vino veteri, quo porrigines abluunt & ſanant. Vtuntur etiam ad Eriſipelatis rubores compeſcendos imprimis rubentibus roſis, imitati coloris ſimilitudinem.

Malua arboreſcens, Δενδρομαλάχη, Interdum ad 8. vel 10. cubitos aſſurgens. Tum alibi in Italia, tum frequens in itinere quo itur Piſa ad portum Liburni à me aliquando inuenta. Hyeme apud nos in loco idoneo recondi debet.

Vulgaris Malua duplex eſt, Maiorem vocant Roßpappeln / minorem Genßpappeln / vtramq; cum allio vino incoquunt ad tertias & bibunt contra ſtranguriam.

Malus arbor exiguis admodum & pallidis floribus prædita: fructum fert, quæ vocantur poma nana id eſt pumila. Habentur etiam ſine ſemine interius in fructu. Theophr. l. 3. de cauſ. cap. 23. meminit τῆς μηλέας ἠείνης, quæ vti etiã Myrtus τοῖς θερμοῖς ἀρδευομένη βελτίων καὶ ἀπύρηνος γίνεται. Vide ibidem de Myrto ad balnea nata, fructum ſine ſemine proferente.

Malus Punica. Folia nonnihil fœtent. Arbuſculæ per æſtatem elegantiſſimorum florum puniceo rubore imprimis exornant viridaria. Mali Punici cortices in vino decocti dantur contra vermes.

Malus aurantia & Citrea, vide ſupra in A. & C.

Mandragoras mas & fœmina, Circæa dicta, quia Circe vſa eſt in veneficijs. Hyeme quoq; recondenda, nec tamen ideo apud nos fructum ferunt. Copioſæ creſcunt in Græcia & potiſſimum

mum in Creta Insula. Aiunt quoq; reperiri in monte Gargano siue S. Angeli Apuliæ. Mira proprietas huius plantæ esse dicitur, nam quo intensius frigus hybernum est futurum, eo magis intra terram sese abdit. Tarde semen, atque interdum vix intra annum prouenit. Suauem odorem attamen nonnihil somniferi in se continentem poma Mandragoræ præbent, vnde in Cant. Sal. Cap. 7. legitur, Mandragoræ dederunt odorem in pratis nostris. Ibi alij Violas interpraetantur Dudaim, sed in Genesi Mandragoras inuentos à Liæ filio Rachel expetit ad contemperandum vteri sterilis & retorridi calorem, de quo plura Leuinus Lemnius Bibl. herbarum cap. 2. quamuis eo in loco malint quidam per Dudaim Musæ fructus intelligere.

„ Hamilcar Carthaginensis contra Lybios pugnans, curauit
„ vina hostium corrumpi Mandragora, atq; ita obrutos somno
„ ipsos profligauit.

Marrubium, & præ alijs lanuginosum & grandioribus verticillis Creticum, alioquin nostro simillimum, alsiosius tamen. Est etiam aliud Creticum à Lobelio & reliquis depictum.

Matricaria vulgaris & altera ex Ilua insula maris Thyrreni à Dn. Iosepho do Casa bona Florentia transmissa, odore gratiore prædita. Est & tertia flore pleno in Anglia frequens, quam accepi à Cl. V. D. Thoma Pēnæo Medico Londinensi præcipuo, postea vero etiam à C. Clusio, communicatis floribus, qui aridi terræ mandati semine intus iam maturo plantas plurimas tulerunt. Commode seruntur pluuia imminente, etiam vel media æstate, cum alioquin cum alijs seminibus vulga sati nasci recusent.

„ Matricariæ viridis parum contusa folia vertici capitis im-
„ posita dolorem à frigidis humoribus ortum plurimum mi-
„ tigant.

Matricaria siue parthenium alpinum à Clusio in Pannonicis descriptum

ptum, flore albo, à quo primum nactus ſum, rara planta, ſed hortũ paulo poſt deſeruit, cum amet loca montana, inculta. *Medica.* Huius aliquot differentiæ. Ex his perennat, quæ flore cæruleo & interdum luteo, interdum ex vtriſque coloribus mixto & quaſi vireſcente eſt, reliquæ annuæ ſunt, quarum quandam habemus ſub nomine Medicæ Arabicæ ad nos miſſam, foliis ſingulis cruenta macula inſignitis, cuius picturam exhibemus. Eſt & alia lato ſemine, quam ideo platycarpon vocamus. Item rotundo magno & paruo, nec non minuto hirſuto. Doctiſſimus olim præceptor meus in re herbaria Aloyſius Anguillara ſubdubitabat de Medica, quod ſemen ſimile lenti ſecundum Dioſcoridem omnibus deeſſet, excepta platycarpo à nobis dicta, quæ ſemeſtris tantum eſt herba. Sed verba illa, ἐφ' οἷς τὸ σπέρμα περιπέφυκε φακῷ τὸ μέγεθος, non in cunctis eodem modo leguntur, arguitque varietas vitium. Quæ florem purpureum profert, adhuc noſtris temporibus in Hiſpania vocatur Allafalſaga vel Alfalſes corrupto nomine, ab Auicennæ Alfalſaſat, qui etiam Cot appellat, oleumq; al Cot ad tremorem maxime commendat, Geſnerus liquorem ex Alfalſes Hiſpanorum, igne elicitum aduerſus calculum. Mirum eſt, quòd Plinius memoriæ prodidit, herbam hanc vno ſatu tricenis annis durare. Ex eadem Plutarchus in libello cõtra Epicurum ſimilitudinem deſumpſit egregiam. Sicuti, inquit, herbæ Medicæ ſemen multis flexibus & per obliquum terræ innaſcens ob aſperitatem multo tempore perdurat, ita dolor vncinos & radices diſſeminans, carnique implicatus adhæret non diem modo aut noctem, ſed annos & aliquot luſtra, ægre aliis doloribus tanquam clauis violentioribus expulſus diſcedit. Medica etiam nutriri boues lactãtes, vt plus contineant lactis, iubet Sotion in Geoponicis, itemque Varro. Ariſtoteles cõtra lib. 9. hiſtoriæ animalium, cap. 21. Pabuli genus, inquit, aliud copiam lactis extinguit vt

Medica herba & præcipue ruminantibus: aliud auget vt Cytisus & eruum. Qui in Hispania rem obseruarunt, vbi quotidianus in iumentorum pabulo eius vsus est, referunt nullo cibo prius magisque lætari & pinguescere iumenta pecusque omne: parcius tamen dari, quoniam inflet & multum creet sanguinem, quem deducere postea necesse sit, annotãte Vergilio Marcello. Fieri itaque potest, vt lactis abundantiæ conducat, modo non ad satietatem vsque vaccis præbeatur, id quod etiam Plinius vetat, alioquin nihil mirum Aristotelem vera scribere, & vniuerso in sanguinem, adipem & carnes alimento redacto, non superesse quod in lac conuerti debebat.

Medica pusilla, capsulis echinatis ex nemore prope Lipsiam, der Rosenthal vocato. In Lugdunensi herbario Tribuli species.

Medica marina descripta in Hispanicis obseruationibus à Car. Clusio.

Medium vulgare, nam de vero adhuc non sine causa disputatur. Dodonæo Viola Mariana, flore albo, cæruleo & purpureo. Inuenitur copiosum in Campania, qua itur Neapolim.

Melampyrum Dodonæi spõtaneum inter segetes negligi mauult, quam in hortis coli. Si tamen alicubi expetatur ob floris elegantiam, autumno seri necesse fuerit.

Melanthium siue Nigella, Gith. Quamuis desint secundum Dioscoridem folia Senecionis. Flore simplici & pleno albo, item semine albo, & aliud.

Damascenum dictum semine pallido, quod Bononienses in suo Antidotario substituunt pro Cardamomo maiore Arabum.

Damascenum Cordi, flore cæruleo nigrum insipidum & inodorum, quantumuis vegetum, semen gerit.

" Oleũ Nigellæ apud Rasin habetur ad impetigines efficax.

Syluestris

" Sylueſtris Nigellæ, quæ in tritico multum creſcit, herba
" optime trita cum melle peſſarij loco vtitur Hipp. in lib. 1. de
" morb. mulierum ad menſes mouendos, dicitque eſſe δηκτικὴν
" ἰσχυρῶς, id eſt, valide morſum inferre.

Melilotus Italica, & noſtra *Germanica*. Bononienſes iam cõmemorati loco veræ accipiunt Trifolium Caballinum dictum, vel Melilotum vulgarem, qui potius eſt Lotus. In Marſis ad lacum prope oppidum Celanum vera hæc planta creſcit, vbi incolæ hodie adhuc Malatro corrupto nomine appellant. In agro Romano vocatur Coronella ad imitationem antiquorum, qui Romæ Sertulam Campanam nominabãt. Admodũ diu retinet odorẽ ẽt in multos annos præ aliis herbis.

Meliſſa noſtras, præterea Fuchſij, quæ paſſim in Germania occurrit. Eſt & *Turcica ſiue Moldauica*, nam ibi dicitur ſponte creſcere, odorata, flore cæruleo & candido. Meliſſophyllo ſi- "
ue Melittæna ſi perunganturalucaria, non fugiunt apes. Nul- "
lo enim magis gaudent flore. Item præſentiſſimum eſt con- "
tra ictus earum remedium, teſte Plinio lib. 21. cap. 20. "

Melones Americi, & alij Italici, Patauini, item Zatti dicti, Piloſi, Hyberni, Aurei parui in modum pomorum Aurantiorum. Deniq; Gymnoſpermi ſic appellati, quod ſemina intus natura videantur excorticata, vſq; adeo tenui cruſtula teguntur, Neapolitanorũ delitiæ, vnde primũ ad me miſſa fuerũt à peritiſs. Pharmacopæo Ferdinando Imperat. Vulgares olitoribus committo.

" *Melongena* ſiue Melanzana, aliis Mala inſana. Toletani vocant
" Verengena, à quib. tametſi craſſum & melancholicũ ſuccũ
" præbent, variis modis comeduntur. Nam cũ carnib. pinguib.
" elixis, caſeo addito, illis veſcuntur: præterea ſeruantur aceto
" ac tota hyeme varie concinnantur, aut melle condiuntur vel
" ſapa. In Italia quoq; cocta comeduntur ſine noxa, niſi copia
" ipſorũ cruditatẽ ſibi quiſpiã accerſere velit, quare Mali inſani

 nomen,

nomen, forſitan ex Hiſpanico deprauatum non bene illis cõuenit. Sunt varij generis, ſpinoſis foliis & abſque ſpinis, inter quæ eſt ſpecies fructu Colocynthidis, ſed cum regiones calidas requirant, apud nos fructus nunquam vidi maturos fieri.

Mentha odorata, anguſtifolia, Criſpa ſiue Balſamita, Cardiaca, paluſtris, item Sarracenica ſiue Græca dicta, Coſtus horto- „ rum apud Geoponicum, vtilis ad concoctionem, ſtomacho „ & cordi amica. Mentha quæ ſpicatos floſculos gerit, ſemen raro perficit & vel maxima ex parte infœcundum gignit, idq; adeo minutum, vt pene viſum effugiat: radicum tamen reptantium germinibus abunde ſe propagat. Ideo apud D. Baſilium homil. έ, Hexaëm. legimus relatam inter ea, quæ τοῦ πυθμένος καὶ τῆς ῥίζης τὴν δύναμιν ἔχει τῶν σπερμάτων, vt etiam κάλαμος, ἄγρωστις, κρόκος, σκόροδον, βούτομον. Nec video cur loco σκορόδου quidam κάρδαμον legant, cum Naſturtium quotannis ex ſemine haberi neceſſe ſit, Allium vero ex nucleis & prole rectius ſeratur, ſemine autem, vt quidam tradunt, non ſine noxa. Huius rei mentionem facere placuit, vt qui forte in illum locum inciderint, habeant, quo ſe prompte extricare queant.

Menthaſtrum cæruleum, item flore dilute purpureo ſiue incarnato Pannonicum, & aliud hirſuto folio, ac inſuper Tuberoſa radice, maiore & minore.

„ *Mercurialis* mas & fœmina. Beneficio huius ſucci & Ibybiſci „ ac Portulacę plumbum liquatum manibus tractari poſſe no- „ tum eſt, inquit Coſtæus in lib. ſuo de ſtirpium natura. Cum „ oleo irino & roſaceo peſſarij modo admota herba prouocat „ menſes. Marcellus Verg. perquam facete inquirens cur diui- „ no nomine commendetur Mercurialis herba, vulgaris alio- „ quin, & quæ ob nimiam ſoluendi vim pro maledicto ſit: ait „ tandẽ credere ſe, quòd in extremo capitis 201. ex aliorũ fide à „ Dioſcoride lib. 4. & Plinio 25. volum. cap. 5. traditũ eſt, diuini

„ eius nominis causam fuisse. Id enim magis Deum hominib. „ ostendisse decuit rarum, incognitum, multisq; omnibus se- „ culis optatū: qui aut dum ægre ferunt, plures sibi nasci filias: „ vxorumque suarum in eo sexu fœcunditatem calamitosam „ sibi fore animaduertunt: aut dum nominis sui memoriam, „ generis subsidiū, hæredes familiæ & Reip. ciues post se quo- „ tidianis victimis & precibus reliquisse optant, qua ratione a- „ lia præstare id sibi possent à Deo cognouerunt. Factumque vt „ Græci ἑρμοῦ πόαν, id est, Mercurij herbam, latini Mercurialem „ vocarint.

Mercurialis mas & fœmina syluestris, supra Cynocrambe.

Mespilus Setania, maioribus vulgari fructibus, Gallica, & altera humilis siue Chamæmespilus, descripta à Gesnero in Valerij Cordi obseruationum editione.

Meum Crescit multum in Italiæ alpibus, in monte imprimis S. Angeli, vocaturq; Finochiella. Hoc in alpibus quoq; Pannonicis obseruauit Clusius.

Meum Silesiacum foliis Cicutæ & pene caule, sed perpetua radice & nonnihil aromaticum referente gustu, multiplici nodosa & iuxta latera se propagante, non recta descendente: vmbellis candidis, oblongo semine, à CL. viro D. Friderico Sebicio mihi communicatum.

Milium aureum. Item album, multo candidiore semine quam vulgare. Adhæc nigrum, quod tamen semel satum postea nō ita facile extirpatur. Milium & Triticum non ferunt irrigationem frequentem.

Milium Indicum Plinij nigrum, album, rubrum, luteum. Vulgo „ Sorgi vel Melica. Panes in Italia in agris inde conficiunt ni- „ gros admodum & duræ concoctionis.

Millefolium flore albo, purpureo & luteo: quod vltimum vocat Matthiolus Helichrysum Italicum. Puluis millefolij efficax „ est in dolorib. colicis ad ℥. 1. exhibitus in vino, & datur vtili- „

ter quoque de eo puerulis in pulte.

Molle, arbor apud Dn. Clusium in Annotationibus versionis Nicolai Monardis Hispalensis. Sequenti vere exaruit, cum magno studio hyeme fuisset à nobis asseruata. Liquorem vbi folia decerpebantur, emittebat lacteũ, odoratũ admodum, plane lignum Sassepes referentem.

Molucca siue Melissa Constantinopolitana, odorẽ Peponũ refe-
„ rens. Alte crescit: annua planta est. Succus eius in vulnerib. ca-
„ pitis cõmendatur. Est alia eius differentia, aspera dicta, fœtida potius quã odorata, quæ nõ ita facile ad maturitatẽ peruenit.

Moly Theophrasti à Dodonæo & Lobelio descriptum, & alterum Indicum, dictum Caucason.

Moly Dioscorid. flosculis albis, sub quo nomine peculiaris plantula allium referens, ex Gallia olim ad me missa fuit ab humanissimo Domino Nicolao Rassio Chirurgo Regio peritissimo. Reperitur etiam Romæ Neapolim versus, non procul à Mola vel Caieta, & circa Neapolim Puteolos versus, hæc ipsa planta vel simillima.

Molybdena siue plumbago Plinij, Dentilaria Rondelletij. Romæ herba S. Antonij vocatur, Italis ceteris Crepanella, in Illyria
„ Cucurida. Caustica est planta, quæ applicata carpo in dolori-
„ bus dentium, admodum commendatur, quamuis alij etiam
„ manu retentã efficacẽ esse existiment. Apud nos raro florem multo minus semẽ profert. Radix tamen viuacissima est, nec vnius tantum anni, modo frigore non aboleatur. In Hispania & Lusitania quoq; esse frequentem Clusius annotauit.

Morus vulgaris, & illius pumila species siue Chamæmorus, quæ iam in duodecimum annum in horto colitur, nec vnquam adhuc fructum protulit.

Morus alba, alimentum in Italia Bombycum, quamuis Anno Christi 1559. primo vere in magna annonæ caritate cimis earundẽ pauperculã quoq; plebẽ Patauij auide vesci viderim.

Morsus Diaboli purpureo, cæruleo & albo flore. Hanc postremam differentiam mecum detuli ex Bauaria non procul à Pfaffenhouio crescentem. Ad Scabiosas non male refertur. Huius succi multus vsus, imprimis vero vtiliter admodum additur gargarismis in Angina.

Moscatella, species quibusdam minima Ranunculi, alij ad Capnum referunt. Crescit copiose Basileæ & alibi. Syluestris multo maiore Mosci odore prædita est, quam in hortum translata, vbi tamen plurimum sese propagat.

Muscari Turcarum flore ex viridi purpurascente, & rarior eius species flore luteo: odoris suauiss. vnde nomen illi impositũ, à Dn. Clusio in Pannonicis plene descriptum. Ad hyacinthos referenda planta, quamuis Matth. pro Bulbo vomitorio habuerit. Tibcadi à Turcis appellatur. Accepi etiam bulbos insignitos nomine Mischrimi.

Muscipula. Vide Lobelij picturam.

Muttelina ex Arba monte, vbi Bärwurtz appellant, qua ad suos caseos cõdiendos vtuntur Heluetij, nominãtes Mutry. Eius imaginem ante hac depictam dedimus. Herba videtur inter Carum & Meum quasi ambigua.

Myrica siue Tamariscus Gallica. Altera quæ in Germania passim ad Danubij ripas crescit, nõ facile culturã hortensem recipit, nisi ad aquas collocata, cum prior diu in horto duret, modo hyeme recondatur. Legitur apud Nicandri interprętẽ in Theriacis, Apollinẽ vaticinos sanxisse mirifica pronunciare mortalibus futura, virgis Myricinis vtentes, propterea hunc fruticem Nicander Μάντιν, id est vatem vocat. Apollo inde in Lesbo tenebat manu virgas Myricinas, quare Myriceus dictus. Et plerisq; locis virgarũ vi Dion antiquos fuisse vaticinatos scriptũ reliquit. Legimus præterea Magos virgas vertisse in Dracones & miracula à Mose vi virgarum facta, quæ certe diuino afflatu fiebãt, nõ Magico vt Plini. lib. 30. cap. 1. impie opinatus fuit, Magices factionem à Mose memorans. *Myrrhis*

Myrrhis ſatiua quam alij vocant Seſeli Peloponnenſe. Habui & minorem à CL. V.D. Ioanne Aicholcio Vuienna miſſam. Eſt & ſylueſtris & paluſtris.

Myrtus communis Italica, Mortella, & domeſtica altera ex Hiſpania allata, fructu albo, quo D. Cluſius me donauit, ſed frigoris impatiens perijt.

„ Veneri eſt dicata, quia multus vſus in morbis muliebrib. Frigus ferre nequit, vnde Ouidius: Metuentem frigora myrtũ dixit. Virg. amantes frigora myrtos. An Ouidius de plantis tenellis loquitur, Virgilius de adultis? Nam & hic Ecl.7. dum teneras defendo à frigore myrtos.

Myrtus Tarentina, quam diu in fictilibus aſſeruo, florem copioſe at minime fructus ferentẽ. Surculis poteſt propagari. Aqua „ inde odoratiſſima ſtillatitia paratur. Ex Myrto per inſitio- „ nem Malum punicam creſcere Plutarchus in Sympoſiacis autor eſt.

N.

NAPELLVS.

Napus, italice Naoni.

Nardus Celtica cum gleba propria huc translata ex montib. Noricis, pulcre floruit, ſed vltra tertium annum in horto non durauit. Selliga vocant in Valeſiorum montibus vnde Geſnerus Saliuncam eſſe putauit.

Nardus montana Matthioli, ex ijſdem locis allata, magis hortenſis planta quam prior.

Narciſſus exoticus ſiue Conſtantinopolitanus plenis floribus, fragrantiſſimis, qui primo anno ſuo tempore ex Italia allatus mihi floruit, ſed poſtea ijdem bulbi nunquam rurſum, quamuis virerent & multa prole quotannis augerentur, florẽ præbuerunt, ſicut quoque de Lilio Conſtantinopolitano,

quod

quod ipſe vocat Ornithogalon maius, Cluſius obſeruauit. Non itaque omnis fert omnia tellus. Turci vocant Giul catamer lalè.

Narciſſus Conſtantinopolitanus, quem Ziden Sari vocant, iam demum ab amico ex illis locis trāſmiſſus, bulbo anguloſo, nec admodum oblongo, tunica tenui nigra veſtito, cuius florem proximo anno expecto, vt & aliorum, quos ſimul accepi nomine Zirimcada Catamer floribus albis & luteis.

Narciſſus albus maior & minor.

Narciſſus iuncifolius maior & minor, odoratiſſimo flore, vterq; hyemis acrioris impatiens.

Narciſſus luteus præcox & ſerotinus, flore duplici & multiplici. Codiaminum Plinij quorundam ob nolæ formam.

Narciſſus ex luteo pallidus, flore pleno, nullo intus calice.

Narciſſus luteus polyanthos, id eſt, plures vno caule flores gerens, fictili aſſeruandus, brumæ ſæuitiæ impatientiſſimus.

Narciſſus autumnalis luteus, Cluſio in Hiſp. Lirion Theoph.

Narciſſus Perſicus Cluſii in Pann. Hic lubentius quam ille frigori noſtro aſſueſcit.

Naſturtium tam latifolium quam noſtras. Aqua huius ſtillatitia « pota ſanguinis reiectionibus prodeſſe traditur ab Alexan- « dro Benedicto. Semen eius contra vermes recte vſurpatur. « Idem contuſum & in vino exhibitum feliciter datur in caſu « & ſanguine concreto, vt ſudor inde excitetur, quod vſitatum « eſſe in Auſtria & Vngaria Dom. Cluſius in ſuis obſeru. Pan- « nonicis annotauit. Semina quædam vetuſta, vt Naſturtij, « Apij, &c. celerius naſcuntur quam recentia, quod ēt Theophraſtus annotauit. Cibus fuit Perſarum, vt apparet ex Xenoph. Cyri παιδείᾳ. Iubentur Naſturtium edere apud Comicos, qui parum animi habent.

Naſturtium Indicum Dodonæi, cuius deſcriptio apud eūdem, nec non apud Lobelium & Coſtam, qui cruentum florem inſcri-

O bit,

bit, legi potest; denique etiam in Lugdunensi herbario. Iconem vero ex ipsa planta, qualis mihi nata fuit, affabre depictam cum aliis modo damus.

Nepa, sic Scorpium vertit apud Theophrastum Theodorus, in fictilibus asseruanda. In Gallia & Hispania frequens.

Nepeta, & minor species dicta Nepetella.

Nepeta Germanica, Gattaria vulgo, quia Feles ea herba plurimū delectantur, quod non semel obseruauimus. Huius decoctū in suffocatione matricis, vt & herbæ olfactus plurimum conducit. Prioris vero vsus in pellenda scabie, si ex ea in aqua decocta, loca sæpe foueantur. "

Nerion siue Rhododaphne, siue Rhododendrum, Oleandrum vulgo, flore rubescente & albo. Diligenter in fictilibus asseruanda. Crescit copiose, vt D. Rauvvolfius obseruauit, circa Tripolim, vbi incolæ vocant Defle, itemq; in Creta. Mirum, inquit Plinius, Rhododendri folia quadrupedibus venenum esse, homini vero contra serpentes præsidium, ruta adhibita & è vino pota. In Hispania tamen huius succo sagittas nostris temporibus infici, vt lethalia inde vulnera fiant, à multis audiui. Palladius iubet Nerio aditus murum syluestrium claudi, qui hoc flore, dū exire conantur, pereunt. Oleum ex hac planta Mesues accipit ad vnguentum Psoricum: & Auicenna cōtra Scabiem & asperitates cutis succum eius vsurpat. "

Nil, siue Anil, Egregia planta, ex qua fit Indicum in Aegypto, Arabia & India. Semen misit doctiss. vir & medicus insignis Lugdunensis Dalechampius. Foliis prodiit glaucis, nonnihil repræsentantib. Barbæ Iouis folia, sed latiorib. verum non peruenit ad frugem. Vide Clusij annotationes in Garciam lib. 2. de plant. historia, cap. 26.

Noli me tangere, infra Persicaria siliquosa.

"*Nummularia*, vbiq; nota planta & ad vlcera oris & Stomacacen
" cocta in lacte caprino admodum vtilis. Multum conuenire

cum

cum deſcriptione ἐρευθεδάνου apud Theoph. quod Rubiam tranſtulit Gaza, quãuis hæc ſit planta ſatis nota, exiſtimabat Anguil.

Nux auellana ſiue pontica, inter quas apud nos Cellenſes à quodam monaſterio prope VVurzeburgum denominatæ aliis præferuntur. Eorum cremor in calculo renum & ardore vrinæ vtiliter exhibetur. Creſcunt etiã apud nos maiores iſtæ, quas à loco vnde afferuntur, Lugdunenſes vocamus.

Nux iuglans. Huius quoq; à magnitudine & duritie corticis aliquot reperiuntur differẽtiæ. Antipathia dicitur eſſe huius arboris cum quercu, vt vna alteram nõ ferat. Decerptus huius medius cortex, præſertim vbi ſucco ſcatet, ac arefactus tritusq́ue vomitum prouocat, idq; adhuc mitius præſtant iuli eius, qui & catuli vocantur. Hi furno ſiccati tuſiq; a ʒ.s. ad ʒ.j. ex cõueniente liquore aut vino albo ſurſum purgant, colicis dolorib. ac nephriticis vtiles. Alii folia in Maio tenera vel turiones in aqua decoquũt, ac ad aluũ moderate leniendũ vtũtur. Radices vero, tum ſuccus expreſſus vomitũ & aluum ſatis valide mouet, experientia teſte, quo remedio ruſtici vti ſolent.

Aqua ex immaturis nucib. deſtillata vtilis eſt in peſte. Præterea commẽdat Paræus Chirurgus regis in Gallia ad diſſoluendos thrombos cõcreti ſanguinis: Quidã vtuntur in malis vlcerib. tibiarũ, vbi caro putrida apparet, & contra Meliceria Celſi: quãuis de hoc vocabulo dubitetur inter doctos, ita tamen rẽ deſcribit, vt cũ eo affectu, quẽ vulgo das Gliedwaſſer vocãt, cõuenire videatur. Hæc arbor, ſecundũ Iul. Cæſ. Scaligerũ, exudat gummi, medicamentũ aptũ ad affectus renum.

Nux metel. vulgo, Stramonia Fuchſij, Pomum ſpinoſum. Interpres Theocriti ex Crateua deſcribit Hippomanes, quod Anguillara conijciebat, non tamen affirmabat, huic plantæ cõuenire. Cardanus dubitat an inter Solani differentias ſit collocanda, cum folia ſuccum nigri papaueris oleant: ipſa vero poma, ſi cocta edantur, delirium cum riſu excitare ait.

O.

OCIMVM siue Basilicum maius quod ab odore & figura foliorum citratum vocant, medium & minimum Caryophyllatum dictum, & quidem vnumquodq; album & nigrũ. Alui ante aliquot annos & aliam differentiam sub nomine Basilici Indici vel potius Hispanici (sic enim ferme omnia exotica vocant) ad me ex Italia missam, serratis & crispatis folijs subcæruleis. Crispum Basilicum merito cognominaretur.

Cum pleræque plantæ noctu vtilius irrigentur, ocimum tamen affusa aqua interdiu & sub solis æstu proficere plurimum solet, vnde contra aliarum plantarum naturam magis gaudet calida irrigari quam frigida, cuius rei Doctiss. Costæus hanc affert causam: An, inquit, qa imbecilla sit planta? imbecillitatẽ enim id prodit, ꝙ nisi frequenter irrigetur, tabescit. At contra tepor laxando corpora imbecillitatem potius auget quam minuat. Neq; ocimi imbecillitas ob caloris esse penuriam potest, in quo caliditatem vigere insignis odor persuadet. An ergo potius Ocimi imbecillitas ob laxitatem est substantiæ, cuius causa, quia profusior fit innati humoris dissipatio, propterea celeri quoque & assidua opus illi est alimenti penetratione, hæc autem fit beneficio teporis. Non est hoc profecto à vero dissimile. Sic ille lib. 2. de natura stirpium cap. 9. Idem perhibet ocimum æstate tota in aqua non secus ac in terra virere, florere & semina quoq; interdum proferre, quod sane admiratione non caret. Libet hic afferre lepidam historiam de hac planta Augustini Iustiniani Genuensis lib. 6. Franciscus Marchio Iurisconsultus missus à Genuensibus orator ad Ducem Mediolanensem, cum eum non vellet audire, nec pactis conuentis cum Rep. Genuensi stare. Captata occasione obtulit Duci manipulum herbæ Basilici. Qui admirabundus, quid sibi hoc donum vellet, quæsiuit. Cui ille

respondet:

respondet: Eiusmodi proprietatem huic plantæ inesse, vt leniter & suauiter contrectata præbeat gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita, tandem produceret Scorpios: atq; ita simile omnino esse ingeniũ Genuensium. Dux ingenioso hoc responso admodum delectatus & sententiam priorem mutauit, & legatum honorifice dimisit. Scorpiones autem sub fictilibus in quibus Basilicum colitur, libenter stabulari, sæpius Venetijs obseruaui.

Ocimoides Matthioli. Vidi flore pleno in horto Electoris Heidelbergæ.

Arboreum vel fruticosum potius, folijs Myrti, splendidis, flore rubro.

Repens, itemq; Angustifolium flore rubello.

Aliud flore suaue rubente ex monte Arba delatum.

Ocimoides noctiflorum, quod noctu tantum florem odoratum explicat per æstatem, autumno vero & ingruente hyeme inodorum. Item congeneres plantæ. Vide Lychnis syluestris.

Odontis siue Dentelaria,

Odontis quorundam siue flos Cuculi apud Tragum. Gauchblum/ candido & rubello flore, itemq; pleno Venetijs nomine Margaritæ accepta.

Oenanthe Guillandini, semine in vmbella concreto inuicem, peculiari ratione, quæ in alijs vmbelliferis non quod sciam, obseruatur, tuberosa radice, folijs Apij, minutis. primo anno flores candidos protulit è semine modo nata, vix duarum vel trium vnciarum plantula.

Olea ex taleis propagatur, hyeme recondenda. Hanc in crescendo cinere è Calcarijs fornacibus maxime adiuuari Costæus ait esse obseruatum, alioquin lente crescit, vnde Virg. prolem tardè crescentis oliuæ. Perpetuo viret vnde ἀειθαλής. & Ouid. Ramis semper frondentis oliuæ. Ad ducentos deniq; annos viuere aiunt, quare Virgil. in 2. Georg. cecinit:

Difficiles primum terræ collesq; maligni
Palladia gaudent ſylua viuacis oliuæ.

Inſigne olim pacis fuit. Huius liquorem nimirum oleum Plato in Menexeno πόνων ἀγωγὴν, id eſt laborum ſubſidium & adiumentum hominibus datum eſſe ait. Oleam ita quercum auerſari Coſtæus quoq; annotauit, vt in ſcrobe poſita, in qua quercus creuit, non viuat.

Onopordon vel Acanthium Illyricum. Moderatas hyemes facile ſuſtinet, ſed vehementioribus ſuccumbit.

,, *Ophiogloſſon*, humidis pratis gaudẽs, herba vulneraria. Locis vmbroſis poſita in horto durat. Supra Lingua vulneraria Cordi.

Ophrys Plinij, vide Bifolium.

Opuntia, vulgo habita, quamuis diuerſa videri poſſit à Theophraſti Opuntia. Vt Plinius vertit, herba eſt Opuntia etiam homini dulcis, mirumq; è folio eius radicem fieri & naſci ſic etiam. Tune ſiue Tunas Indis, Anapallus Bellonij. Aliqui in Italia referunt ad Palam Plinij, haud ſcio quã rectè. In inſulis Perunianis & potiſſimum Hiſpaniola, ſponte creſcit. Tranſlata in Hiſpaniam, Italiam & Galliam fructus etiam maturos profert, ſed apud nos optime munienda cum facile putreſcat & frigoris ſit impatiens, nec tamen etiam loca nimis occluſa ferat. Mirum enaſci plantam hanc ex ſemine duriſſimo. Prodijt nobis hoc anno, quo hæc exarabamus, decimo ſexto die à ſatu, maturius forſan proditura, niſi obſtitiſſet frigus inſolitum, quo hac æſtate tanquam ſæuiſſimæ hyemis reliquijs interdum ſumus conflictati. At alterũ ſemen, eodem tamen tempore cũ priore terræ mandatum, tertio demum menſe erupit. Cum primum exit, folia duo craſſa, mucronata, rubentia oſtendit, è quorum medio quaſi pili candicantes & rubeſcentes ſimul emergunt, quos ſtatim ſequitur folium ijſdem veſtitum & hirſutum totum, nec latum, ſed teres: progreſſu temporis paulatim in latitudinẽ cõprimitur,

aculeis

aculeis rubentibus & albicantibus, mollibusq; armatum, iucundissimo sane Naturæ spectaculo. Fructus pulpa succosa " & rubens est ac instar Mororum succo sanguineo manus in-" ficit: cuius crebrior esus vrinam cruentam efficit. Succũ foli-" orum vlceribus vetustis vtiliter adhiberi aiunt. "

Orchis, Cynosorchis & Testiculus canis maior, flore dilute purpurascente, siue incarnato. Medius purpureo flore, Minor guttato sanguineo. Et alius minor flosculis albis, foliis crassis nigris, radice repente, geniculata, & vbi folia emergunt, apparent pusilla rudimenta tanquam naturæ testiculos effingere conãtis. Nascitur sponte in opacis syluis, in ramentis arborũ, quæ longa vetustate emarcuerunt. Ad hortos translatus durat, sed colorem acquirit magis pallidum, nec tam crassa manent folia. Mons est S. Mauritij dictus, via qua itur Herespruccum, duobus milliaribus ab vrbe distans, in cuius humidioribns partibus plures huius plantæ differentiæ reperiuntur.

Orchis bifolius, qui nonnunquam trifolius nascitur, vnde Fuchsio Dioscoridis Satyrion esse placuit.

Orchidem flore albo, odorato, vel Spiralem C. Gemmæ ad me misit ex Silesia D. Fridericus Sebicius.

Orchis Serapias Lobelij, Satyrion basilicũ aliorum, flore candido, dilute rubescente & rubello. Ex his tertium folia interdum maculis cruentis aspersa gerit, interdum sine maculis. Priora vero duo maculis in horto meo nunquam carent, nescio an " alibi etiam. Odoratissimo flore minima quædam species al-" pina prædita est, coloris ex puniceo nigricantis, quem dysen-" tericis præbent frixum cum ouis vel in puluerem redactum " ex vino propinant. Radix etiam Orchidum reliquorum in " vino stiptico cocta & rursum exiccata non leui successu datur " in dysenteria.

Origanũ Heracleoticũ flosculis ex albo purpurascentib. & nonnunquam

quam candidis. Fert hyemem, niſi fuerit plane prodigioſa, qualis anni præteriti.

Origanum Creticum, folio magis albicante & hirſutiore. Hye-
,, mem non bene tolerat. Pulueriſatum & in iuſculo exhibi-
,, tum nonnihil purgare obſeruauit Braſſau. in libr. de purgan-
tibus.

Origanum ſylueſtre, flore albo, ita quidem vulgo vocatur, quod paſſim creſcit, & potius ad Heracleoticum eſt referendum. Nam ſylueſtre quod ſecundum Nicandrum Dioſc. deſcribit cum vmbella anethi inſtar, alba tamen, Anguillara dicebat in Italia ſibi non eſſe viſum. Origanum ſylueſtre eſſe Cunilam Bubulam dictam Ruellius probare conatur.

Origanum onites, aliud ab eo, quod Matthiol. pingit, foliis multo candidioribus altero, flore albicante in vmbella ampliore. Planta eſt minus alſioſa quam Creticum & Heracleoticum. Amant ad condiendum putre ſalſamentum.

,, Origano adhuc in Illyria & Græcia vtuntur propter acrem
,, ſaporem in ferculis loco aromatum. Antigonus in farragine
,, memorabilium narrationum ſcribit Teſtudinem vbi ſerpen
,, tem adit, Origanum inſuper edere & quodam tempore acci-
,, diſſe, qui hac re obſeruata origanũ eo loco abſtulerit; & tum
,, teſtudinem eo orbatam perijſſe. Idem autor Græcus addit
,, palumbes percuſſas Origanum vulneri indere, & hoc reme-
,, dio ſanari. Item ſi Origano & Sulphure formicarum acerui
,, obturentur, ſtatim illas aufugere, quod etiam apud Palladi-
,, um legitur. Plutarchus paulo aliter in natur. quæſtionibus:
,, Teſtudo, inquit, vbi carnem viperæ edit, Origano herba ve-
,, ſcitur, quod etiam tranſtulit in Homiliam 9. ἑξαημερῶν D. Ba-
,, ſilius. Decoctum Origani cum Caryophyllis & Sacharo pa-
,, ratum plurimũ ſingultui prodeſſe cõſtat. Huius etiam puluis
,, cũ pauco ſale nitro vulgari & melle inſtar eclegmatis miſtus
,, vtiliter dentib. infricatur, & reddit candidiores ac firmiores.

Origanum

Origanum tueri, prouerbium est apud Suidam ex Aristophane sumptum, ab acrimonia herbæ, & dicebatur de eo, qui robur & masculum animum præ se ferebat.

Ornithogalum maius Italicum & alterum minus, cuius magnam copiam in pratis ad Albim fl. prope Dresdam in vere reperi.

Ornithogalum serotinum, folio magis cæsio & minus pingui.

Ornithogalum Narbonense spicatum.

Ornithogalum aliud spicatum, quod Dodonæus conijcit esse Asphodelum Bulbosum Galeni.

Luteum Ornithogalum habetur ea planta, quam Fuchsius nominat Bulbum Esculentum, & passim crescit in agris.

Ornithopodium maius ex Italia missum, & minus in aruis ad Mœnum fluuium freques. Aliud in Heluetia circa Tigurum plurimum crescit in quadam syluula, vt Gesnerus notauit.

Oryza in aquosis locis aliquoties nobis prouenit. De cuius cultura copiose scripsit Quiqueranus Gallus in lib. de laudibus
„ Prouinciæ. Difficile nonnihil coquitur & tosta quidem ad-
„ huc magis, sed sic ventum cohibet. In Hispania ex farina hu-
„ ius & gallinarum pectoribus elixis & incisis, cumq; saccaro
„ & lacte lento igne coctis, & ligneo instrumento valide suba-
„ ctis suauissimum cibum, quem album vocant, parare solent,
„ estq; plurimi alimenti sed paulo crassioris.

Osteocollon Absyrti Italis. Caryophyllus paruus in aruis apud nos repens, describitur in historia stirpium Lugdunensi. Elegans plantula, in hyemem vsq; in horto florens.

Osyris, vulgo Beluedere, & Scopæ Paduanæ. In Græcia nostro quoque tempore lingua Græca corrupta nominatur ἀξύρις.

Oxyacantha sæpib. viuis idonea.

Oxyacanthus Galeni, Berberis vulgo.

Oxycoccus Valerij Cordi, Palustria Vaccinia, Moosbeer. Loco vmbroso durat aliquantum, licet non admodum irriguo, sed

vere ineunte apricum odit ac tabescit. Non longe ab hac vrbe quoque prope piscinas magnas reperitur.

Oxys flore lacteo, & luteo: quæ vtraq; reperitur in nostris quoq; „ regionib. Vocatur hic Mälerkraut/ quia delet maculas in lin„ teis albis. Aqua destillata ex vulgari planta & agrimonia si„ mul, admodum vulneribus confert.

P.

PÆONIA sic dicta à Medico Pæone, qui ea vulneratũ Plutonem ab Hercule ὀδυσ.ε. Homero fingente, curasse perhibetur, à quo herbæ Pæoniæ pro salutaribus accipiuntur, vt apud Virgil: 7. Aen: Pæonijs reuocatum herbis. Mas ad omnia effi„ catior quam fœmina. Aqua ex floribus destillata simul cum „ radicibus, cum puluere corall. & marg. datur ante noctem ad „ somnia terrifica arcenda. Recentem huius radicem collo „ suspensam epilepticis adhuc vtiliter vsurpamus, q̃ D. Co„ stæus quoque affirmat & verissimum esse testatur Fernelius, „ in pueris præsertim à se compertum. lib. 11. de abditis rerum „ causis cap. XVI. Leuinus Lemnius ex primæ fœturæ, vt loqui„ tur, semine nigricante & orbiculari trito cũ oxymelle Scylli„ tico & Syrupo de Stæchade ac parũ nucis Muscatæ fieri effi„ cax remedium contra epilepsiam testatur.

Pæonia fœmina vtraq; apud Dodonæum depicta Crescit in summis supra Glaronam montibus. Quarum altera interdum flores habet maximos, dilute admodũ rubescentes. Semen Pæoniæ admodũ tarde, quod ego expertus, & interdum vix intra annum prouenit: radice vero adeo restibili & fœcunda propagatur, vt eius etiam minima particula repullulet.

Pæonia polyanthos, id est flore pleno, quæ ante paucos annos apud nos est cœpta coli, cuius vnica planta nescio vnde allata (forsitan ex Hispania) primum Antuerpiæ 12. coronatis fuit

empta,

empta, nunc vero ita multiplicata eſt vt in omnibus ferme præcipuis hortis reperiatur. Admiratione non caret, elegantiſſimum hunc florem reperiri aliquando ita denſe ſtipatum, vt in vno numerauerim quingenta folia maiora & minora. Semen ideo rariſſime profert, cuius tantum vnicum granum aliquando collegi. Paratur ex hiſce floribus cum Saccharo Syrupus inſtar gemmæ rubeſcens, vtilis ad fluxiones & Epilepſiã. Extractũ ſimiliter ad eoſdẽ affectus recte datur.

Pæonia Byſantina flore admodum rubro inſtar minij, deſcripta à D. Cluſio in obſeruationibus Pannonicis. Turcæ nominant ſatis ὁμωνύμως, vt Anemonas quoq;, Schakaik.

Eſt & altera *Pæonia* flore pleno dilutiore & minore, cuius folia non ita ſunt caduca, priore adhuc multo rarior, & pro candida mihi communicata.

Pæonia leucanthemos, id eſt flore candicante, non plane albo. habet enim aliquid rubri dilutioris aſperſum. Nullum vero adhuc omnino candidum florem Pæoniæ, ſiue plenum ſiue ſimplicem, quamuis tam in principum quam priuatorum hortis inſtructioribus diligenter multis annis de illo inquiſiuerim, videre contigit.

In Ida monte Cretæ naſci floribus albis Pæoniam & vocari vulgo Pſiphedilam Bellonius ſcribit in ſuo de memorabilibus libro.

Pæonia ochranthemos, id eſt flore palleſcente, quam habui ex horto Domini mei clementiſſ. illuſtriſſimi principis Landgrauij Haſſiæ Caſſellis, cuius florem proximo anno expecto.

Pæonia Hiſpanica ſiue pumila, tam foliis quam flore exiguis, nigro admodum ſemine.

Braſauolus in lib. de purgantib. Medicamentis diſputat, quo pacto Plinius aſſerat radices Pæoniæ aſtringere atque etiã purgare. Ad quẽ locũ remitto lectorem, nam hic omnia eiuſmodi tractare nimis foret prolixum.

Paliurus siue Rhamnus III. Spina Iudaica Crescentio. Ex vetusto admodum semine prodit.

Palma ex nucleis quidem apud nos germen erumpit, sed raro vltra vnam hyemem durat. Nam & Theoph. lib. 4. hist: de plantis tradit, hanc & Morum Aegyptiam quamuis appræhenderint, in multis tamen locis nec fructificare nec augeri. Mirum est quod nucleus initio durissimus in terra tandem ita emolliatur, vt decorticari queat & aufferri ab interiore medulla, quæ pene cartilaginis refert naturam.

Costæus tradit semen vino maceratum citius quam alias prouenire.

Panax Heracleum. In tertium vsq; annum durat in nostris hortis semenque profert maturum. Crescit in Apennino multis in locis, sicut in Alpibus Scalæ dictis non procul Bononia, & in Samnitibus vbi vocant Rampe d'orso. Verum Anguillara, quod non odorem repræsentaret Opopanacis, nec semen esset acre aut caules lanuginosi, vt vult Dioscorides, de ea nonnihil adhuc dubitabat.

Panax Asclepias hoc nomine missum, folio Ferulæ tenuiore, & Fæniculi crassiore. Nascitur in Creta vbi Seseli vulgo, & in Sicilia in qua Peucedanum vocant. Quamuis hæ appellationes alijs plantis proprie conueniant.

Panax Chironium, vide supra Flos solis siue Helianthemum.

Panax Chironium Theoph. idem quod Costus Spurius Matthioli, quorundam sententia.

Pancratium. Hanc putabat Scyllam vulgarem esse Anguillara, quæ in Cephalonia vocatur Cæpa Canina.

Panicum. Melfrugum secundum Dioclem, sed non Theophrasti, vt legenti huius autoris verba manifesta apparet.

Panicum syluestre.

Panicum Indicum cæruleum, aprico loco serendum, alioquin nõ perficitur.

Papauer

Papauer cornutum siue corniculatum floribus luteis. Ex semine sese mirifice in nostris hortis propagat. Alterum florib. rubris maiore indiget cultura, quod primo anno floret, crescit copiose in Italia circa oppidum Frontinianum. Tertium flore purpureo, qui magis est caducus quam priorum, frequens est in Morauia & Austria multis in locis inter segetes. Omnes hæ species rectius in autumno seruntur, excutiendo ex corniculis maturum semen, vt ita statim rursus terræ mandetur.

Papaueris satiui (reperiuntur huius quoq; genera syluestria) variæ differentiæ, inter quas iam in nostris hortis coluntur flore pleno elegantissimi coloris, albi, rubri, purpurei & ex his mi-
" sti. Capita papauerum decutere est primates tollere in Rep. Sumptum ex historia Romana apud Liuium & Valerium Max.

Papauer Rhœas. Huius forte fortuna aliquando inter segetes reperisse speciem flore pleno luxuriantem Dn. Clusius mihi re-
" tulit. Flores, secundum Costæum, frigidi & sicci fluxiones
" pleuriticas non minus siccitate absumere, quam frigiditate
" cohibere creduntur. In Syria circa Alepum, vbi incolæ nomi-
" nant Schuck, ex floribus huius papaueris conseruam, vt vo-
" cant, eosdem parare & crebro illa in tussi vti in suo Hodœpo-
" rico luculentiss. notauit CL. V. D. Rauvvolfius.

Papauer spumeum vulgare descriptum & depictum à Lobelio. Anguillara vero, (quamuis non omnia adeo quadrent, forsitan ob diuersitatem loci) conijciebat Gratiolam huic descriptioni non male conuenire, cum in Syria adiuc semen illius ciens vomitum vocari scribat.

Parietaria supra Helxine.

Parietaria syluestris, vt vulgo vocant, elegantissima herba, foliorum coma cærulea vel dilute rubescente vel penitus candida: flosculis, qua parte suo conceptaculo tenentur, sanguineis,

priore vero flauis. Ob insignem elegantiam & colorũ varietatem hortis inserenda, sed locis fruticosis, & circa sepes. Nõ vult enim in areis coli. Semẽ mature colligendũ, antequam exiliat è vasculis & statim reddendum telluri, vt sponte excidat. Nudum enim si contrectetur fœcunditatem deperdere „ existimatur. Quidam vulnera sanare & liuores discutere ar„ bitrantur. Sapor est subdulcis & nonnihil acris simulq; astrictionis alicuius particeps. Crescit passim apud nos in syluis & aggeribus.

Paris Herba maioribus baccis quam vsitata, olim falso pro A„ conito habita. Cuius foliis in malis vlcerib. vtimur. Ac sunt „ præterea qui affirment puluerem huius radicis datum in co„ licis doloribus statim eos sedare.

Paronychia alsines, & altera Myagri folio à Gesnero depictæ. Thalius in sylua Hercynia vocat Pilosellas siliquatas.

Parthenium vide supra Matricaria. Hoc saltem hic monendum putaui, Gazam vertere Muraleũ in Theoph. lib. 7. hist. cap. 7. vbi inter olera id recenset, quæ non eduntur nisi cocta, vt & Beta, Lapathũ, Malua, Vrtica. Ideoq; dubitari posset ab aliquo, vtrum Parietaria, quæ etiam muralis herba dicitur, ibi sit accipienda, an vero Matricaria. Sed hæc apud Italos quosdam inter olera cocta comeditur & potissimum cum ouis frixa, sic enim nulla saporis fœditate offendit. De Parietaria vero nihil huiusmodi intellexi, quamuis & hæc, dum nouella est, quemadmodum Vrtica quoque in olerum vsum venire posset.

Passerina Tragi, ex agris Franconiæ inter Herbipolim, & Francofurtum copiose potest colligi.

Pastinaca satiua & syluestris.

Plinius Pastinacæ nomine Latinis significari ait plantas quatuor. I. Satiuam Lugdunensibus Panetz quam Pestnachē vel Welschpeterlin vocant nostri olitores, quod præcipue

Italos

Italos ea delectari sciant & Petroselini ritu cum carnibus coquatur. Eam Romani Gallicam vocabant, quod vti etiam nunc fit, in Gallia tunc passim diligentiss. coleretur. II. Agrestem in pratis nascentem, quã Hibiscum, & Malachen agrian cap. 4. lib. 20. Pratensem cap. 15 lib. 21. Lugdunens. Panetz sauuages dicunt, vulgo Ibisch / verius oblectamentum quam cibum. III. Daucum staphylinum altilem, & hortensem memoratũ Gale. lib. 6. Simp. vulgo Carota, Möhren. IIII. Daucum staphylinum syluestrem, cuius semen passim in officinis simpliciter Dauci semen audit. Germanis Vogelnest ab vmbellæ deflorescentis figura.

Et quoniam hæc Romano more tractauerat, subiungit, Græcos quatuor etiam Dauci genera statuere, nempe tria descripta à Dioscoride & quartum Dioclis Daucũ staphylinum quem post Ligusticum Dioscorides explicat, syluestrem scilicet, nulla vsquam facta mentione satiui aut Pastinacæ vel satiuæ vel agrestis, quasi ignotæ Græcis illæ plantæ fuerint, quamuis Staphylinum apud Diosc. interpretes vertant Pastinacam. Staphylinũ tamen suum Diosc. ἄγριον vocat, tanquam & ἥμερον cognouisset. Hæc de Pastinacæ differentijs admodum erudite, & distinctè annotauit nuper in Plin: lib. 19 cap. 5. doctiss. Iacob Dalech: quæ in gratiam & vsum studiosorum rei herbariæ hic quoq; ascribere placuit.

Pecten Veneris. Anguillara dubitat, an sit Scandix Veterum

Pentaphyllum rectum maius & minus item Repens, & deniq; Albo flore, quod maxime conuenit cum descriptione Hipp. in lib. de Vlceribus. Reperitur hoc postremum in Hetruria, vocantq; Pentaphyllum argentinum, itemq; in Illyria.

„ Decoctũ Pentaphylli vulgaris instar Ligni Indici paratum „ vtiliter exhibetur in Epilepsia, afferente hoc C L. V. D. Or„ tolpho Marolto Medico doctissimo, & sudores inde cieri „ etiã D. Erastus annotauit. Radix huius & potissimũ extractũ „ rite paratam in dysenteria commendatur.

Pentaphyllon palustre, in palustrib. locis circa hanc vrbem, flore rubro, In hortis riguis facile durat. Heptaphyllon potius nuncupandum à foliorum numero. Nec est quod quidā hoc ob fructus rudimentum pro fragifero Plinij habeant, qui videtur foliorum similitudine deceptus incogitanter cū pentaphyllo, quod edulem fructum nullum gignit, miscere herbam fraga ferentem lib. 25. ca. 11. vt etiam doctiss. Iacob. Dalech. annotat.

Pentaphyllon Bauaricum, in campis asperis circa Monacum frequens, Pannonico quarto Clusij non absimile.

Peplis, in Germania, quod sciam, nō crescit, nec facile prouenit semen ex Italia missum, nisi ante hyemem seratur.

Peplus sponte nascitur in areolis, mature euellendus antequam floreat & semen, quod cito admodum perficitur, nimis late spargat. Cauendum, præsertim inter acetarias plantas ne crescat, alioquin facile fallit legentes, & non sine periculo mensæ adhibetur, vnde olitoribus Teuffelsmilch appellatur.

Pepon, si semina macerentur in rosacea moscataq; aqua, multo fiunt odoratiores. Olim Pepones dicebantur homines effœminati. Vide supra *Melon*.

Perfoliata maior & minor, quarum posterior in agris Thuringiæ nascitur max. copia. Contra ἐξόςωσιν, vulgo Vberbein contusa instar Cataplasmatis imposita est efficax.

Perfoliata crispa siue muscosa, ex eodem semine cum vulgari nascitur interdum, nec differt nisi multiplici florum & foliolorum tenuissimorum farctu, ac sterilis est, vt Cannabis fœmina vulgo dicta.

Perfoliata montana Gesneri & Lugdunensium, radice perenni, feruidi & aromatici gustus, cuius iconem exhibemus in libri paginis extremis.

Perfoliata siliquosa siue maior Tragi, Brassica campestris D. Clus.

Pericly-

Periclymenum Matrisſylua vulgo ſiue Capri folium, cuius radix etiamſi Dioſc. deſcriptioni repugnet, nihilominus tamen ex Crateua & Oribaſio affirmatur conuenire, qui dicunt radicem eſſe denſam & longam. Huius generis habui elegantiſſ. ſtirpem ex horto Illuſtriſſ. Principis Landgrauij Haſſiæ Vuilhelmi &c. quod vocat Periclymenum Perfoliatum ſiue Italicũ flore odorato. Et eſt tertium rectũ dictum, cuius ſpecies eſt Xyloſteon Dodonæi. In Saxonia vbi Vulgare Periclymenum copioſe creſcit, aqua eius ſtillatitia ad faucium & oris vitia crebro & vtiliter admodum vtuntur. Rondoletius ad partus facilitandos aquam eius cum ſemine Lauendulæ exhibet ad ℥.ij. vel ℥.iij.

Perſicæ arbores propter fructus differentes. Nam pulpa candida, lutea, & rubra, item magni & parui habentur. Inter quas eſt Perſica pumila fructu præcoci dulci admodũ & paruo, apud nos Johañspferſich admodũ ſuaui ſapore prædito, Plin. lib. 1. 6. cap. 32. cõmemorans quod non omnia vbiq; naſcantur, inter alia refert Perſica in Tuſculano ægre prouenire nec non nuces Græcas cum tædio inſeri. Perſeam cum Perſico multi confundunt, cum tamen ſint plantæ diuerſiſſimæ, vt patet exactius conſideranti deſcriptionem apud Dioſc. & Thephraſtum. Nicander in Theriacis κρανοκολάπτην ἢ κεφαλοκρούστην beſtiolam venenatam creſcere in Perſeæ foliis inquit, vbi Socratum quendam ἐν τῷ περὶ βλήτων ἢ δακέων citat Scholiaſtes, tradentem τὴν περσείαν ἣν ῥοδακινέαν καλοῦσιν, ἀπὸ αἰθιοπίας εἰς αἴγυπτον μεταφυτευθῆναι, & Rholum Democritæum in libro περὶ συμπαθῶν καὶ ἀντιπαθῶν ſcribentem: πέρσας ἔχοντας θανάσιμον φυτὸν, εἰς αἴγυπτον πέμψαι, ὡς ἐκ τούτου πολλῶν μελλόντων ἀναιρεθήσεσθαι, τὴν δὲ ἀγαθὴν οὖσαν εἰς τοὐναντίον μεταβαλεῖν, ποιῆσαί τε τὸ φυτὸν καρπὸν γλυκύτατον οἷος ὁρᾶται νῦν. Verum D. Rauvvolfius cõmemorat in ſuo itinerario Syriaco, Perſas etiam hodierno die Perſeam à Perſico arbore diſtinguere, quamuis etiam à Perſicorum eſu abſtineant, Nimrodi veneficio infecta & noxia effecta neſcio qua occaſione opinantes.

Arbor in herbam inſeritur, teſte Coſtæo, vt Perſicus in Braſſicam, quam rationem inſerendi ætas noſtra inuenit. De- ‹‹ corticata Perſica aliqui in vino madefaciunt, exiſtimantes ita ‹‹ illorum noxā emendari, ſed hoc pacto ſuccus iſte inſalubris ‹‹ citius in venas deducitur. Cocta vero ſub cineribus cibus eſt ‹‹ delicatus. Præferuntur autem Genuenſia. ‹‹

Perſicaria ſiliquoſa Lobelij, vulgo Noli me tangere, quam neſcio quam ob cauſam ad Tithymallos refert Tragus, de qua plura apud Geſnerum in Epiſt. ad D. Cratonem & D. Zuingerum. ›› In nonnullis locis vtuntur cum ſucceſſu aqua deſtillata tan- ›› quam topico in dolorib. podagricis. Dodonæus ſi legere quis auderet pro folio ſiliquas, putaret ad Aeſchynomenen poſſe referri.

Pes anſerinus. Dodonæus ad atriplicem refert, & vulgo affirmant à tota ſubſtantia eſſe porcis venenum, quare Germanice in quibuſdam locis vocatur Schweinstodt. Plinius lib. 9. cap. 8. Chenopodis meminit, excepta hac & rumice, apes ex omnium arborum ſatorumq; floribus mel confingere ſcribens.

Petaſites flore purpureo & alter albo, qui poſterior ſtatim erumpit primo vere vel citius, diligenterq; depictus eſt in noſtris herbarijs. Dalech. Perſolutam Plinij lib. 2. cap. 33. Officinarum Petaſiten eſſe annotat & vt quidam cenſent Iphyum Theoph. Coronariam plantam, quæ florem edit ante folia. Petaſites certe, quem marem vocant, florem edit rubrum & odoratum: alter quem fœminam appellant, candidum & inodorum. Olet vero Leucanthemos noſter Petaſites (qui naſcitur in montanis locis Miſniæ circa Annæbergam, vnde in hortum tranſtuli) ſubdulce nec iniucundum quippiam, quale plerique flores quos primo vere Fauoniorum flatus elici- ›› unt. Radix Petaſitidis vulgaris vtilis tempore peſtis & præter- ›› ea eius puluis cū Zedoaria & Angelica præſtans remedium ›› in ſuffocatione matricis.

Petroſeli-

Petroſelinum, quod Selinum ſiue Apium, vt quidam opinantur, veterum eſſe minime volebat Anguillara, nam illud potius, vt apparet ex Theoph. eſt Eleoſelinon ſiue Paludapium. Petroſelinum vero noſtrum vna planta cum veterum Petroſelino, quod adhuc hodie in Chio vocatur Condimentum, quo nomine Anguillara in ſuis Italicis opinionibus ſcribit à Crateua quoque fuiſſe nominatum, vt teſtabantur manuſcripta quædam fragmenta Crateuæ aſcripta, quæ ſæpius mihi oſtendit. Verum non immerito quiſpiam dubitare poſſet, an Crateua σύγχρονος Hippocratis Latinis nominibus vſus eſſet. In Peloponneſo & Zazintho inſula antiquum nomen adhuc retinet.

Petroſelinum criſpum.

Petroſelinum Macedonicum, non fert facile noſtrũ cœlum, ideoq; in fictilibus aſſeruandum per hyemem, ac primum quarto vel quinto anno ſemen apud nos producit, ſicuti dum hæc ſcriberemus, copioſiſſimum habuimus.

›› *Peucedanum*, Radix huius in ore retenta efficax eſt in ſuffocatio-
›› ne matricis. Nicander in Theriacis admodum probat in fu-
›› gandis animalib. venenatis, ita canens:

Ναὶ μὴν πευκεδάνοιο βαρυπνόου ὅττι καὶ ὀδμὴ
Θηρὶ ἀποστεύει τε καὶ ἀντιόωντα διώκει.

Phalangium maius & minus.

Phalaris. Probabile eſt (inquit Dalech. in Plin. annotat. lib. 22. capit. vltimo) hanc alterum melian à Panico diuerſum eſſe, cuius nuſquã alibi meminit idem autor. Alioquin μελίας σῖτος, autore Theoph. capite vltimo, libro ſeptimo, vt & Lotus, vna voce multa ſignificat, diuerſa viribus, locis natalibus & vſu cibario. Nunc enim priſcis μελίνη, ἔλυμος eſt, autore etiam Galeno, libr. de Aliment. & cibis boni & mali ſucci. Nunc vero ſemen aliud eſt quam Panicum & Milium, vtriq; tamen ſimile, à colore nigro ἀπὸ τοῦ μέλανος ſic vocatum, non à

melleo sapore, ἀπὸ τῆς μελιτώδους γεύσεως, quemadmodum Plinius indicat, qui Melfrugum vocat, nisi legamus: Panicum Diocles Medicus Melian frugem appellauit. Quidam Milium nigrum esse putant, haud præter rationem, sed Dalech. vt diximus, granum in Melita frequens, incolis Cuneno dictum, Canariis insulis familiare, Massiliæ notum, nigricans, oblongum, milio simile, quo Canarios passeres canendi suauitate & assiduitate nobiles præcipue nutriunt. Satum facile prouenit & maturescit, ac si annus fuerit pluuiosus, in ipsis spicis, antequam colligatur, sponte germinat.

Phaseoli fere omnis generis colorum, præterea Aegyptij, qui pinguntur à C. Clusio in Pannonicis obseruationibus sine siliquis, quas nos addidimus. Itemq; Africani & Brasiliani. Nec non pumiliones albi & nigri, quorum hi magis quam illi alfiosi sunt, quamuis ambo frigiditate nostræ plagæ sæpius à maturitate prohibeantur. Intelligo autem, quorum iconem dedimus in Matthioli editione, & quos Clusius in Pannonicis quartos in ordine proposuit.

Phaseolus Indicus, vulgo falso Pæoniam Indicam vocant, cuius iconem proponit Lobelius. Hæc grana coccinea nigra macula insignita dura admodũ sunt, diuq; in terra latitant, quorum interdum nobis prouenerunt rudimẽta instar pisorum, sed ad frugem planta nõ peruenit. Semina vetusta nequeunt vlla maceratione vinci, sed recentiora intumescunt intra horas 12. vel citius, ac duplo fiunt maiora, colorem autem coccineum vertunt in sordide purpurascentem, quæ si degustare volueris, deprehendes saporem pisi nigri detracto cortice, adeo fabaceum aliquid resipiunt. Mittuntur ad nos nomini-
„ bus Ginge & Abrus. Quidam perhibent vtiliter adhiberi in
„ dentitionibus, febribus & spasmis puerorum.

Phillyrea Florentia missa.

Phyllitis vulgaris, Lingua Ceruina latifolia & angustifolia, itemque

que duobus, tribus & etiam pluribus mucronibus in summo folij prædita.

Phyteuma Matthioli, siue Campanula angustifolia. Anguillara legitimam sibi esse incognitam fatetur.

Pimpinella saxifraga maior & minor. Doctiss. Maranta in suo libro de Theriaca conijcit Pimpinellam maiorem siue saxifragam hircinam non male pro Oreoselino Dioscor. posse accipi.

„ Radix Pimpinellæ puluerisata cum Saccharo in formam
„ Electuarij redacta, & quotidie assumpta in aqua eius stillati-
„ tia ad aliquot vncias, admodum suppuratis prodest. Puluis
„ Pimpinellæ opt. quoq; in casu & contusionibus in calida ce-
„ reuisia exhibitus. De Vermiculis ad Pimpinellæ radices nascentib. Costæus in suo libro de stirpium natura disputat.

Pimpinella sanguisorba maior & minor.

Pimpinella spinosa, forsitan Chalcoma siue Aeraria Anguillaræ in Peloponneso & Zazyntho nascens, quamuis nostra non lactescat. CL. V. D. Rauvvolfius in suo Hodœporico, vbi etiã iconem eius addit, tradit plantam hanc copiose crescere in monte Libano, foliis Sanguisorbæ similibus, ramulis hinc inde spinosis, è quibus verno tempore flosculi emergunt è viridi pallentes, stellati, quibus succedunt baccæ albicantes, instar piperis, aliquo rubore conspersæ, racematimq; cohærentes. Bellan incolas nominare ait. Astiuida est Cretẽsium à στοίβης vt quidam putant, corrupto nomine.

Pinguicula sic vocata Gesnero, quia pinguis & parua est vel τὸ ἰόγυχον, Viola humida aut palustris. Clusius in Pannonicis pinxit, itemq; Herbarius Lugdunensis nomine Cucullatæ. Nascitur putridis ac humentib. locis in Bauaria, vnde in hortum transtuli, sed frustra, vt metuo. Non enim videtur translata
„ viuere posse. Vulneraria est herba, præsertim ad ramices pue-
„ rorum eximia, ac preterea etiam ad plurima vtilis, vt non du-

bitauerit Gesnerus pro Dodecatheo Plinij habere, quod folia quodammodo Lactucæ habeat, quamuis non perpetuo septena. Radicis quoque fibræ luteæ sunt. Chirurgi prohibent adhiberi prope articulos, istiusmodi enim vulnera plerunque melicerias, id est, das Gliedwasser inde contrahere asseuerant.

Pinus Italica ex semine enata prodit, sed hyemis frigore intensiore facile, nisi in fictili recondatur, perire solet. Dum recens è terra emergit, nuclei putamen non incommode adimitur, sed nucleus protrusus si auferatur priusquam sua spõte decidat, plerunque germen enascens, cui tanquam munimentum à natura datum est & foliis coniunctis oblongioribus adhæret, perire solet. Dignum est obseruatione, quod D. Basilius memoriæ prodidit, ϛ ἑξαημερῶν, Pinus incensas ac exustas flammis in querceta mutari. Proprium est huic arbori, vt salso solo lætiss. fructificet, quemadmodum apparet ex amœnissimo Pineto prope Rauennam. In Aesculapij templo, quod olim fuit in Insula Tyberina, reperta marmorea tabula Græcis literis exarata, Pini nucleos reijcientib. sanguinem ex pectore mederi testatur. Antiquitatis monumentum istud singulare ex libris de arte gymnastica Mercurialis medici doctissimi sumptum ascribere placuit. Scriptura hæc est.

„ Αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου ἐχρημάτισεν ὁ
„ θεὸς ἐλθεῖν καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβύλου καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος ἐπὶ τρεῖς
„ ἡμέρας καὶ ἐσώθη καὶ ἔλθων δημοσίᾳ ηὐχαρίστησεν ἔμπροσθεν τοῦ δήμου. Id autem est.

„ Sanguinem Iuliano reijcienti ex pectore & desperato ab
„ omnibus ex oraculo Deus respõdit, veniret & ex aris tribus,
„ vel è templo, vbi tres aræ sunt, nucleos pini tolleret, & cum
„ melle comederet per triduum. Hoc remedio ille seruatus est
„ ac profectus in templum, gratias egit publice, populo præ-
„ sente. Idem memorat Dalecham. in annotat. Plinij capit. 8. lib. 23.

" lib. 23. vbi quoque legitur, Nuces pineas quæ resinam habet,
" contusas leuiter, additis in singulas singulis sextarijs aquæ ad
" dimidium decoctæ, sanguinis excreationi mederi, ita vt cya-
" thi bini bibantur ex eo.

Pinaster pumilio ex monte Arba Bauariæ, vbi Lackholtz nominatur, non absimilis Pannonico Clusij. A descriptione certe nihil dissidet, nisi forte conis, quos tamen nondum conspexi.

Piper Indicum, Siliquastrum Plinij quorundam sententia, fructu tum longo, tum cordato, item rotundo & deniq; piloso caule pilis albis prædito, latioribus foliis, fructu longo, plerunque in acuminatum lõgum appendicem desinente, flore quoque quam in alio maiore. Siliquarum decoctum rite pa-"
ratum aquas hydropicorum educit. Parienses Indi vnguen-"
tum quoddam ad confirmandos dentes conficiunt ex vnio-"
num feracibus conchis & huius plantæ foliis crematis vnâ &"
aqua maceratis, donec calcis candorem referant. Eo illitos"
dentes aterrimos reddunt, simulque absque dolore semper"
conseruant, vt tradit Benzo Mediolanensis libr. 1. cap. 3. hi-"
storiæ noui orbis.

Piper Indicum surrectis corniculis ijsq; paruulis, sed raro apud nos ad maturitatem peruenit.

Pisa rubra, item Italica grandia, quæ duo pro Phaselo Tragus habet. Præterea Leptoloba, quæ simul cum folliculis comeduntur, cuiusmodi Lobelius memorat è Vilda Lituaniæ oppido allata, Item viridia, acrocarpa, vulgaria & syluestria.

" *Pisum syluestre Pannonicum*, in Franconia alicubi Darmgicht-
" kraut/ quod in vsu habeant vulgo grana aliquot deglutire
" in colicis doloribus, itemque herbam exterius impone-
" re, nec non equis & bobus ad idem malum in pabulo ex-
" hibere.

Pisa nigra, Fabis aliquantum cognata.

Pithyusa Anglica, missa à Th. Pennæo, foliis Tithymalli arborescentis sed magis glaucis & per ambitum hirsutis prodiit, sed neque in fictili sub tecto neque sub dio per hyemem durare voluit. Semen erat non dissimile Arborescentis Tithymalli semini.

Pitina Theoph. quæ in Italia inter legumina sua sponte prouenit, tenera herba, capreolis se sustinens. Depingitur à Dodonæo, Lobelio & Lugdunensib. Aphace Dodonæi, Orobanche Lugdunensium.

Pistacia arbor, similis Terebintho, ideoq; à Theophrasto vocatur Indica Terebinthus, fructu Amygdalæ, vnde Nicander in Theriacis:

ὅσσα θ' ὑπ' Ἰνδὸν χεῦμα πολυφλοίσβοιο Χοάσπου,
Πιστάκι' ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεντα πέφανται.

Aegypto & Syriæ familiaris, quamuis in Italia quoq; nonnunquam fructum producat, apud nos vero ne florere quidem compertum est. Hyeme in cella recondenda.

Pistolochia. Semē initio autumni seritur, nam vernam sationem prorsus respuit.

Plantago maior, minor & media. Item marina in lacu salso prope Islebiam crescens, à plerisque depicta nomine Coronopi syluestris. Præterea rosea. Plantaginis laudem peculiari scripto celebrauit Themison tanquam inuentor, inquit Plinius lib. 25. cap. 8. cum sane sit planta πολύχρηστος. Succus Plantaginis minoris cōmendatur in febribus tertianis & in pustulis oris, item contra morsum canis rabidi. In angina Cassiæ Aegyptiacæ succus extractus cumq; aqua plantaginis mistus plurimum conducit. Ad ὑπερκάθαρσιν semen eius cum Caruo tosto vtiliter exhibetur. Est præterea Ophthalmicū nō contemnendum ex foliis & radice plantaginis contusis addito

pauco

pauco Saccharo candidiſs. & aqua roſata. Vſurpatur in ocu «
lorum lachrymis & inflammatione. «

Polemonium Monſpellienſium, aliis Trifolium arboreſcens, deſcriptum & depictum à Dodonæo, Lobelio & Lugdunenſibus. Hyemis frigora vtcunq; apud nos perfert. Hoc aliqui Scorpionibus eſſe inimicum annotauerunt.

Polium verum, itemque alterum Lauendulæ folio in montibus Thuringiacis prope Ihenam frequens, itemque apud nos in collib. qua itur in Noricum. Nomen hoc inuenit, vt inquit Dioſ. καρποῦ πλῆρες ἔχον κεφάλιον ἐπ' ἄκρου κορυμβοειδὲς μικρὸν ὡς πολιὰν τρίχα, id eſt, quod capitulum ſemine refertum in cacumine quandam corymborum ſpeciem præ ſe ferens canis hominum ſi-
» mile habeat. Nulla magis herba conuenit medicamento, quod
» Alexipharmacon vocant: in quod minore, vt Galenus in-
» quit, vtimur. Non poteſt Polium cum Tripolio diuerſi generis planta tam multis locis miſcens defendi Plinius, nec eius ſcriptores autoritate excuſari, qui commentationibus ſuis diſſimulato hominis errore eadem illa vt erant adiecerunt, inquit Marcellus Vergilius.

Polyacantha: raro in alterum annum durat.

Polycnemon Geſneri, vide ſupra Clinopodium maius Matthioli. Anguillara veræ plantæ nullam certam habere ſe cognitionem affirmabat.

Polygala Tragi, flore albo, cæruleo & incarnato. Anguillara aliam deſcribit in ſuis opinionibus Italicis, quam ait creſcere circa Bononiam & in Samnitib. cuius tamen vernaculum nomen nullum ſe potuiſſe cognoſcere ait. Herba ſimilis eſt lenti, foliis tamen pinguioribus, flore luteo, qui producit Siliquas.

Polygala Rhætica Geſneri, Onobrychis Dodonæi.

Polygonatum vulgare & eo multo maioribus tam baccis quam
» foliis Pannonicum. Polygonati ſemen largius ſumptum

aluum mouere Plinius ſcribit. Aloyſius dubitabat de Polygonato, quod folia pomum Cotoneum non reſiperent, ſed Galenus dicit ingratum eius ſaporem eſſe, id quod res eſt.

In hoc genere reperitur & Tenuifolium in ſaltibus Hercyniæ frequens.

Polygonum vulgare, atq; etiam alterum marinum in littore Veneto ſua ſponte copioſe creſcens, flore ſubalbido & folio pinguiore. Vulgare in fluxu ſanguinis, vt Braſſauola quoque annotauit propria experientia efficaciſſ. cum ego quoque affirmare queam in Nobiliſſimo quodam viro alijs remedijs fruſtra adhibitis contra vomitum ſanguineum cum pauco vino ſtyptico hunc ſuccum maxime profuiſſe.

Polypodium ſic dictum ob ῥίζαν πλεκτάνας ὥσπερεὶ πολύπους ἔχουσαν. Si recens coquatur cum melle & parum pipere, ſine omni moleſtia bilem & pituitam euacuat. Meſues eius exhibendi in purgationibus ſcribit non quatuor aureos eſſe tranſcendendos id eſt ʒ.v.℈j. Manardus vero integram vnciam per ſe parum purgare adſeuerat. Anus medicaſtræ etiam ad ℥. iij. alicui liquori incoquunt & ſine efficacia nonnunquam propinant.

Polytrichon, quod ſecundum Anguillaram à Trichomane nihil differt

Pomum amoris ſiue de oro, apud Mediolanenſes Pomum Indum & nomine externo Tumatle ex Peruuiana inſula primum allatum. Ex paucis notis quas Galenus deſcripſit, conuenire cum Lycoperſico conijciunt. Geſnerus in epiſtolis vocat Solanum pomiferum. Pomum hoc in oleo coctum, ſiue inſolatum ad Scabiem eſt efficax.

Porrum. Hoc delectabatur Imperator Nero, vnde Porrophagus fuit per iocum appellatus.

Porrum

Porrum Indum, vulgari multo maius & nonnunquam trium cubitorum altitudinem attingens, capite florum purpurascentium elegantia plurima comante & ob id hortis, ob sapidum vero & grandem bulbum culinis expetitum. Vulgo Scorodoprasum vocant.

Porrum capitatum vulgare, κεφαλωτὸν πράσον, Autor Moreti: Capitis nomen debentia porra.

Porrum tonsile siue sectile, τμητὸν. Cum hoc idem vel cognatum saltem χοινόπρασον Dodonæi. Germanis Schnittlauch / Brißlauch.

„*Portulaca* maior & minor. Aqua illius destillata in quibusdam
„abstulit dolorem dentium, qui alijs remedijs non potuit se-
„dari. Succus condensatus cum gummi Tragacanthæ & Ara-
„bico puluerisatis & in pillulas redactus plurimum confert in
„vrina cruenta.

Portulaca exigua siue Andrachnion aruense. Herbula non ab alijs, quod sciam, demonstrata, pinguis, sublutea, coliculis incuruis, aliquantum procumbentibus: foliolis minutis portulacæ syluestris, pallidioribus tamen, semper geminis: nigro semine in vasculis paruis portulacæ similibus, sed quæ longioribus pediculis & gracilibus nituntur & mature incipiunt hiare antequam semen plene perficiatur. Primo vere in agris frumentarijs frequens est circa Lipsiam ante Cremensem portam. Sapor illi nullus qui notari queat, prætorquam herbaceus vt in alsine.

Poterium Lobelij, idem cum Pimpinella spinosa.

Prunella flore purpureo & albo. Describitur in libro de Dynamidijs Galeno attributo.

Prunella grandiflora, quam Clusius in Pannonicis primam depinxit, in Bauaria frequens, itemq; in Franconia nonnullis locis circa itinera, aspero & limoso solo.

Pruni varia genera, potiss. Vngarica, Morauica, & quæ vulgo Myrobalanos dicunt, itemq; Græca, quæ postrema Verdacia à viridi colore in Italia vocantur, & alijs præferuntur, & inter syluestria fructu duplo maiore quam communis est & ,, admodum dulci. Si Pruni surculi in mosco intingantur & de- ,, inde inserantur, fructus inde fieri odoratos D. Costæus tra- ,, dit. In syluestri pruno hoc peculiare, quod deflorescens si- ,, mulatq; imbres contigerint conuertatur fructus in oblongũ ,, quoddam & inane corpus, quod in Italia Turcas vocant, vt ,, annotauit Doctiss. Andreas Cæsalpinus & nos hoc anno ,, 1587. circa hanc vrbẽ obseruauimus. Radices pruni syluestris ,, ablato nigro cortice decoctæ in vino sunt remedium singu- ,, lare contra dolores dentium.

Psyllium perenne à CL. V. D. Ioan. Aicholzio transmissum, quod Gesnerus in Historia Animalium existimat esse apud Theoph. Cynopa. Orpheus in Argonauticis ψύλλιον ἀειδὲς vocat tanquam herbam turpem & deformem aspectu.

Ptarmica Fuchsij. Veram Ptarmicam incognitam adhuc esse existimabat Anguillara.

Ptarmica Austriaca flore elegantiss. olim nomine Cyani Hierosolymitani ad me missa describitur à D. Clusio in Pannoni- ,, cis. Non habet vires veræ Ptarmicæ in mouendis sternuta- ,, mentis, nisi forte in ijs qui facile ad sternutationes concitan- ,, tur, alioquin caloris euidentis particeps vt gustu depræhen- ,, ditur. Saliuam ciet eamq; commansa colore croceo tingit.

Pulegium maius & minus. Brassauola in suo libro de examine simplicium, secundum Plinium pro fœmina habet quod florem album profert. Pulegiũ brumali tempore quoq; florere Cicero annotauit in lib. 1. de diuinat. vt & Plin. lib. 2. cap. 41. Cicero non Pulegium sed Puleium littera g. elisa nominat, vt apud Martialẽ quoque legitur: Quadrima nigri nec corona puleij. Olim in coronæ circulum nexum ad aliquot ãnnos conser-

" conſeruabatur. Cur autem Pulegium aridum in bruma flo-
" reat ſecundum Coſtæum non alia in promptu eſt cauſa, quã
" priuata eius formæ facultas, cuius itidem rei exemplũ eſt in
" animalium genere in Pico Martio, cuius cadauer laqueari ap-
" penſum verno tempore nouas plumas priorib. defluentibus
" proferre obſeruatum eſt. D. Hieronymus ſcribit, Pulegium apud Indos eſſe pipere pretioſius, quod noſtrorum temporũ peregrinatores dubito an obſeruarint, nihil enim in eiuſmodi libris quos videre contigit, annotatum reperio. Pulegium "
quomodo purget, docet Braſſauolus de Medicam. purganti- "
bus. Datur autem eius puluis in Medone, vt vocant, apud "
nos quoq; ad expurgandam per ſeceſſum Melancholiã. Idem "
cum ſerpillo infunditur in aqua roſacea & parum aceti, quib. "
linteola madefacta fronti & temporibus applicantur in do- "
lorib. capitis modo non aſſit febris. Elegans eſt quod Cicero "
Tironi ſcribit. Ad Leptæ, inquiens, rutam pulegio mihi tui ſermonis vtendum eſt, hoc eſt ad eius vehementiam tua facilitas accommodanda.

Pulegium Anguillaræ, à Mentaſtro non multum diſſidens, foliis rotundis & gratiore odore. Naſcitur plurimum Patauij tam intra quam extra vrbis mœnia.

Pulegium Ceruinum depictum à Lobelio & aliis, ita dictũ à Monſpellienſibus, quorũ in agris copioſe prouenit locis paluſtribus, alioqui fere tantum hortenſe, quia culturæ facile aſſueſcit & radice plurimum ſerpit.

Pulicaria vide Conyza.

Pulmonaria maculoſa & ſine maculis. Reperitur quandoq; flore albo.

Habui & Auſtriacam II. Cluſii, ſed non diu in horto durauit, cũ alibi ſatis perennauerit. Delectantur hac planta Cerui, atq; ideo Germanicè Hirſchkôl nominatur. Vulnerariam "
eſſe herbam experientia conſtat. Ad pulmonis autem vitia "

" non ab omnibus, qui periculum fecerunt, celebratur.

Pulsatilla communis, item flore albicante. Quod nisi vtraque in plane arido & aprico loco collocetur, non facile culturam fert. Samolum Plinij lib. 25. cap. 11. hanc esse putat Dalech. quod eam hodie Bononienses vocitent Samiolo, vt ait Anguillara lib. 11. Huius herbæ aquam stillatitiam exhibent in Borussia cum aliquo successu in febribus Tertianis intermittentibus ac similibus, cum sit admodum ἐκφρακτικὸν medicamentum.

Pycnocomon Anguillaræ, vt Lobelius existimat, est Reseda de qua postea dicemus. Parum enim conuenit descriptio Pycnocomi. Non enim sunt φύλλα τραχέα, neque καυλὸς τετράγωνος, neq; etiam alia satis congruunt.

Pyrethrum Dioscor. I. Matthioli. Vmbellifera planta, quam aliquando copiose reperi in Apennini montibus, vulgo Riodi Lunato & Fiumalba dictis.

Pyrethrum Matthioli alterum, folio Chamæmeli itemq; flore, maiore tamen, cuius radix priore videtur esse efficacior. Hyemis frigore in horto sæpius perire mihi consueuit. Bononienses in suo Antidotario ante paucos annos edito in Diacastoreo non Antimonium sed Artimoniũ legi debere, quæ vox Pyrethrum notet, recte admonent.

Pyrola Pannonica II. à D. Friderico Sebicio & mox à D. Aicholzio communicata, quæ tamen horti culturam altero anno respuit.

Pyrus. In villa Iacobi Regij, pagi quem Fontaines vocant, haud procul à Lugduno siti, Pyra nascuntur, è quorum medio corpore folium exeritur. Ea simili ratione nominis Pyrophylla vocari possint, qua Melophylla apud Plinium, vt doctissimus Dalech. annotat.

Habemus præter alias pyrorum differentias ab Illustrissimo Principe Vuilhelmo Landgrauio Hassiæ &c. quæ eleganti

ganti rubore carnis ſiue pulpæ interioris placent, item quæ comeſta ventrem ſubducunt.

Q.

QVAMOCLIT planta noua ex India ante paucos annos allata & à Cæſalpino ſub nomine Iaſmini folio Millefolij deſcripta. cuius ſemen primum mihi communicatum fuit à Magni Ducis Florentiæ Herbario Domino Ioſepho de Caſa bona, diligentiſſimo, & humaniſſimo viro. Eius picturam repræſentare ſtuduimus, quamuis apud nos exilius creuerit, quam in calidioribus regionibus. Planta eſt anadendras, folijs prodiens oblongis & latiuſculis initio binis ſibi inuicem connatis, quæ diu durant etiam ſeſe perticæ inuoluente iam ipſa planta: reliqua folia Myriophyllo alteri apud Matthiolum ſimilia ſunt ac tenuia admodũ, vt Conuoluolus tenuifolius non inepte vocari poſſet: cauliculi rubent, ſed magis vergunt ad nigredinem: flores elegantiſſimo rubore placent in quinque angulos collectis oris, Peti florum ſimilitudine. Semen in capſulis oblongis fert itidem oblongum & fuſcum, quod aqua maceratum plerunque rumpitur vt Campanæ Lazuræ grana. Sapor ipſius herbæ eſt ſubdulcis & modice nitroſus, capſulæ vero nonnihil piper vel braſma piperis guſtatu referunt, vt & ſemen, quod parum abeſt, quin haud minore caliditate fauces nonnunquam afficiat.

Quercus Pannonica latifolia, rectius Cerrus. Huius fumum in locis clauſis facere Epilepſiam & ſubet Ferd. Ponzetus affirmat lib. 2. tract. 1. cap. 2.

Quinq; folium, vide ſupra Pentaphyllon.

R.

RANVN-

Ranunculus. Huius admodum multæ ſunt differentiæ, quarum ſingulas horto noſtro inquilinas recenſebimus, initium facientes à notioribus, omiſſis tamen nimis vulgaribus.

Ranunculus polyanthos ſiue pleno flore luteo, repens, maior & minor. Quorum ille reperitur (teſte Anguillara in ſuis opinionibus de Simplicibus) circa Sebenicum Dalmatiæ oppidum ſponte proueniens, hic vero in agro Aureliano Galliæ. Inuenimus tamen nos quoq; hoc anno in Bauariæ loco quodam aliquot milliarib. Lanteshuto diſtante, admodum humilem flore duplicato. Eſt & tertius erectus, quem Fuchſius pingit & vulgatior eſt, Bauaris Klein Ruckerzu/Miſnenſ. Gelb Tauſentſchön.

Ranunculus radice bulboſa vel tuberoſa potius, flore quoq; pleno & ſimplici. Batrachium Apuleij. Prior in loco pingui & humido collocatus ſæpe ex vnius floris cẽtro alios flores etiam triplici ſerie producit. Radix huius inſtar bulbi rotunda, ſi recens ſit, cauſtica eſt ac admodum vrit. Exiccata vero poſt vnum atque alterum menſem dulcis efficitur. Vtimur hac radice tuſa & emplaſtri modo impoſita tempore peſtis ad rumpendos abſceſſus. Nebulones vero mendici quidam, quo facilius nobis imponant ea ſanguine Draconis macerata ſuras aut femora illinunt.

Ranunculus Globoſus ſiue Montanus, VI. Matthioli. Creſcit in multis locis Germaniæ potiſs. in Heluetia. Geſnero Flos Trollius.

Magnus, Aconiti folio, forte Aconitum III. Matthioli.

Paluſtris folio Apij. Sed non ideo videtur eſſe Sardonius ille apud autores famoſus, qui in Sardinia naſcitur, inſula etiam alioquin peſtilenti & corrupto à paluſtribus vaporibus aëri obnoxia, de qua Sillius:

Serpentum tellus pura ac viduata veneno,
Sed triſtis cœlo & multa vitiata palude.

Vnde

Vnde pulcerrimè Martialis:

Nullo fata loco poßis excludere: Cum mors
Venerit in medio Tibure Sardinia est.

Leucanthemos folio Aconiti, flore albo simplici, qui copiose crescit in locis montanis Misniæ circa Annæbergam vrbem: & alter flore pleno primum mihi transmissus à CL. V.D. Adolpho Occone Medico Augustano præcipuo.

Ranunculus Talictri folio, Dalechampio Aquilegia minor, circa Gratianopolin in Gallia ab ipso inuenta, elegans planta, depicta à Carolo Clusio in obs. Pannonicis, quæ in Pannonia & Austria copiose crescit. Perennis est planta & statim primo vere florem profert.

Ranunculus Illyricus depictus à Lobelio, qui tamen teste Clusio in obseruationib. Hispanicis copiose etiã prouenit in Hamburgensi monte duobus supra Posonium milliaribus. In horto per hyemem satis bene durat.

Constantinopolitanus rubro flore quem aliquando habui munere eiusdem Caroli Clusii, verum sequenti anno perijt. Requirit enim acuratam apud nos culturam. Hoc anno rursum radices accepi à Doctiss. iuuene Dn. Christophoro Vvexio Ienensi qui eas vna cum alijs rarioribus bulbis Constantinopoli, vbi cum legato Cæsareo cõmoratus est, attulit.

Raphanus Byzantinus, cuius semen habuimus Constantinopoli, qui postea tamen degenerauit in communem ac solos flores ac semina protulit, radice penitus lignescente. Habemus quoq; radice nigra, qualis frequens est Argentorati, & alium lutea. Hoc olus peculiari scripto Marcion quidã Græcus commendauit. Plin. lib. 19. cap. 5. de Raphano inter alia sic scribit: „Medici tradunt & præcordijs necessariũ illius succum, quan„do phthisin cordi intus inhærentem non alio potuisse depel„li compertum sit in Aegypto regibus corpora mortuorum „ad scrutandos morbos insecantibus. Atq; vt est Græca vani-

tas, fertur in templo Apollinis Delphis adeo cæteris cibis prælatus Raphanus, vt ex auro dicaretur Raphanus, Beta ex argento, Rapum ex plumbo. Scires non ibi genitum M. Curium imperatorem, quem in hoſpitio legatis aurũ repudiaturo afferentibus, rapum torrentem in foco annales noſtri prodidere. Qui Raphanum, rapum napum religioſi Agricolæ ſerunt, antiqua conſuetudine precantur, vt ſibi naſcantur & vicinis, vt contra Ocymum & cuminum cũ maledictis & probris terræ committendum annotarunt autores. Raphano comeſto lacticinia eſſe vitanda, quod corrumpantur & vitiũ inde contrahant, monent tum alij tum Ferd. Ponzetus lib. 2. tracta. 1. cap. 2.

Raphanus Ruſticus: vulgo Armoracia. Huius ſuccus deſtillatus, ſuo tempore adhibitus commendatur in calculo.

Rapunculus flore purpureo, candicante: ſpicato purpureo & albo.

Reſeda vt putatur, Plinij, recta & ſupina. Vtraque circa Ariminũ in Italia frequens: Supina quoq; ad Rhenum & alijs in locis Germaniæ.

Rhabarbarum monachorum, vide ſupra in Lapathis. Verum enim Rhabarbarum nondum nobis viſum eſt, nec qui viderit, ſe obtulit: apud Troglodytas igitur quærendum, vt monent autores, quos ἐρέμβους ab Homero 4. Odyſ. dictos volunt ἀπὸ τοῦ εἰς ἔραν ἐμβαίνειν, qua etymologia & τρωγλοδύτας appellant. Trincauella vero libro 1. de compoſitione medicam: cap. 12. ſcribit Quendam mercatorem, qui diu in Perſia verſatus fuerat, & aromatarius eſſet ac omnium medicamentorum peritiſſimus & is vir vt eius verbis maxima eſſet adhibenda fides, retuliſſe ſibi, Rhabarbarum in montoſis Perſiæ locis naſci, colligi, ſiccariq; & in Aegyptum vel Syriam à Perſis negotiatoribus ferri, vnde ad nos deinde apportari. Sed hic non eſt locus de hac re fuſius diſputandi.

Rhamnus III. Diosc. secundum Matth. supra Paliurus. Crescit in agro Monspeliensi & in Italia potiss. circa Veronam. Apud nos quoq; hyemem, nisi sit admodũ acris, ferre potest, alioquin diligenter erit à frigore muniendus.

Rhamnus quorundam. Oleaster Germanicus Cordi, frequens in locis arenosis circa Rhenum versus Curiam & ad Lycum ac alia flumina Bauariæ, multisq; locis alijs.

Rhamnus solutiuus, cuius minorem speciem Clusius in obser:
,, Pannonicis proponit. Ex eius succo fit Syrupus, qui quamuis
,, sit ventriculo non adeo commodus, cum aqua tamen Cina-
,, momi dilutus in affectibus podagricis vtiliter potest exhi-
,, beri. Augustæ Vindelicorum nominant Syrupum familia-
,, rem.

Rhamnum ἀλεξιάρlω Nicander vocat, quia nocturnos incubos, lemures, striges auertere putabatur efficaci amuleto: quo argumento in parentationibus ante fores suspendebatur. Meminit & Lycophron & Euphorion his verbis; ἀλεξίκακον φύε ῥάμνον. Spinam Ianalem hunc esse volunt celebratam ab Ouidio in Fastis, non autem spinam nuptialem facibus auspicatam.

Rhaponticum vulgare. Vide Centaurium maius.

Rhodia radix, ob odorem rosarum sic dicta. Nascitur in montanis locis Apennini, Gargano & in Delphinatu, vt vocant, prope Gratianopolin, præterea in Styria & Vngaria copiosissimè itemque in Anglia in monte Engleborreno dicto, totius Angliæ altissimo Comitatus Eboracensis, vbi flores & semen producit, vt ad me scripsit Doctiss. & rerum naturalium peritiss. Medicus D. Thomas Pennæus Anglus. Produxit etiam semen in nostro horto in vasculis pulcro minij colore rubentibus ante plenam maturitatem, cum superiore anno ex montibus Pannonicis modo eruta nondum hortensi luxuria quasi eneruata à sua na-

tura desciuisset: postea vero non secus ac reliquæ eiusdem familiæ aliquot annis iam cultum perpessæ solo flore placuit, forte etiam, vt & illæ, tandem proceriorib. stolonibus & lætius virentibus foliis deinceps exuta tanquam agrestia superbire incipiet, manifesto argumento, quantũ locis natalibus mutatis à naturali forma plantæ soleant recedere.

Rhus obsoniorum siue Sumach. Ex semine prouenit & multis annis in fictilibus, quæ per hyemem in loco subterraneo asseruantur, aluimus: Sed tandem perijt, nec florem aut fructum vnquam protulit. Crescit copiose ad Marranum Castellum in Via Aemilia, Lanzanæ & in Vmbria, & ibidem adhuc Sumach nominatur.

Rhus myrtifolius, cuius putatur à Plinio fieri mentio libr. 24. capit. 11. vbi ait: Nec Rhus Latinum nomen habet, cum in vsum plurimis modis veniat. Nam & herba est syluestris, foliis Myrti, cauliculis breuibus quæ venena & tineas pellit, &c. Gesnerus potius Clymenum esse vult, cum Plinius diserte Rhun in herbam & fruticem distinguat: planta vero hæc, quam nunc dicimus, frutex sit, non herba. Myrti quidem folia etiam coriario tribuit Marcellus: verum de Rhu herba nihil apud alios inuenio, & Plin. in historia libr. 13. capit. 16. de Rhu frutice tantum agit, herbæ autem hoc nomine nullius meminit. Clymeno vero conueniunt. I. καυλὸς τετράγωνος. II. φύλλα πρὸς τὰ τοῦ ἀρνογλώσσου potius quam Myrti. III. θυλάκια ἐπὶ τοῦ καυλοῦ εἰς ἄλληλα νεύοντα ἐοικότα πολύποδος πλεκτάναις, acetabulis enim polyporum ferè similis est fructus. IIII. Vis astringendi & refrigerandi insignis. Nec dubito radicem quoq; vtilem esse. Sed de hoc aliorum quoque sit iudicium. Ex semine prouenit & hyeme vult recondi in cellam. Florem apud nos nondum ostendit. Describitur opt. in historia stirpium Lugdunensi, & in Monspeliano agro copiose prouenit.

Rhus myrtifolius Plinij Gesnero, vide supra Anonymos Peruincæ folio.

Ribes sylueſtre, præcoci & copioſo flore menſe Aprili abundat, foliis minoribus quam alterum præditum eſt. Loco aprico in horto raro vel nunquam gignit fructum, (qui inſipidus vel ſubdulcis eſt, vnde conijcio eſſe Ribes dulce Cluſij in obſeruat. Pannonicis) quare à quibuſdam ſterile vocatur. Creſcit non longe ab hac vrbe ſua ſponte verſus montem Piniferum Nariſcorum. Ribes Serapionis à noſtris Ribes longe aliud eſt cuius iconem primus (quod ſciam) peritiſſimus rerum Simplicium D. Leonhardus Rauvvolfius publice exhibuit, qui etiam ſicca planta me donauit. Vide apud Bellon. de arborib. coniferis deſcriptionem pleniorem.

Ribes vulgare baccis rubris, cuius magna copia ſua ſponte creſcit in quadam ſylua, media ferme via inter Dreſdam & Budiſſinam ad fines Luſatiæ. Si baccæ ſtatim vbi maturuerint, vel ſaltem exempta ſemina in terram proijciantur ante hyemem, facile enaſcuntur, & cito creſcunt in frutices.

Ribes baccis rubris maiorib. quam plantam primum nactus ſum Oeniponte ex horto ſereniſs. principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ. Flores quoque ſunt aliquantum rubicundi.

Ribes baccis nigris, itidem minoribus & maioribus, quod olim nobis in Italia pro piperis, ſi recte memini, arbuſcula oſtendebatur in horto CL. Viri Maffæi nobilis Veneti. Creſcit abunde in montanis Miſniæ circa Annæbergam, atq; ibi neſcio quid venenati iſtis baccis ineſſe aſſerunt, cum aliis in locis eſui eſſe ſoleant.

Ricinus vulgaris, vbique notus. Aluimus aliquoties & alterum Syriacum grana duplo maiora & minus liuidi coloris proferentem. Excellentiſs. Coſtæus in comment. ſuis in Meſuem doctiſs. exiſtimat mendum eſſe in Dioſcoride, qui dicit triginta grana debere aſſumi, cum vſu compertum eſſe dicat,

,, tria grana Syriaci ſtrenue & cum multa moleſtia purgare.
,, Quare τρεῖς non τριάκοντα legendum conijcit. Ricinum Talpis
,, quadam peculari ἀντιπαθείᾳ contrariũ eſſe autores affirmant,
,, ſed nos id ſe habere non potuimus depræhendere, neque
,, etiam foramina foliis Ricini ſuffarcta & obturata denuo eru-
,, ere veriti ſunt.

Ros Solis ſiue Salſirora vel Solaria, Mas & fœmina, Muſci genus, quod multis in locis ſyluoſis, humidis, at apricis inter alia muſci albicantis & ſubrubentis genera apud nos quoque in ſylua non longe à latomijs creſcit. In hortum translata à me ſæpius cum ſua terra vix vnam æſtatem pertulit. Doctiſſ. vir Caius Britannus in quadam epiſtola ad Geſnerum refert vulgo Roſam ſolis vocari, nec ita magnefieri à doctis Medicis quemadmodum ab Empiricis & mulierculis quibuſdam. Nam in Anglia quoque obſeruatum eſſe ab opilionibus oues quæ crebro hac herba veſcantur, habuiſſe Epar & pulmones male affectos, ac marcore quodam vitiatos. Sunt ‹‹
tamen contra non pauci Medici celebres, qui eius aquam ‹‹
ſtillatitiam in phthiſi commendant. ‹‹

Roſa Græcis ῥόδον, ob odoris ſuauitatem, teſte Plutarcho. Flos inſignis, locis ſiccis quam humidis odoratior, index veris, quamuis tepidioribus autumnis non raro quoque rurſum flores emittat. Cuius plurimæ ſunt differentiæ, quas diligenter enumerant Theoph. & Plin. ex colorum & locorum varietate deſumptas. Nos hic enumerare tantum volumus, quæ horti noſtri hactenus ornamenta & delitiæ fuerunt.

Alba, candida ſimplex & plena. Hanc Campanam apud Plinium qui ait præcocem eſſe, nominari conijciunt quidam viri docti.

Lacteola, elegans roſa, non magna, foliis multis, denſe ſtipatis:

ſtipatis: quæ ſingula ſi euelluntur candida ſunt, cum vero ſimul calyci inhærent, in flore integro videtur quidam dilutus rubor emicare. Vratislauiæ copioſe in hortis coli dicitur, vnde etiam ad nos perueniunt. Hæc centifolia Plinij videtur, numeroſis folijs & paruis. Nec tamen eſt talis odoratiſſima, quamuis reliquis odoris præſtantia parum cedat. Extremes veluti margines in coronis apte ornat, quod exigua ſit.

Rubicunda, quæ non omnino dehiſcit, vt Plinij Græcula, folio quoq; quam in cæteris latiore, odorata tamē. Ex quibus Saccharum Roſaceum conficitur, vnde apud nos Zucker-roſen dicuntur.

Incarnata vel leniter purpuraſcens. Apud nos Vlmenſes à loco nominantur. Veterum eſſe Præneſtinas exiſtimant. Incarnatas tamen Hiſtoria ſtirpium Lugdunenſis Trachinias eſſe putat: Mileſias vero quæ Gallis Roſes de Prouins appellantur. Hæ nimij frigoris ſatis ſunt impatientes, quare niſi ab eo muniantur, quandoq; pereunt: quamuis altero anno à radice rurſum repullulent. Apud nos plurimæ creſcunt, cum ad Syrupum Roſ. ſolut: in magna copia aſſumantur. „Mirum tamen eundem Syrupum deſtillatum contra potius ſtrenue aluum ſiſtere, quemadmodum Lobelius quoque obſeruauit. At doctiſſ. Coſtæus in commentarijs ad Meſuen editis aquam ſimplicium Roſarum ad ℥. x. hauſtam euacuare aluum ait, ſicuti quoq; arida folia in ſero caprino ſumpta idem præſtare tradit.

Intenſe rubens ſimplex vel plena quam vulgo Pharmacopoei vocant Finam & folijs exiccatis, quoniam colorem & odorem diutius ſeruant, vtuntur. Hanc Mileſiam fuiſſe olim dictam ex Plinio conijcitur, qui ait eius colorem eſſe ardentiſſimum.

Rosa purpurea siue in rubro nigricans & ceu violacei aliquid diluti admixtum habens. A priore alioquin parum discrepat, nisi quod maior sit. Aliqui Kolrosen appellant. Videtur Trachinia Plinij.

Damascenæ quasi de Sæni apud Arabas, siue Muscatæ, simplici flore & præcoci; & pleno, quæ posterior species in autũnum vsque floret, est fragrantiss. odore. Prior vero ex albo florem ad puniceum nonnihil vergentem habet. Quæ pleno flore est ad coroneolas Plinij quidam accommodant, quod inde Coronæ odoratiss. nectãtur & autumno nascatur. Quãuis forsitan posteriorib. sæculis primum Italiæ innotuerint. Quid enim mirũ, quamuis multa Theoph. & Plinio Rosarũ genera numerentur, alia etiam extitisse nostra ætate. Tantopere enim diuersis locis per se & humano opere coacta variat natura suas opes. Apud Serapionem & Auicennam Rosa Muscata flore simplici vocatur Nesrin vel Nefrin. Hæc in nostris hortis perfert hyemem nisi sit acerrima, qualis fuit anni superioris 1586. Repullulat tamen ex radicibus. Huius vicena folia aluum leniunt (quamuis idem præstet sed paulo copiosior sumpta quæ pleno est flore) quam facultatem Græci antiquiores non norunt, sed Arabibus & potiss. Mesuæ acceptum referendum. Vnde in Hetruria verno tempore in Acetarijs exhibẽtur pueris. Quod Fumanellus in Regimine senũ & commentariolo de Rosis vberius annotauit.

Rosa Cinamomea simplex, fructu oblongo admodũ præcox, quam pro Lychnide Plinij habet Gesnerus & in Albio monte maiorem & minorem nasci tradit. Quaternas in costis singulis foliorum syzygias habet plerunq; maior, præter summum singulare, quod domesticæ nullæ nisi rariss. syluestres quædam sed nõ omnes solent. Minor, quã pro mare habet, vt priorem pro fœmina, minutiores gerit spinas; floris pericarpion spinosum est modice, superioris læue.

Altera,

Altera, quam vulgo Venetam vocant, alij Prouincialem, præcox & ipſa eſt, minoribus ac denſis floribus dilute purpuraſcentib. & in medio ſuaue rutilantibus eximij odoris. Cortex huius fruticis admodum rubet. Facile fert hyemis iniuriam & mire ſe propagat, ideoq; forte apud veteres viliſſima fuit, pluribus ſed minutiſſ. foliis, Spermonia Plinij. Mauult enim ſic legi Barbarus quam Spineolam aut Spinoſam. Ita enim ſiue quod minutiſſ. folio, ſiue quod viliſſima omnium ſit, rectiſſ. videri poſſe ait. Sunt qui Sycioniam legendam putent.

Roſa absq; ſpinis, purpuraſcens plenis maioribus floribus, de qua plura vide apud Cluſium in obſ. Pannonicis.

Campeſtris odorata Cluſii in obſ. Pannon. ſiue Pomifera, vt exiſtimo, Lobelij, quamuis hic ſine ſpinis depingat, cum reuera ſit ſpinoſiſſ. Creſcit non ſolum in Auſtria & alibi ſed à me quoq; reperta eſt in montib. Franconiæ, qua itur in Haſſiam, vulgo auff der Lederhecken.

Roſa lutea, Apennini in Italia inquilina. Scribunt aliqui Roſæ albæ ſurculum facto foramine per Geniſtæ ſcapum traductum & implantatum luteos flores producere: quemadmodum in Aquifolium ſiue Ilicem inſertũ, virides. Quod tamen neutrum adhuc experiri licuit. Vnde vero herbacei coloris roſæ ſine calice interdum frigidiori & humidiori anni cõſtitutione proueniant, erudite explicat Doctiſſ. Coſtæus de vniuerſali ſtirpium natura. Sicut I. Cæſar Scaliger in ſuis exercit. explicare ſtudet quare Roſæ ſint ſpinoſæ. Tardius proueniunt ſemine atque ideo caule conciſo propagantur. Vſtione & reciſione meliores fieri frutices omnes rei ruſticæ ſcriptores teſtantur, ac translatione quoque celeriter prouenit. Niſi quinto anno repurgetur & recidatur, odorem gratum flores deperdunt, vt Coſtæus quoque notauit, eiuſque rei rationẽ reddit doctam.

Rosa Canina , κυνόῤῥοδον, viuis ſepib. idonea. Inuenitur & hæc duplicato flore, quæ pro Alabandica Plinij haberi queat.

Multorum remediorum, tam interiorum quam exteriorum materiam præbere Roſas omnibus conſtat: quæ ſingula enumerare non eſt huius loci. Saccharum Roſ. purgans vide apud Card. de tuenda valetudine, quod vt peculiare, ſic
„ non eſt contemnendum. Interior luteus flos rubræ Roſæ,
„ (quem perperam vulgo Antheram vocant, cum hæc dictio
„ compoſitionem quandam denotet, à colore viuido appella-
„ tam) puluerisatus cum aqua Cydoniorum deſtillata datur
„ vtiliter in nimio menſium fluxu. Ad dentes à corruptione
„ ſeruandos & gingiuas roborandas ſumitur aceti Scyllitici &
„ aquæ è calicibus Roſarum deſtillatæ æqua portio & eo ſæpe
„ os colluitur, annotante Monarde Hiſpalenſi de rebus In-
„ dicis.

„ Spongiola in Cynorrhodo leuigata & vſta contra calcu-
„ lum & vrinæ difficultatem eſt efficax. In eius cauitate inte-
„ riore tineæ quædam candidæ interdum occluduntur, quibus
„ puluerisatis ad expellendos vermes inteſtinorum multi feli-
„ citer vtuntur.

Ferculum, vt ipſe dicit, ſuauiſs. docet parare Athenæus ex Roſis lib. IX.

Turcæ (vt Generoſus Domin. Augerius Buſbeckius, &c. in ſuo itinerario notauit) folia Roſarum humi iacere non patiuntur, quod, vt Vetuſtas Roſam ex ſanguine Veneris, ſic iſti fatui ex ſudore Mahumetis ortam eſſe ſibi perſuadent.

Multa Philologica de Roſa vbique ſeſe offerunt, quorum pauca, ne nimium hoc opuſculum creſcat, & ſelectiora tantummodo afferemus. Imprimis vero mihi placet verſus elegantiſſ. Theocriti:

„ Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.

In

In quam ſententiam elegantiſs. diſtichon extat Ioan. Maioris poëtæ celebris.

Vt roſa mane viget, tamen & mox veſpere languet,
Sic modo qui fuimus, cras leuis vmbra ſumus.

Et alterum eiuſdem:

Vidi ego mane Roſam ſolis cum lumine naſci,
Et vidi rurſum ſole cadente mori.

Apud Claudianum legitur: *Armat ſpina Roſas*: id eſt, nihil abſque labore iucundum.

Huc referendum Epigramma Virgilio aſcriptum de Roſis, & verſus ſuauiſs. Anacreontis, quæ paſſim extant.

Philoſtratus Roſæ fruticem Cupidini dicat, quem tota facie videt æmulari. Semper illa recens iuueniſq́; , nec nō mollis vt Cupido. Aureis comatur capillis. Spinas pro iaculis geſtans, pro facib. fulgorem, folia pro alis roſæ data ſunt: neque Cupido neque Roſa tempus norunt. Idem lumina terræ, veris comas, amoris igniculos, terræ fulgur appellat.

Roſa Hierichuntica, vulgo dicta, quæ nobis ſuperiore anno pulchre floruit, ex ſemine nata. Amomum eſſe nequit, cum deſcriptio ei non congruat. Sed aliquid ferme habet cōmune cum Thlaſpi, parum tamē vel nihil acredinis, quæ guſtu percipiatur, niſi in radice & ſurculis, quorū ſapor æmulatur Raphanum. Infeſtatur admodū à Campis viridib. vt Naſturtiū, Eruca, Braſſica & cōgeneres herbæ. Eius ſylueſtrem ſpeciem quam in Syria tectis & ruderib. innaſcentem inuenit D. Rauvvolfius mihi communicauit. Bellon. libr. 2. ſing. capit. 86. repræhendit monachos, qui fuerunt autores nominis huius plantæ & ſuperſtitionū quib. ad hunc vſq; diem eſt obnoxia: nec non eos qui pro Amomo habent. Addit ſe reperiſſe in Arabia deſerta ad littora maris rubri, creſcentem in ſabulo. Circa Hiericho vero nuſquam apparere. Atque idcirco dictum illud ſacræ ſcripturæ: Sicut plantatio roſæ in Hiericho,

falſo huic accommodari, cum intelligendæ potius ſint roſæ alioquin ſic appellatæ rubræ vel puniceæ.

Roſmarinum Coronarium, quod vt apud nos ſtudioſe colitur, ita in Gallia Narbonenſi ſua ſponte tam copioſe creſcit vt ligni vtantur loco, ad focos inſtruendos. Floret bis in anno, vere & autumno. Amat terram non nimis pinguem aut humidam, ſed potius ſicciorem. Plinius lib. 17. cap. 13. neſcit illi ſemen eſſe: Sed nos obſeruauimus copioſum proferre: quod ſi ſponte deciderit, antequam colligatur, paruas plantas plurimas creat, quæ tamen raro ſunt in alterum annum viuaces. Inſeritur eius ſcapus in Iuniperi teneras arbuſculas, & ita in locis temperatiorib. per hyemem ſub dio nonnihil tamen munita relinquitur: idq; memini me vidiſſe Aſchaffenburgij in horto Electoris. Inde olim penatibus coronæ ſuſpendebãtur. Horatius:

Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragiliq; Myrto.

Hæc admodum annoſa eſt planta.

Oleum huius per organa Chymica paratum plurimum roborat cerebrum frigidius. At per inſolationem in Canicularibus ex eius floribus factum vtiliter adhibetur contra cicatrices & obſcuritatem oculorum.

Rubia tinctorum ſiue Erythrodanum. In hortum translata mira ſerpit viuacitate. Colitur copioſe cum magno incolarum fructu in Sileſia circa Vratislauiam, in Selandia & alijs locis. „Diſputant inter ſe Medici vtrum aſtringat vel aperiat. „Langius tamen & alij medici vſu & experientia obſeruarunt „fœdum colorem regij morbi emendare & menſes promo„uere. Aqua eius deſtillata opt. ad vlcera oris addito pauco „Alumine & aliquid mellis Roſacei. Huius radix & Sanicula „in vino rubro cocta & hernioſis impoſita, plurimum conducit. De eius cultura aliquando peculiarem commentariolũ à nobis

nobis habebit harum rerum studiosus lector.

Rubia syluestris inter gramina passim sponte proueniens.

Rubiola aruensis, flore cæruleo, in agris Bauariæ itemq; Hassiæ frequenter occurrens.

Rubiola Saxatilis, tenuissimis foliolis, locis saxosis & strigosis aggeribus tam in Franconia quam Thuringia sæpius à me inuenta.

Rubus Idæus Leucocarpos, id est fructu albicante, odoratissimo. „ Ex Rubi Idæi fructibus aqua & succus elicitur fragrantiss. „ odoris & cordi amicus admodum: quod etiam Gesnerus annotauit & in accuratiss. Antidotario Augustano CL. V. D. Adolphus Occo, Reipub. Medicus præcipuus.

Rubus paruus saxatilis alpinus Domini Clusii in obser. Pannonicis quem nobis communicauit superiore anno Nobiliss. & præstantiss. vir Dn. Georgius Riteselius ex Hassia rei herbariæ amantissimus.

Ruscus, Oxymyrsine, ex quo in Italia scopæ fiunt. Anguilla: opinabatur esse Serapionis Cubebas & secundum eundem Carpesium Galeni. Sed hæc Arabum confusio quædam est. Hyemem nisi clementiorem apud nos non fert. Locis subterraneis asseruata & ineunte vere loco vmbro collocata baccas rubras in hortis nostris producit.

„ *Ruta hortensis*. Πήγανον esse Græce dictum Plutarchus in Sympo: „ existimat, quod ob siccitatem calori mistam semē constrin„ gat & coagulet, atq; ideo prægnantibus sit inimica. Hanc as„ sumptam ideo suspicionem veneficiorum corrigere censet „ Aristoteles, quod calefacere & discutere flatus possit, qui in „ eo excitari solent qui cum perturbatione metuq; fascini, ci„ bi aut potionis aliquid assumpsit, vt annotauit Ruellius lib. „ 3. cap. 38. & Costæus lib. 2. de vniuersa stirpium natura. Ruta „ adeo acris est, vt in Scotia quidam hortulanus ob copiosam „ rutam per aliquot dies erutam & putatam inciderit in erysi-

„pelas manuum & frontis. Ideoq; Plin. lib. 10. cap. 13. cicutæ „succum inquit prodesse manibus colligentium rutam. Qua„re mirum non est si abigat serpentes. Item ea inuoluta cada„uera diutius conseruantur integra. Antigonus scribit in mi„rabilium rerum congerie, Mustelam priusquam cum serpen„te pugnet, odore rutæ sese munire. Imprimis quoque pro„desse inquit rutam in mero decoctam contra ictus serpen„tum. Plutarchus præterea in Sympos: tradit, rutam sub ficu „vel prope nascentem suauiorem fieri & sapore mitiorẽ. Ad„dit Plinius lib. 19. nusquam lætiorem prouenire quam sub „hac arbore. Surculo nasci aliquoties compertum habemus, „etiam non in perforatam fabam indito, vt idem notauit, me„lius seri, quod succo nutriat compræhendendo surculum. „Furtiuam prouenire fertilius putant quidam superstitiosi, „itemq; cum maledictis satam. Hæc cultura, (vt sæpius vidi) „ita in altum crescit, vt etiam tres cubitos superasse memine„rim, ac admodum est longæua; cuius radix tandem plane li„gnescit, quæ si accenditur suauem & tempore pestis vtilẽ e„mittit odorem. Ruta & Eruca subsalso alimento redduntur „meliores.

Ruta syluestris tenuifolia, acerrimi odoris: cumque loca amet montana & inculta, difficulter assuescit horto. In Apulia quandam speciem crescere ait Anguillara, quæ plane sit venenata, præsertim si sua sponte in saxis proueniat, vt Plinius lib. 20. cap. 13. in Macedonia, maxime iuxta flumẽ Alyacmon similiter fieri tradidit.

Ruta syluestris altera, adhuc in Samnitibus Harmel vulgo dicta, quæ hyeme in fictili est recondenda, quamuis difficulter apud nos semen producat. Florere eam semel vidi.

SABDA-

S.

SABDARIFFA depicta à Lobelio, sed Icon haud est vsque adeo accurata.

Sabina vulgaris vbiq; nota. Plinius lib. 17. cap. 13. propagine seri & auulsione scribit & fece vini aut è parietibus latere tuso mire ali. Negat enim semen illi esse. Id quod de vna specie solummodo verum est, non item de altera. Huius foliorum puluis cum pinguedine lacti innatante commixtus ad tineas puerorum commendatur. Hæc vna cum Hermodactylis trita & oxymelite Scyllitio excepta vel succo calendulæ clauos callosque abolet etiam in partibus pudendis à fœdo concubitu contractos. Card. 4. de tuenda valetu. memoriæ prodidit serpentibus ita esse amicam hanc plantam, vt in agro Comensi magna viperarum multitudo circa ipsam conuenerit.

Sabina baccifera, magis cæruleis folijs prædita.

Sagapeni planta vulgo dicta: Costus Spurius Apuliæ Matthiolo. Sagapenum in Italia gigni Plinius autor est, sed in totũ transmarino alienatum.

Salix latifolia Salweyden. Crescit in monte S. Mauritij vicino huic vrbi iustæ arboris proceritate & in folijs quædam tubercula gignit, nec non in surculis pillulas quasdam scabras, non absimiles ijs quas in Thymiamate reperientes Pharmacopolæ pro Styracis fructu venditant. Verno tempore odoratissimũ florem emittit, ideoq; pro Chaleb Syrorũ à Gesnero habetur. Semine etiam sese propagat & facilis auctu crescit in arbusculam, vt ipsimet obseruauimus in hortensi nostra.

Saluia latifolia, & altera eiusdem formæ cum auriculis: item tenuifolia auriculata, & eius generis Hispanica odoratissima. à frigore munienda, sicuti quæ flore est albo,

cuius

cuius meminit quoq; Aloysius Anguillara. Hæc non fimo pingui sed luto veteri cum terra debet stercorari. Lixiuij etiã cinere muniunt olitores & sic lætiorem prouenire testantur. Saluiam virosam & quasi pestilentem esse censendam ait Mizaldus in memorabilibus, quæ foliorum pinnas quasi carbunculatas præse fert, estq; toto habitu retorrida & tanquam „ sideratione perculsa. De saluia sub qua Bufo latuerit, ex cu„ ius foliis comestis quidã mortuus fuerat, Paræus in sua Chi„ rurgia memorabilem historiam recitat.

„ Saluiæ & vrticæ folia simul in mortario contusa ac instar „ cataplasmatis parotidibus imposita plurimum iuuant.

Arnoldus de villa noua lib. 1. cap. de spasmo, versum vulgarem: *Cur moriatur homo cui Saluia crescit in horto?* allegat non sine risu ex Georgicis Virgilij.

Saluia syluestris, quam copiose reperi in Thuringia inter Salzam & Weissensee.

Sambucus, siue secundum Serenum Sabucus, campestris siue „ vulgaris. Acinorum emulsum commendatur in hydropicis. „ Cimæ teneræ decoctæ in aqua ad dimidium cũ pauco croco, „ menses cient. Insita prunus in Sambucũ, quamuis, vt exper„ tus sum, non facile compræhendat, fructus fert purgantes.

Reperitur in quibusdam locis, viridib. in alijs albis baccis.

Sambucus montana, racematim baccas rubras profert, in Latomijs ab vrbe ad mille passus sitis, copiose crescens, nec non alijs in locis.

Palustris mas & fæmina. Hæc baccis, ille flore conglobato placet.

Sanguis Draconis supra in Lapathis requiratur.

„ *Sanicula*, Diapensia vulgo, herba admodũ vulneraria, quæ passim in altioribus montibus in Germania reperitur. Ruellius lib. 2. cap. 147. Gallis in adagium venisse vulgo iactatum scribit, eos non egere Chirurgo qui Saniculam habuerint. Sed

eius

eius delineatio nostræ non omnino congruere videtur. Inter Ranunculos etiam hanc retulit.

Sanicula guttata, aliis Saxifraga Sabaudica. Italis nonnullis vmbilicus Veneris Septentrionalium. De qua consulatur Gesnerus in libello de Lunariis & alibi. Amat loca vmbrosa & paulo humidiora, quem si nacta fuerit in horto perennis euadit.

Saponaria vulgaris, ab effectu, nam loco Saponis manus abstergere à sordib. hanc plantam experientia testatur. Differt à Struthio, quod spinosa non sit, non caule lanuginoso, non folio oleæ, non sine semine copioso. Dodonæus ad Alisma Diosc. referre conatur.

Satureia. In Acetarijs & intinctibus magnus illius vsus apud Italos præsertim, apud quos etiam multi tantummodo cum pane comedunt, vnde aliqui, quia Saturos reddit nomen traxisse existimant. Columella cum Ceparum semina sparguntur, præcipit ijs Satureiæ semina immiscendum: nam & viridis esui est iucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda: quod hodie seruatur olitoribus idcirco Zwibel Hyssop/id est, Hyssopum Ceparium nuncupantibus. Thymbram à Satureia discrepare sentit idem autor dum canit. *Et Satureia thymi referens thymbræq; saporem.* Quintus Serenus Satureiam speciem Thymbræ notauit, quasi Thymbra, non absoluta voce sed Cephalote thymbra diceretur, quam Plinius cunilam capitatam nuncupat. Sed hæc copiose tractat Ruellius lib. 3. cap. 32.

Satureia perennis, ex horto peritiss. Pharmacopœi Francofurtensis, Adami Keckij.

Satyrion Basilicum, vt vocant, flore albo & rubello, itemq; bifolium. Vide supra Orchides.

Saxifraga hircina maior & minor. Supra Pimpinella.

Saxifraga magna Matthioli, in Thuringia frequens, vel simillima

prorſus herbula, quæ non magnitudine ſed viribus potius id nomen obtinuerit.

Saxifraga Bauarica, in petris nudis muſci more innaſcens, foliolis thymi ſed virentioribus, floſculo ſtellato, candido, quinq; foliolis conſtante, imprimis eleganti.

Saxifraga alba, cuius decoctum efficax in difficultate vrinæ.

Aurea Dodonæi, circa fonticulum ab Eobano Heſſo carmine celebratum copioſa, vulgus vocat, zur Buchen Klingen/ vnde in hortum tranſtuli:

Scabioſa maior & minor diſſectis foliis ex Hercynia ſylua: item floribus luteis ex Thuringia, vbi paſſim locis petroſis & in
„ macerijs creſcit. Herba eſt admodum πολύχρηστος, cuius ſuccus
„ calidus impoſitus vulneribus ſagittas extrahit. Item ad car-
„ bunculos efficax, vnde etiam in Germania nomen illi im-
„ poſitum, Apoſtemkraut. Extractum Scabioſæ efficax admo-
„ dum in pulmonum affectibus ac præſertim peripneumoni-
„ cis mihi commendauit CL. V. D. Caſpar Hofmannus vir
„ doctiſſ. & humaniſſ. Archiater illuſtriſſ. principis Electoris
„ Brandeburgici.

Scabioſa maior Matthioli.

Maxima, leucanthemos.

Graminea, folio argenteo, flore purpureo, Florentia miſſa. Naſcitur etiam in fodinis ferri Styriæ.

Bauarica pumila, folio tenuiſſimo, flore purpuraſcente vel incarnato non abſimilis Pannonicæ III.

Hiſpanica, elegans planta.

Gallica, folio oblongo, tenui, nigricante, nitido. Huius ſapor idem fere eſt, qui baccarum Solani veſicarij, quod Alcakengi vocant, cum nondum maturæ ſunt.

Fruticoſa ſiue arboreſcens, quam Cæſalpinus deſcribit.

Alpina, Centauroides, alijs Centaurium Nothum.

Ouilla Dodonæi.

Repens montana.

Scammonea Antiochena, aliquot annos apud nos durat asserua-ta in fictilibus per hyemem, & æstatis initio floret, sed semen nunquam absoluit. Memini Dominum Cortusum Patritium Patauinum, rerum naturalium summum indagatorem ex crassis radicibus aliquot vncias succi extraxisse. Aiunt si prope Tithymallũ seratur, adeo eius caliditatem accendi, vt veneni naturam acquirat. Huius tamen liquor caloris acrimoniæque vi per ætatem amissa benignior nonnihil euadit. Quod vero non eas notas habet Scammoneum quales illi Diosc. tribuit, causa esse putatur, quod hoc tempore non obseruent veterem parandi modum, ac non ex incisa sed dissecta prorsus vel expressa radice aut è stipitibus & foliis contusis paretur: alioqui tanta copia Scammonij quo pacto quotannis ad nos afferri posset? vel etiam lacte Tithymalli sæpius adulterant. Pulcre mehercule alicubi Ruellius inquit: Nulla medicinæ pars incertior, quam quæ ab alio orbe quam nostro petitur. Depurandi vero rationem peculiarem alibi Deo volente docebimus.

Scammonea Monspelliensis maritima. Crescit etiam copiose prope Tripolim in maritimis, vbi incolæ vocant Meudheudi, Rhasis Coriziolam. Scammonium paruum Plinij nihil aliud est quam Helxine cissampelos.

Scandix. Pecten Veneris.

Schœnanthum, Iuncus florid. siue aromaticus ex semine prodit, vt etiam frater meus Ludouicus p. me: facto periculo non sine voluptate obseruauit.

Scilla. Hæc effossa aliquando per aliquod tempus in vere floruit. Sed tales bulbi postea raro iterum flores producunt, quod etiam in Croco & Narcisso autumnali obseruaui. Quam nos vsurpamus existimat Doctiss. Costæus in comm. ad Mesuen, esse Plinij nigram Scillam, id est fœminã, eandem

cum Pancratio quam Dioſcor. ſubrufam eſſe ſcribit. Nec eſt quod illam venenatam eſſe vereamur, cum longa experientia ſalubris eſſe depræhendatur. Idem ait, acetum Scilliticum rectius ex recenti quam ſiccata parari. Si tunicæ ſiue laminæ reponantur loco tepido, plurimos paruos bulbulos, vt Conchæ margaritas creant, qui poſtea terræ commiſſi creſcunt in amplitudinem, & diu admodum candidi permanent. Sed perierunt mihi inuſitato frigore ſuperioris anni, vt non potuerim obſeruare, an tandem etiam rubeſcant. Panis medullam, in qua Scilla corrigitur ſcio Pharmacopœorum pueros impune deuoraſſe.

Sclarea, Horminum quorundam, Gallitricum.

Scolymos Theoph. Eryngium Vegetij.

Scolymos Dioſc. vulgo Cardoni.

Scordium. Hoc quamuis in locis humidioribus & paluſtrib. frequentius inueniatur, probatur tamen magis quod ex montanis locis irriguis defertur: quale eſt Pannonicum, quod odore caput ferit & cæteris eſt acrius. Commendatur quoque Creticum lanuginoſum. Scordium in hortum tranſlatum mire ſerpendo ſe propagat. Egregiam hiſtoriam, quo pacto in Thracia à peſte ex Scordij decocto cum Terra Lemnia & Diaſcordio multi ex ſuis conſeruati fuerint, recitat Generoſus Dom. Augerius Giſſenius Buſbequius, &c. in ſuo pereleganti Hodœporico Conſtantinopolitano, quam integram hic recenſere nimis longum foret.

Scordium II. Plinij, vt quidam vocarunt, Tragi ſylueſtris Saluia, Scorodonia Cordi. Creſcit plurib. in locis Germaniæ, & præſertim ad Rhenum. Odorem habet Scordij, nonnihil Teucrij referentem. Anguillara ſcribit ſecundum Scordium in Samnitibus ad ripas fluuij Piſcaræ naſci foliis amplis inſtar Meliſſæ vel Calamenthi primi: atque idem reperiri in Creta, Græcia, & multis aliis locis non diſſimile odore & qualitate à primo.

Scorpio-

Scorpioides folio Bupleuri I. Dodonæi, quod plerisq; locis aridis & montosis nasci tradit, in oliuetis quoq; Narbonensis Galliæ: & aliud Matthiolo depictum, in Galliæ vinetis nonnullis spontaneum, Thelephium Anguillaræ.

Scorzonera floribus simplicibus & plenis. Videtur omnino ad Tragopogon posse referri. Crescit in multis locis Germaniæ, præsertim in Thuringia & Bauaria. Hispanica non alia ratione quam soli & climatis videtur à nostra differe. Aliquot huius differentiæ Pannoniæ & Austriæ peculares recenset Dn. Carol. Clusius in suis obs. Pannon. Aliqui hanc opinantur ad Cantabricam posse referri, sed haud scio quã recte. Card. lib. VI. de variet. rerum tradit primum in Tarraconensi Hispania quæ nunc Catalonia dicitur, cuiusdam Mauri industria hanc plantam esse inuentam ac Escorzoneram vocatã, quod contra Viperas & alia venena esset efficax, quemadmodum etiam inter cætera quæ suppeditat remedia oculorum morbis auxiliatur.

Scrophularia maior, & altera sine Scrophulis siue tuberculis, cuius flosculi & folia sunt nostrate elegantiora, in cæteris ferme conuenit: nec scio an ab alijs descripta, nisi sit Galeopsis Anguillaræ. Semine quotannis sua sponte propagatur. Eius iconem exhibemus in fine huius Catalogi.

Seban siue Sesban Indicum. Planta leguminosa, egregia, caule procero, tuberculis acutis exasperato, ramoso: foliis ferè Senæ vel potius Thamarindorum. Flos non potuit emergere ob æstates superiorum annorum inconstantes & nimis præcipites. Semen oblongum est vt Coluteæ scorpioidis, sapore pisi.

Securidaca maior & minor. ἡδύσαρον Græcis forte per antiphrasin, cum semen sit amariss. Itemq; Securidaca clypeata à Lobelio ac Dodonæo descripta. Floret hæc primo quidem anno, eximio purpuræ rubore spectantium oculos in admirationem

rapiens:non tamen ſemen perficit,decidentibus ſimul cum flore inchoatis ſiliquarum rudimentis. Onobrychis altera Dodonæi. Nec deſunt qui velint Helenium eſſe Aegyptium: ſed non conuenit,cum radix rubra ſit.

Sedum, ſupra Aizoon.

Sena Italica, quæ apud nos fuit annua planta. Contrahit noctu folia,ſicut multa alia eius generis leguminoſa. Alexandrina ne quidem in Italia vltra annum durat,ideoq; pro frutice haberi nequit. Quod hoc tempore foliis potius vtamur quam folliculis contra ſententiã Meſues, cauſa eſt, quod non folliculi eiuſmodi,quales Meſue deſcribit,qui ſcilicet tempeſtiue ex planta auferuntur, ſed potius nimis aridi & inefficaces afferri ſoleant. De Sena quædam Galeno Meſues aſcribit,quæ ille ne ſomniauit quidem, vt etiam Manardus in annotationibus meminit,& epiſtola prima libri primi.

Senetio flore odorato, foliis magis quam vulgaris, mollibus,odore Ambroſiæ ſiue Conyzæ Hippocratis Anguillaræ,à Dn. Ioſepho de caſa bona Magni Ducis Florentini ſimpliciſta ad me miſſa.

Senetio maior, floris Iacobæi ſpecies, magis tamen quam vulgaris,foliis laciniatis. Ad anginas, tonſillarumq; inflammationes vtiliter inde gargariſmus paratur. Decoctum & ſuccus vulneribus & vlceribus fiſtuloſis depaſcentibus,ne ſerpant, vtilis, quod experientia confirmat. Senation Serapionis alia planta eſt, nimirum Naſturtium aquaticum.

Serpillum maius flore purpureo & aliud candido. Minus folio thymi ſed virentiore,anguſto. Et tertium huic ſimile,quod ex vulgari Thymo duriore degenerauit. Quartũ item foliis latioribus,à duriore Thymo alioqui parum diſcrepans, præterquam quod repat.

Serratula.

Seſamoides

Sesamoides magnum Salmanticum à D. Clusio in obs. Hispanicis descriptum.

Paruum Matthioli, potius ad Chondrillam referendum.

Sesamum verum. Prodiit ex semine, foliolis binis oblongis, subrotundis, duplo maioribus ipso semine, & ex ipsorum medio emerserunt alia crenata; sed ea se non explicarunt, planta sensim marcescente. Sed ex eodem semine, quod à peritiss. Pharmacopœo Neapolitano Ferdinando Imperato missum satis fœcundum experti sumus, quoniam maceratum ac terræ mandatum in fictili iam inchoante hyeme fuit enatum, speramus æstate proxima, Deo volente, si iustis caloribus ac natiua temperie indulserit, nos habituros plantas viuaciores. Eius genuinam picturam ex siccis plantis exoticis D. Rauvvolfii mihi ab ipso humaniss. communicatis, primum, vt existimo, delineauimus.

Seseli Aethiopicum Fuchsii, & Peloponnesiacum eiusdem.

Est & alterum Aehiopicum ex illustriss. principis Landgr. Vuilhelmi horto Cassellano celeberrimo missum, cuius semen aliquantulum Cinamomum repræsentat odore & sapore. Folia fert Aquilegiæ ferme similia, sed multo ampliora.

Seseli Aethiopicum verum, diligentem culturam apud nos requirens. Non locis subterraneis nisi admodum siccis & perflatis per hyemem habendum & modice rigandum.

Seseli Massiliense. Lucas Chinus excellens rerum simplicium censor, circa viginti plantas descriptioni Seseleos Massiliensis conuenientes se nouisse affirmauit.

Creticum, maius & minus, vt vulgo dicitur, sed Bellonius κουκαλίτραν hodie appellari dicit in Græcia & inter olera comedi, nomine, vt videri queat, ἀπὸ τῆς κουκαλίδος detorto.

Pratense Monspeliensium.

Palustre. Vnicam plantam reperi in quadam palude syluæ Vrbi vicinæ, prope piscinas amplissimas, iuxta pu-

tridos

tridos arborum truncos, folijs ferulaceis, radice longa subfusca & ingrato admodum gustu cum feruore non exiguo fauces tentante: in hortum vero illata minus vrens euasit & saporis fœditatem deposuit, & caulem protulit ramosum, tricubitalem: flores candidos in vmbellis & semen latũ, foliaceum. Planta est lactescens, vt quædam aliæ vmbelliferæ, quales sunt Thysselium Dodonæi, Chærefolium, Caucalis Hispanica &c.

Sferra cauallo syluestre Germanicum, itemq; Italicum apud nos hortense tantum.

Sida vulgo vel potius Althæa palustris, flore albo & subrubro. Quam postremam plantam aliquando in Italia in Maio ad ripam Athesis circa Anguillaram vbi flumen traijcitur, copiose admodum non sine voluptate florentẽ reperi. Repullulat à radice in horto per aliquot annos, nisi sit hyems nimis aspera. Dodonæus vocat Althæam hortensem.

Sideritis prima Heraclea à Dn. Clusio primum transmissa, item Fuchsii Sideritis & alia Matthioli, quam Lanceam Christi alicubi vocari Gesnerus tradit, & vsurpari in balneis & fomẽ-« tis ad membrorum impotentiam. Marrubium palustre Tra-« gi. Sunt qui Aegyptiam dicant herbam, quod hi qui se Aegyptios mentiuntur, quales per Germaniæ ciuitates subinde discurrunt ac diuagantur, hac herba nigricantẽ colorẽ, qualemq; Aegyptij obtinent, sibi adsciscant. Succus enim huius « herbæ nigricante huiusmodi colore quæuis inficit, qui adeo « pertinaciter inhæret, vt elui aut abstergi nequeat: adeo vt te-« læ lineæ hoc infectæ perpetuo eum retineant, quemadmodũ « Dodonæus obseruauit.

Sideritis tertia Matthioli, quantũ ex pictura potest conijci, forte non satis exacte, vt nonnulla alia, pictorum negligentia repræsentata. Gesnerus tradit circa Glaronam in pede montis locis saxosis nasci. Monspel. Ruta canina.

Side-

Sideritis aruensis flore pallido, ſponte naſcitur in agris circa Francofurtum ad Mœnum.

Sideritis aruensis flore rubro. Ladanum ſegetum Dalechampij.

Siler Creticum, quo nomine ex Italia mittitur, foliis Cicutæ, ſed latioribus & paucioribus, ſemine incuruo, grandi, hirſuto & fuſco.

Siliqua ſiue Ceratia, quæ tamen vt facile ex ſemine creſcit: ſic quoque in alterum vel tertium annum, ſi vel parum negligatur, vix perdurat.

Siliqua ſylueſtris, vide Arbor Iudæ.

Sinapi album, aliud ab Eruca, cum qua quidam confudere. Plantæ Sinapis prima hyeme tranſlatæ, plus cimæ vere afferunt. Columella de re ruſtica lib. 11.

Siſer, Siſarum. Huius radices ex Germania Tiberius ſibi afferri curauit.

Siſon ex ſemine mihi interdum prouenit, quod in officinis pro Amomo habetur.

›› *Siſymbrium*, Rote Bachmüntz. Aqua huius ſtillatitia multum
›› confert cõtra difficultatem ſpirandi & pulmonum infarctus
›› & anguſtias. Antigonus in congerie mirabilium narrationum, Ariſtotelem ait ſcripſiſſe ex putrefactis Siſymbriis ſcorpios naſci: quod de Ocimo alij memoriæ prodiderunt.

Siſyrichium Cluſii. Bulbi allati Conſtantinopoli perierunt putredine, ſed rurſum progenuerunt ſobolem, quæ adhuc eſt ſuperſtes.

Smilax hortenſis, Phaſeoli vulgo.

Smilax aſpera, in loco hypogæo per hyemem ſeruanda. Floruit quidem ſed non tulit fructum, perennis planta eſt.

Smyrnium Matth. alias Petroſelinum Macedonicum, ſiue Oluſatrum apud Scribonium Largum. Anguillara exiſtimabat eſſe Hipposelinum Theophr. Hipposelinum autem cum Smyrnio confundere non eſſe nouũ patet ex Heſychio, apud

quem legimus, σμύρνιον τοῦ ἱπποσελίνου ὁ καρπὸς καὶ αὐτὴ ἡ βοτάνη. & Galenus inquit Smyrnium Romanis Olusatrum dictum fuisse 2. de alim. fac. Dioscorides vero expresse ait: Hipposelinum Latini Olusatrum appellant, aliqui Smyrnium, quamuis aliud sit, quod proprie Smyrnium dicitur, vt paulo post referemus. Agit vero de Smyrnio statim sequente capite.

Smyrnium Creticum. Mira huic plantæ inest proprietas, nam altero à satu anno prodit foliis geminis, oblongis, vt locustarum ferè alas repræsentent, quæ paulo post marcescunt. Interea sub terra latitat radix rotunda erui magnitudine aut paulo grandior. Sequenti postea anno folia protrudit instar Ammi vulgaris, vt in pictura Excell. Matthioli apparent, radix vero tenuis fit & oblonga, quæ rursum per hyemem ita perdurat. Primo deniq; vere tandem emergunt folia Petroselini, quæ CL. V. Dodonæus suo Smyrnio recte appinxit, caulisque enascitur circundatus foliis perfoliatæ. Hæc planta semina matura profert, quæ excidunt, & vt diximus, anno sequenti proueniunt.

Solanum hortense, quod non solum nigris, sed & rubris luteisque
„ baccis reperitur. Huius herbæ succus in cancris perutilis esse
„ solet. Doctiss. Medicus D. Seuerinus Gobelius in suo accu-
„ ratissimo commentario de succino tradit ex putredine hu-
„ ius herbæ vermes virides maculis luteis intermistis crescere,
„ in quorum capite cornu apparet interdum ferme digiti lon-
„ gitudine.

Solanum somniferum, quod raro apud nos semina perficit, in quo tamen iactura exigua fit, cum plus noxæ quam emolumenti hominibus afferre possint.

„ *Solanum somniferum alterum*, cuius meminit CL. Vir D. Ioannes
„ VVierus, in suo germanico libello, quam herbam Ditmarsi
„ & VVestphali contra istum morbum incognitum die Waren
„ magni existimant. De quo vide apud hunc autorem plura.

„ Buchananus lib. VII. ſuæ hiſtoriæ Scoticæ exponit, quo
„ pacto huius Solani ſucco vina & cereuiſiam Scoti infece-
„ rint, vnde Danos ſuos hoſtes ita dementarunt, & in profun-
„ dum ſomnum induxerunt, vt eorum Ducem Senonem cum
„ toto exercitu deleuerint. Perpende quanta vis ſit in herbis.
Similem hiſtoriam de Helleboro quoq; ex Pauſania ſupra allegauimus.

Solanum arboreſcens, vel Strychnodendron, ſiue fruticoſum, Amomum Plinij ab alijs appellatum. Facile è ſemine naſcitur, & perennis eſt arbuſcula, modo à frigore hyeme in loco tepidiore aſſeruetur.

Solanum maius, alijs furioſum ab effectu. Bella Donna Italorum, cum ſucco enim illius mulieres faciem decorãt. Theophraſti Mandragora ſecundum Anguillaram. Reperitur in multis ſyluis opacis & frigidioribus Germaniæ. Hier. Tragus ſcribit huius non baccis ſed ſurculis, ſicuti quoq; Sambuci montanæ Ceruas mirifice delectari.

Sonchus cæruleo flore duum generum, item luteus varius.

„ *Sorbus eſculenta*; torminalis, ſic dicta, quod torminibus & dyſen-
„ teriæ conueniat, ſiue Cratægus Theoph. vt peritiſſimi quiq; ſtudij herbarij volunt. Aucupalis.

Sparganium, at non diu hortum amplectitur.

Spartium, Geniſta peregrina ſiue Africana, vulgo Italica.

Spatula fœtida ſiue Xyris.

Sphærocephalus flore albo.

Sphærocephalus annuus flore cæruleo in ſatis magnum globum redacto.

Sphærocephalus maximus, pro Spina alba miſſus, altero anno floridus, priore à gelu muniendus, quo ſi vel tantillum aduratur, extabeſcit.

Spica Nardi, vulgo ſic dicta. Prodit nonnunquam ex ſemine, ſed difficulter ſic aſſeruatur: ideoq; ſurculis ſeri vſitatius eſt.

Spina Solſtitialis, vide carduus Solſtitialis.

Spinacia mas & fœmina. Hãc Geſnerus ait ab Heluetijs **Fimmelſpinet** vocari. Diſcrepat autem à mare, caule proceriore, latiuſculo, ſine ſemine; aſpectuq; magis ad Atriplicem ſyluestrem vel Bonum Henricum accedit.

Splith, fumaria Corydalis.

Stachys maior ſiue Germanica, itemq; minor in ſuperiore Matthioli editione affabre à nobis delineata.

Paluſtris Geſneri, herba fœtida, Galeopſin olens, flore ſpicato purpureo vel interdum luteo, foliis mentaſtri prioris Pannonici, radice reptante.

Staphylodendron.

Staphyſagria, tarde è ſemine enaſcitur. Sponte creſcit circa Crepanum in Illyria. Hodierno adhuc die in Græcia nominatur Ψιρόκοκκον, id eſt, granum pediculorum &c.

Statice Dalechampij, Cariophyllus marinus Lobelij, maior & minor. Videtur Britannica Anguillaræ vel non diſſimilis planta.

Stœbe Hiſpanica Cluſii.

Stœchas Arabica, ſic paſſim cognominata, cum tamen bona pars ex inſulis Stœchadibus ad nos comportetur. Monachi vero, qui in Meſuem ſcripſerunt, hoc notarunt diſcrimen vnicum, quod inter cæteras quæ ex Arabia aduehitur, denſioribus ſit ramulis Hæc quidem nobis florem, nunquam tamen ſemen maturũ protulit, quod tamen non ſine admiratione in Haſſia Nobiliſſ. Dominus Georgius Riteſelius in ſuo horto eo ipſo anno quo ſeuerat nactus eſt. Græci (vt D. Coſtæus in Meſuen quoque annotauit) nullam vim purgandi illi tribuunt, vt faciunt Arabes, quæ forte facultas in plane recenti, qualis ad nos non affertur, ſicut in roſis, ineſt, non autem iam aridæ.

Stramonia ſupra Nux Methel.

Styrax arbuſcula è ſemine enata, foliis Cotoneæ ſimilibus. Habenda

benda est loco tepido, non nimis humido. Frigoris impatientissima cum sit, itemq; aëris verni, cum primum terra aperitur, accuratam curam postulat.

Superba Tragi, Cariophyllus syluestris, Gesnero πολυσχιδής, Mutwillen/Federnägele/Haarnegele. Diosanthos Anguillaræ.

Symphytum maius flore purpureo & albo. Item subluteo tuberosa radice.

Symphytum Petræum Neapoli missum, foliis Thymi, sed maioribus ac longioribus, nonnihil hirsutis, aliquantum, sed minus, odoratis, capitulis Thymi, flosculis purpurascentibus. Non videtur satis facere delineationi Dioscoridis.

Syringa flore albo odorato, frutex exoticus, à quo tamen loco primum ad nos sit delatus, nondum constat. Quidam dicunt ex Hispania in nostras regiones peruenisse. Aliqui tam hanc quam sequentem ad Ostryn vel Ostryam referre conantur, sed frustra, vt mihi videtur, cum Ostryan satis repræsentet, quæ pro Carpino à Matthiolo exhibetur.

Syringa flore cæruleo, à Matth. pro Lilac depicta, sed pictura melior est apud Lobelium ac Dodonæum.

T.

TABACVM latifolium, angustifolium & minimum. Petum etiam vocatur, Nicotiana & Herba Reginæ. Vulgo Vulneraria planta Indica. Mirum est quod minutissimum hoc semen sponte excidens etiã sæuissima hyeme integre in terra illæsum latitet & sequenti æstate in multis locis horti, ad quæ forte vi ventorum fuit delatum, sua sponte copiose prodeat. Asseruari potest planta in tertium & quartum annum, at in fictilibus, neq; in loco subterraneo nimis humido. πολύχρηστον admodum est planta, de qua imprimis inspiciantur annotationes accuratiss. Domini Clusii ad librum Nicolai Monar-

dis. Augustæ ex eius succo parant Syrupum idoneum in
,, Asthmate. Vnguentum quoque simplex & compositum ad-
,, modum vulnerarium hic ex eo in vsu est: itemque puluis fo-
,, liorum siccorum in vlceribus immundis. Nonnulli eundem
,, puluerem cum oleo ceræ redigunt in formam linimenti,
,, ac eo vtuntur in dolore articulari si est à frigidioribus hu-
,, moribus.

Tamarindus ex nucleo enata nunquam vltra annum durauit.
,, Turcæ hunc fructum secum ferunt ad sitim sedandam. Deli-
neationem emergentis arbusculæ proponit Lobelius.

Tanacetum leucanthemum id est floribus albis, inodorum, crescit in montibus altioribus Franconiæ & alibi.

Tanacetum Anglicum siue Crispum, odoratum admodum. Cu- «
ius vsus est in cibis præsertim contra vermes puerorum. In «
Scotia vt testatur in Therapeutice puerperarũ, Ioan: de Bon «
Regius medicus in Gallia, heroinæ sectum Tanacetũ ad pro- «
hibendum abortum admouere solent partibus inferioribus «
frequenter & cũ felici successu, quod vt grauius oleat, prius «
manibus atterunt aut sub cineribus paululum coquunt. «

Tatula nuper nobis innotuit, Stramoniæ species maxima. De hac Monardem & Costam consulito. Constantinopoli aiunt capitale esse, si quis eam ferat.

Taxus arbor apud nos innoxia, vt etiam Pena in aduers. asserit in Anglia baccas sine periculo gustari & porcos passim vt glandes comedere. Huius rubri acini auide expetuntur ab auibus, sed inde attonitæ facile postea capiuntur. Scobem quoque illius venenatam esse sunt qui affirment, Hoc veneno etiam secundum I. Cæsar. lib. 6. bello Gall. Catiuulcus Eburonum Rex desperatis rebus se exanimauit. Gaudet hæc arbor locis vmbrosis.

Telephium Hispanicum.

Minus semper virens, Cepæa Pantij sponte in Belgio nascitur.

Tele-

Telephium Ferdinandi Imperati Neapolitani pharmacopœi peritiss. Calor, quem in hac planta requirunt veteres, radicem potissimum gustantibus depræhenditur. Perijt superiore hyeme, cum ante hac plurimos annos durauerit, semine tamen sponte excidente plurimum se rursus propagauit. Cauliculi supini folijs amiciuntur portulacæ sed tenuiorib. flosculos fert stellatos albicantes, in summitate confertos, quib. succedunt nigra semina in capsulis.

Telephium Matthioli, flore albicante & rubro. Anacampseros Gesneri, cuius radix instar aloes in aëre suspensa crescit. Vulneraria planta est.

Terebinthus, ex semine prouenit. Serenda autē sunt grana quæ viridia sunt, rubicunda enim penitus effœta esse obseruauimus. Duum generum est, alta & humilis, atque hoc fit regionum diuersitate. Nam in Syria nascuntur proceræ, sed in monte Ida & Macedonia paruæ. Similiter & in Italia Romanæ grandes sunt & crassæ: Hetruscæ vero exiguæ ac distortæ. In Samnitibus adhuc Triuente voce aliquantum corrupta nuncupatur.

Teucrium vulgare. II. Belgicum, III. Beticum. Hoc vltimum præ alijs amari & ingrati saporis est, odoris tenuissimi, diuersum ab eo quod Clusius pinxit. In Lobelio eius imago simpliciter Teucrij nomine inscribitur. In Italia Teucrium crescit circa Carrarā in Lunigiano agro, copiose vero in Græcia & in Cypro, vbi e hibetur contra dolores renum & lienis.

Teucrium verum. Quo nomine missa fuit planta ex Italia foliis pene Scorodoniæ vulgo dictæ sed minoribus. Florem eius expecto anno sequente. Cauliculi per hyemem durant cum summis foliis. Non videtur congruere Diosc. descriptioni.

Thalictrum siue secundum alios Thalietrum. I. Italicum vulgo, Dodonæo tertium, ex Hispanijs allatum. II. Germanicum latifolium, Dodonæo primū. III. Angustifolium, IIII. paruum,

uum, Dodonæo quintum. V. flore purpureo, Dodonæo
„ quartum. VI. flore albo. In Italia quibuſdam locis vtuntur
„ contra peſtem. In Saxonia contra ictericiam. Dodonæus fo-
„ lia oleribus admixta aluum nonnihil mouere tradit: radicis
„ vero decoctum idem potentius præſtare. Anguillara adhuc
erat de hac planta dubius.

Thapſia latifolia & anguſtifolia Raro apud nos ad maturitatem peruenit. In Apulia & magis adhuc in Sicilia ſua ſponte creſcens nominatur Turbit & Ferulacoli.

Thlaſpi verum, cuius ſemine vtimur in Theriaca, II. apud Dodonæum. II. Supinum hirſutum. III. Platycarpon ſiue Scorodothlaſpi I. Dodonæi. IIII. Semperuirens biflorum, folio Leucoij. V. Incanum ſupinum. VI. Incanum fruticoſum Franconiæ. VII. Rotundifolium Thuringiæ.

Thlaſpi Pannonicum, deſcriptum à Cluſio, odore propemodum allium referens.

Thlaſpi Creticum flore purpureo & ſubalbo. Huius amariſſima ſunt folia. Teneræ plantæ priuſquam flores perduxerint, in cella aſſeruati altero anno florent egregie. Dodonæo Draba ſeu Arabis eſt.

Thlaſpi Biſulcatum vel Lunaria biſulcata, à Cluſio & Lobelio depicta. Creſcit copioſe prope Capuam foliis aliquantum diuerſis quæ fere Napi vel Rapiſtri ſunt, altitudine ſeſquipedis non multo minor.

Thora Valdenſis.

Thora Italica Dodonæo & Cluſio depicta, Napello congener.

Thuia ſiue Thya vulgo Arbor vitæ, vt Galli nominant. Cluſius in obſ. Hiſpan. potius inclinat in ſententiam doctiſſ. Guilandini in prob. aſſerentis ad Thyæ deſcriptionem à Theoph. proditam accedere non hanc ſed aliam arborem ſui generis Cupreſſo ſimillimam in Syria Aegypto & Arabia naſcentem, cuius fructus Abhel vbiq; in iſtis locis notus, pilularum cu-

preſſi

preſſi ſimilitudinem habeat. Contra vero Goropius ille πολυμαθέστατος in ſuo Vertumno Arborem vitæ ſiue Thuiam cum Cedro antiquorũ cõiungit & allegat Virg. Verſum: *Vrit odoratam nocturna ad lumina Cedrum.* Sed quicquid ſit, arbor hæc primum mihi quoque à doctiſs. Raſſio miſſa merito in precio habenda eſt, non ſolum propter eius odoris fragrantiam, cuius contuſi ramuli naribus impoſiti quandoque ſanguinem eliciunt, ſed etiam propter alias eius facultates non contemnendas. Elicitur quoq; ex ea aqua & oleum per Chymica organa vtile ad dolores podagricos, rite impoſitum. Facile ſemine naſcitur, & ſurculis propagatur, fertque apud nos hyemem parũ ſtramine vel ſimili re munita. Seri autem debet in vaſis terra optima & cribrata plenis, vt ſemen quarta parte digiti ea tegatur. Cum vero rigare opus eſt, terra linteo impoſito irriganda, alioqui ſemina ſurſum aſcendunt & nudantur: quod etiam in aliis obſeruandum eſt. Nouellæ plantulæ à ſole meridiano per maiores æſtus defendendæ, atque hac ratione plurimas arbuſculas breui conſequi poſſumus.

Thymelæa, foliis lini, notiſſima multis locis in Italia, in monte Sancti Iuliani Hetruriæ & per Apuliam.

Thymus verus capitatus ſiue Creticus, quamuis etiam in Italia circa Neapolin reperiatur & imprimis in Sicilia, qui tamen tantum annuus fuit. Alter durior flore albicante vbiq; apud nos frequens.

Tinus, Laurus ſylueſtris.

Tithymallus Characias circa Veronam plurimus.

Tithymallus arboreſcens, ex ſemine quidem facile enaſcitur, ſed difficulter apud nos in alterum annum durat. Vocatur & Petræus. Inuenitur copioſe in Italia, in Hetruria in quodam monte, qui dicitur ſaltus Ceruæ & in Liguria inter Nycæam & Sauonam, ac circa Maſſiliã. Ego aliquando reperi in mon-

tibus ſalebroſis inter ſaxa prope Terracinam qua itur Neapolim, altitudine trium cubitorum, floribus luteis, copioſiſſimo lacte abundantem.

Helioſcopius.

Paralius, Celſo Lactuca marina, frequens in littore Veneto. In fictili aſſeruandus eſt, vt ingruente frigore intra tectum portari poſſit.

Linifolius, Paralio cognatus, foliis tantum longioribus ad ripas Mœni in Franconia frequens.

Myrſinites, ſemel in hortum tranſlatus ſeſe diuerſis in locis propagat, ac illi facile aſſueſcit. Non caret admiratione, quod aliquando ſuperfluas plantas à me euulſas, & in horto per acerrimam hyemem proiectas ſequente vere repererim adhuc integras & illæſas, quæ poſtea à quodam amico rurſum aliò tranſplantatæ fuerunt. Creſcit ſua ſpõte in Samnitibus, Marſis & montibus Nurſiæ, vbi vulgus nominat Tortomaglio.

Tithymallus fruticoſus Germanicus, in littore Rheni & alibi frequens, vnde paluſtris dicitur.

Tithymallus fruticoſus alius, ſtipitibus rubicundis, perennibus, foliis modice hirſutis, latiuſculis, in Franconiæ ſyluis obuius.

Cypariſſas, ſiue Eſula minor.

Leptophyllus Matthioli, Eſula exigua Tragi.

Tithymallus tuberoſus noſter, alius ab Apio Matthioli. Radice Scrophulariæ rubẽte, tenellis cauliculis, foliis Laureolæ Germanicæ, ſed minoribus, in cæteris aliis ſimilis. Creſcit plurimus circa Lipſiam, locis nemoroſis. Repræſentaretur fere icone Eſulæ dulcis Tragi, ſi plures cauliculi ac tenuiores ex vna radice magis tuberoſa prodeuntes picti eſſent.

Tithymallus aruenſis, annuus, Eſulæ Dulcis Tragi ſimilis, ſed comoſior & annuus tantum, nec ſine acredine. Cum prodit

dit initio veris prima folia ſanguineis guttis aſperſa conſpiciuntur.

,,Tithymallo oculos inungere prouerbio dicitur de ijs, qui ,, ſibi ipſis damnum inferunt.

Tormentilla alpina, ex montibus Tyrolenſibus olim à me allata, radice multo maiore, odoratiore, & rubicundiore quam eſt vulgaris, vnde Heluetij apud quos etiam præſtans creſcit, no- ,, minant Rotwurtz. Puluis radicis & florum vrticæ rubræ bene ,, in Clibano exiccatus vtiliter inſpergitur vulneribus ad ni- ,, mium ſanguinis fluxum.

Tragium Creticum Bellonij. Androſæmum fruticoſum ex Ilua inſula.

Tragopogon, vide Barba Hircina.

Tragoriganum Neapoli miſſum, adhuc tenellum. Origano Onitidi non abſimile, modica lanugine pubeſcens, odore Heracleotici Origani: Sed folia Serpilli non habet, ideoque Tragoriganum eſſe non poteſt.

Tragum, vua marina circa Monſpelium. Secũdum Polygonum Hiſpanicum Cluſij in ſuis obſeruat. Hiſp. lib. 1. Eius iconem ex Geſnerianis typis deprompram adiecimus, quæ fructus & radicis quoque delineationem habet.

Tragum Matthioli, ſed longiore folio quam ille pinxit, nimirum cultu luxurians ad vſum acetariorum.

Tribulus terreſtris, qui in agro Monſpelienſi Galliæ, ſicut quoq; Veronẽſi Italiæ copioſiſs. in locis arenoſis & apricis naſcitur.

Trichomanes.

Trifolium pratenſe rubrum, album & luteum.

Trifolium Halicacabum, ſeu Veſicariũ vulgo dictũ, aliis cicer ſylueſtre, quibuſdam ẽt ſatis inepte Dorycnium. Folia plerunq; quaterna vel quina gerit, vt Loto annumerandum videatur.

Trifolium bituminoſum, in agro Lucenſi, circa Lunam & Carraram di Maſſa & vniuerſam Hetruriam notiſſimum. Hyemis

frigora apud nos fert. Semen ex Italia allatum, terræq; mandatum plantam profert foliorum odore bituminoſo Italicæ nihil vel parum inferiorem. Semen itidem ſapore Italicum refert. Sin autem ſemen in Germania educatæ plantæ rurſus ſeritur, ſtatim ſapore & odore producta planta deficit. Gal. lib. de Ther. ad Piſonem de hoc Trifolio Aſphaltite ſiue hyacinthino differens, inquit, decoctum & morſibus aranei vel viperæ ex aquæ fotu adhibitū ipſis mederi & dolores ſtatim ſedare. Sin autem in alio non commorſo ſanum locum eodem fotu circundederis, ſimilem ſenſum, ſimilesq; dolores ijs, quos morſus inuehit, omnes efficere, vt reuera miraculo dignum ſit, videlicet herbam & morſum ſanare & ferarum modo ſanam partem praue afficere. Matthiolus in Epiſtolis eum negligentiæ arguit in legendo Dioſc. lib. 3. cap. 106. qui ſcribit, ſimplex huiuſce Trifolij decoctum haudquaquam id efficere poſſe, ſed tantum illud cuius fotu quiſpiam à ferarū morſibus liber euaſerit, ſi eodem alterius locus vlcere affectus, non ſanus (vt Gal. inquit) perfundatur. Ex Sophocle tamen & Simo medico Plinius idem prodidit & Alboali cap. 697. cum errore floris, id quod Scaliger animaduertens exotericarum exercit. 153. diſtinct. 10. inquit hoc non caſu ſed ſapientis cuiuſdam cogitatu productum ad experimentum fuiſſe. quis enim ludens ablatum à morſo decoctum impoſuerit ſibi? Sedlulius Alexand. reſpondet, librum illum haudquaquam à Galeno fuiſſe editum & ob id non eſſe opus aliquo defenſionis genere. At de his alibi.

Trifolium cochleatum maius, minus & aliæ ſpecies, de quibus ſupra in Medica.

Americum à Dodonæo deſcriptum & depictum, biennis apud nos planta.

Trifolium hepaticum ſiue aureū flore cæruleo, item rubro, quod frequens in Vueſtphalia circa Corbachium inuenitur, quemadmodum

admodum & albo Cadelburgi in ſyluis. Hæc herba vtiliter ‹‹ Herniosis adhibetur. ‹‹

Trinciatella, quo nomine ex Italia accepi plantam Denti leonis ſimilem, ſed teneriorē, foliis quoq; magis criſpis, laciniatis guſtu dulcibus, floribus minoribus & elegantioribus, ſemine oblongo, lato, membranaceo, ſuperiore parte duriuſculis aliquot pilis munito. Eo ipſo, quo ſeritur anno flores & ſemen producit & ſi per hyemem in fictili ſeruetur etiam in plures annos perdurat: alioquin radices, quæ dulces quoque ſunt vt vniuerſa planta, primo frigore læduntur & intereunt.

Tripolium à Lobelio depictum, frequens in littore Veneto. Secundo anno florem producit. Semina niſi in humidis admodum locis ſata non facile proueniunt. In horto triennium apud nos durauit.

Tripolium minus ex Salinis Saxonicis. Anthyllis Cordi in ſylua obſeruationum.

Tulipa, de qua peregrina & ante aliquot annos demum cognita apud nos planta, quæ ob eximiam florum varietatem & elegantiam diligenter à ſtudioſis rei Herbariæ iam paſſim colitur, legi poterunt accuratiſſimæ obſeruationes tam Pannonicæ quam Hiſpanicæ Caroli Cluſij, qui etiam pro ſua humanitate plurimas huius differentias tam mihi quam alijs amicis liberaliter communicauit Nominant alij Lilionarciſum, ſunt qui velint eſſe Satyrium Dioſc. Triphyllum dictum. De facultatibus tamen adhuc ambigitur. Helichryſum quoque Crateuæ non adeo male ad luteam quadrat, quamuis herbam non integre deſcripſerit ſed tantum dicat florem eſſe ſimilem croco, colore aureo. Miratur Gener. Dn. Buſbecquius ſe in media hyeme huius flores varios Conſtantinopoli reperiſſe elegantiſſimos. Enumerabimns autem primum præcoces, deinde medias vel dubias, tertio ſerotinas. Maxime vero præ alijs florib. varietas eſt in præcoci, quarum tot habuimus differentias.

Præcox lutea vel plane aureo colore, vel pallido. Adhæc vel rubris maculis conſperſa, & alia maiore ex parte rubens. Item vel aureo fundo vel nigro. Stamina etiam diſcrepant, quæ in nonnullis flaua ſunt, in alijs nigricant.

Præcox rubra, eaque vel purpuraſcens, vel coccinea. Item purpuraſcens albis oris decora. Nec nō dilute rubens vel incarnata, vnguibus vel inferioribus foliorum particulis candidis.

Alba, fere prima omnium florere ſolet, ſed & frigoris vehementiæ aliquando ſuccumbit, ſi non ſatis profunde intra terram abdatur. Eſt vero quædam penitus candida, excepto fundo qui nonnihil flaueſcit: quædam diluta rubedine inficitur & tertia violaceis maculis pulcre diſtinguitur.

Media ſiue Dubia, Lutea, aurea, pallida: itemq; conglobato flore, non vt reliquarum patulo: & lutea medio fuſca, purpureis ſtaminibus, & præter has, quæ virentibus ſtrijs variatur. Deniq; nana ſiue pumilio flore aureo.

Rubra, coccinea, fundo flauo, nigro, ſubuirente, in cæruleum vergente. Eſt inter has quæ nigrum fundum habet & foliorũ in flore virentes apices. Præterea paruula admodum ſtrictis foliis, colore ſaturato rubro.

Incarnata, languidi coloris, nigricantibus ſtaminibus.

Serotina. Hæc plerumq; maxima eſt & pulcerrima, ſed minore colorum diuerſitate commendabilis. Lutea nimirum, aurea, pallida, itemq; tenella ſtrictifolia inter haſce, latifolia quoque rurſum eaque diclonos, nec non criſtata papaueris modo, ſiue ἀκροχιδὴς, id quod etiam in rubra admodum grandi notaui. Eſt & ſuaui rubore purpuraſcens, qualis in pæonia colos. Tandem quæ Solis oculus vocatur, fundo nigro, quem circulus aureus ambit, reliqua floris parte eximie rubicunda: cuius varietas etiam in odore habetur, qui in quadam plane Lilium conuallium dictum æmulatur.

His

His plerisq; interdum accidit, vt proliferæ sint extra terram, id est vt inter alas foliorum protrudant bulbum, qui sensim tabescente matris superficie incrementum capessit, quemadmodum hoc à C. Clusio in Pannonicis affabre depingitur.

Vltimo loco restant Tulipa Narbonensis quæ minor est, & Bononiensis, quæ maior, & plerunq; polyclonos. Odoratæ sunt hæ & cum medijs fere florent.

Tusai vide Corona Imperialis.

Tussilago vulgaris: & altera Alpina à Clusio posita in obs. Pannonicis.

V.

VALERIANA maior siue Phu vulgare. Nam de Dioscoridis Phu merito dubitatur, cum florem illi tribuat maiorem Narcisso, nisi ἀντὶ τοῦ ναρκίσσου κίσσου legatur, vt Doctiss. Vir D. Iacob. Dalech. censet. Est tamen hæc planta efficacissima & nostro tempore ad Theriacæ confectionem assumitur. Cuius extractum singulare remedium est contra difficultatem vrinæ & alios similes internos affectus. Huius alpina species multo odoratior, flores enim Citrij pomi odorem referunt, & tenerior, ex Allobrogum montibus aliquando ad me missa à C L. Medico Ioanne Antonio Saraceno.

Est & syluestris Valeriana, siue palustris maior & minor, vbiq; obuia. Decoctum eius efficax est contra icterum.

Valerianæ campestris vel aruensis duæ species, hoc solummodo discrepantes quod hæc maior & strigosior sit, ac flosculos suppurpurascentes, radiculamque magis odoratam habeat: illa pinguior & cibo aptior candidos gerat flosculos. Dodonæus vocat Olus album λευκολάχανον, & Lactucæ generibus accedere vult, refrigerantisque & humectantis facultatis esse. Mihi vero temperata potius videtur vel saltem in primo gradu calida.

Valeri-

Valeriana rubra Dodonæi, quæ hyeme debet recondi, si metuatur intensior, alioquin satis perfert in horto mitiora frigora. Crescit sua sponte circa Pisas & in Liguria. Radix satis est aromatica. Apud veteres aliqui existimant esse Limonium, alij Condurdum, alij pro Been rubro habent.

Valeriana peregrina vel Græca dicta, quamuis parum cum alijs Valerianis habeat commune. Crescit autem in saltibus & syluis Thuringiæ.

Valeriana annua ex Ilua, cuius meminit Cæsalp. lib. 4. cap. 5.

Verbascum mas & fœmina. Huius vtriusq; plures pro ratione soli reperiuntur differētiæ. Matth. lib. 5. Epist. ad Cortusum refert se vidisse in montib. flore in vniuersum purpureo à Blattaria diuersum. Hoc & Capparis pauca aqua irrigari debent. Sub eo quod florem album habet erosa radice sæpe vermes „ reperiūtur. Vrsas saucias verbasco sicca temperie prædito sua „ vulnera curare tradit D. Basilius, Homil. 9. in comment. ad „ Genesin. Brasauolas ait in suo de Syrup. comment. in Hetru- „ ria Verbasci floribus vulgus rusticorum vti ad lac coagulan- „ dum. Puluis verbasci nonnihil purgat, quare eo Vngari in fe- „ bribus vti solent.

Verbascum folio papaueris cornuti, depingitur optime à nobis in recenti editione Herbarii Matthioli.

Verbascum syluestre, foliis Saluiæ. Reperitur copiose in Græcia & Insula Corcyra, atque etiam secundum Anguillaram in Italia, qui illud apud Marsos ad arcem quandam Pisinam dictam inuenit, vbi incolæ nominant Suchamele.

Verbena mas & fœmina. Sumitur interdum Verbena pro quauis herba, vt volunt Grammatici.

„ *Vermicularis flore albo*, vtilis obstructionibus lienis. Vide supra Aizoon.

Veronica maior, opt. quæ ad radices quercuum crescit, colligitur „ Iulio. Veronicæ extracto contra pestem multum tribuebat

„ CL. V. D. Ioann. Crato, trium Imperatorum Archiater.

Veronica fœmina Dodonæi.

Veronica ſpicata cærulea.

Viburnum Matthioli, Lantana vulgo, frequens circa hanc vrbẽ.
„ Ex eius ſurculis paratur opt. aqua ad oculos. Alij ad tonſilla-
„ rum & gutturis omniſq; oris cũ inflammatione tumores de-
„ coctum initio in gargariſmatis cõmendant: Item ad laxiores
„ gingiuas contrahẽdas & dentes firmandos. In lixiuio decocta
„ folia capillos denigrant. Acinorum puluis alui fluores, ſan-
„ guiniſq; profluuia, tum & muliebria cohibet.

Vincetoxicum, vide Aſclepias.

Viola Martia pleno flore, biflora, flore purpureo, candido, rubello. De violis vide carmina elegantia Stigelij & Maioris. Humanæ vitæ conditionem & formæ imprimis fluxam inſtabilem atque caducam elegantiſs. verſu proponit nobis Theocritus: Idyll. 28.

„ Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ τάχα γηρᾷ.

Coronas quas olim Laribus imponebãt fuiſſe violaceas prodit Iuuenalis Sat. 12.

Laribuſq; paternis
Thura dabo, atq; omnes violæ iactabo colores.

„ Ad maturandum abſceſſum in gutture commendatur hic
„ Suffitus. R. Violariæ, cum radice & floribus & Chamæmeli
„ item, coquãtur in aqua tecto vaſe, & ſuffiatur per os. ¶ Co-
„ ſtæus in Meſuen annotauit Byzantij Violæ ſpeciem coli, cæ-
„ tera Martiæ ſimilem, ſed flore infinitis foliolis conſtructo &
„ æquante Roſam Damaſcenam, magnitudine & odore etiam
„ noſtrates ſuperante. Sed hanc non vidiſſe Italiam, nimirum
„ tunc temporis cum illa ſcriberet. Huius recentem florem v-
„ num atque alterum prima menſa ſumptum, aluum ſubduce-
„ re inſtar recentis Roſæ, Hieronymum Capellum Venetum
„ rerum naturalium peritiſſimum obſeruaſſe tradit.

Viola Martia lutea, inodora, alpina, aliquando à me allata ex mõtibus Tyrolensibus.

Viola arborescens Matthioli, vel potius recta, vulgo Mater violarum.

Viola multicolor, Flammea Dodonæi, alijs flos Trinitatis, nonnullis Iacea. Violæ Iaceeæ purpureus vna & luteus & cãdidus color spectatur, vnde illi tricoloris nomen. Costæus de na-
" tura vniuer. stirp. Destillatur aqua ex floribus herba & cauli-
" bus & in morbo Gallico, datur per 9. vel plures dies mane &
" vesperi ℥. iij & sudet, commendatur à multis.

Montana grandiflora peculiaris ex montibus Helueticis, duplo maior vulgari, lutea magna ex parte, purpureis lineis intermistis. Flos elegantiss. non expers odoris. Planta facilime ex surculis propagatur.

Viola Matronalis, alijs Hyemalis, quibusdam Hesperis.

Virga aurea maior, angustioribus folijs & magis serotino flore & minor latioribus, flore præcociore.

Virga pastoris, Dipsacus fatuus.

Viscago maior & minor. Hanc pro Muscipula non satis accurate pinxit Pena, illam pro Sesamoide Salmantico maiore exquisite admodum Carolus Clusius in Hispanicis delineauit.

Vitex, initio rectus ætate contorquetur, vt Costæus obseruauit in lib. de natura vniu. stirp. In nostris regionib. si in horto relinquatur, vix seruari potest, sed semper repullulat ab radice sicut quoque Pseudoguaianica seu Lotus. Pausanias in Arcadicis siue lib. 8. Quod si ex Græcorum monumentis vetustiss. arbores adhuc superstites & vegetas percẽsere velimus, antiquiss. omnium Vitex est, quæ apud Samios ad Iunonis extat. Ei vetustate proxima Quercus Dodonæa. Olea deinde in Atheniensium arce, & quæ Deli adhuc extat Palma. Nam tertium viuacitatis locum Lauro suæ iure fortasse Syrij attribuunt. Præter has est Platanus Menelais Caphyensium. Guil. Xylan-

Xylander in Plutarch. Symp. 3. Quæſt. 2. neſcio qua occaſione pro niue Viticem vertit, vbi eſt χιὼν πολλάκις ἡμέρας συχνὰς ἐπιμένουσα τοῖς ἄλλοις φυτοῖς φεύγει τάχιστα τὸν κίττον. μᾶλλον δὲ ὅλως εὐθὺς ἀπόλλυται καὶ περιτήκεται περὶ αὐτὸν ὑπὸ θερμότητος. Abſurdum certe fuerat hederæ viticem & non potius huic illam incumbere. Nec alioquin multis refutare opus eſt hāc interpretationem, cum Græca exemplaria manifeſte reclament.

Vitis vinifera. Vuis potiſſimū diuerſitates notari ſolent, quamuis etiam in reliquis partibus varietas inſignis depræhendi queat. In horto noſtro hæ potiſſimum coluntur hactenus.

Vulgatiſſimæ ſunt Francæ dictæ & alteræ quæ Germ. **Heuniſch Trauben** vocantur. Minima & optima è trib. Heluanaticis facillime folio dignoſcitur, inquit Columella lib. 3. de re ruſtica ca. 2. nam rotundiſſimū omniū id gerit, atq; eſt laudabilis, quod ſiccitates maxime perfert, ꝙ frigora ſuſtinet, dum tamē ſine imbribus ſit, quod nonnullis locis etiam vinū eius in vetuſtatē diffunditur, ꝙ pręcipue ſola acerrimū quoq; ſolū fertilitate ſua cōmendet. Hæc ēt Francæ accommodari fortaſſe poterunt. Spionia dapſilis muſto & amplitudine magis vuarū quā numero fertilis, vt idem cōmemorat. Plinius Spineam à quibuſdā vocari tradidit, omnium abūdantiſſimam & vino & vuarum magnitudine, magis tamen vuarū magnitudine. Imbribus pingueſcere & nebulis ali. Hanc, ſi recte conijcit Car. Stephanus, ab agreſtis pruni, qui Spinus dicitur, guſtu, quē refert, nomē inueniſſe, nō multū diuerſam exiſtimamus ei quæ Ger. **Heuniſch** dicitur. Eſt .n. ſaporis præ cæteris acerbi & auſteri, niſi caloribus æſtiuis bene excocta miteſcat, ob id ſolū commēdabilis, quod vini plurimum fundat.

Purpurea ſiue nigra. **Schwartze oder Klebrote Trauben/** Allobrogica Plinio, frigidis locis gaudens, ac gelu matureſcens. Ex horum familia eſt quædam quam inerticulam appellari idem tradit, iuſtius ſobriam dicendā, inueterato præ-

cipue commendabilē vino, ſed viribus innoxiam, ſiquidem temulentiam non facit. Inde Columella Græcis ἀμέθυςον vocari ſcribit.

Purpurea ſiue nigra grandibus acinis magnitudine & forma pruna æmulantibus. Germ. Schlehenbeer. Italis vua de pergola, pergulis hortorum potius quam vinearum ordinib. dicata, vnde Pergulana non immerito nuncupabitur.

Tramina nuncupata, non vt quiſpiam putet nomine corrupto ab Aminæa vite. Nā hæc alba apud antiquos ab Aminæa regione, inquit Macrobius, appellata fuit. Et quidem Aminæas vuas dictas putant, quaſi ſint ſine minio, hoc eſt, rubore, nempe quod album vinum reddant. Quæ vero nunc apud nos Traminer vocitantur à pago celebri ad Atheſin Tramin/ in triplici differentia ſunt, ſed omnes ſubrubicundas vuas gignunt, magnitudine & ſapore, nec non rubedine vel ſaturata vel diluta inter ſe diſcrepantes. Eiuſmodi ſunt Heluolæ veteribus dictæ, inter rufum & album medij coloris. Dulciſſima eſt & facilius maturatur, quæ magnitudine media eſt.

Præcox, ante alias matureſcens, boni ſaporis atq; imprimis dulcis, colore ſubalbido ex viridi. Præcoquas vocat Columella lib. 12. cap. 37. & niſi fallitur Carolus Steph. eædem ſunt Prætiæ Virg. 2. Georg. Columella tamen lib. 3. cap. 2. diſtinguere videtur.

Agigartos, ſine interioribus ſeminibus vel granis aut vinaceis. Eiuſmodi vuas arte fieri oſtendit Columella. Sed quæ apud nos coluntur, interdum vnicum vel alterum granulum habere depræhenduntur, rariſſime tamen: acini ſucci pleni & ſaporis mitiſſimi ſunt, colore in albedinem declinantes. Vulgare nomen eſt Elbertrauben.

Muſcatellina vulgo dicta, Vitis Apiana Plinio, cui apes cognomen dedere, præcipue earum vuarum auidæ.

Quæ

Quæ Zibebas vulgo dictas fert, id est Arab. Vuam Zibib, vel Passam Latinorum, non enim nisi passæ ad nos deferri solent, Græcis Βούμαστος est, racemulis tumidis, vt Virgilius canit. Non solum enim vuas sed etiam acinos ipsos præter modum amplos habet & crassos atq; oblongos. Prodijt ex semine, & octauo anno apud nos primũ frugifera fuit, sed non plene maturescere voluit. Folia sunt elegantissimi ac nitidissimi viroris, profundas admodum insectiones habentia. Durauit hyemes vndecim, sed radicitus interijt superioris anni inusitato frigore. Huius generis ex Vngaria aliam in horto alo, quæ frigoris patientior est, alioquin tota facie non dissimilis. Fructum vtcunq; perficit, facilius nimirum quam ea de qua proxime diximus.

Celsus ait & ante eum M. Cato; Nullum genus vitiũ conserendum esse nisi fama, nullum diutius conseruandum nisi experimento probatum.

Si frigore vites summa hyemis clementia pereunt, omnino rescindi totã superficiem præstiterit: Sic enim tertio aut quarto anno vel citius cum fœnore iacturam omnem resarciunt.

Marginanã vites optimas ferre, quapropter sæpe vitis truncum inueniri, quantũ duo viri complecti queant: racemum duorum cubitorum, annotauit Strabo.

"Generosus Dn. Auger. à Busbeck in suo itinerario Byzan-
"tino refert vuas delicatissimas in æstatem vsque à Turcis as-
"seruari hac ratione. Grandioribus acinis præditas, beneque
"maturas collocant in vase fictili, substrato prius in fundo
"multo semine sinapi molito, cui vuas imponunt, stipantque
"conspersas eadem farina. Postremo vase repleto mustum re-
"centiss. superfundunt, implent & bene claudunt. In magnis
"postea caloribus sic vuas cum iure vendunt. Qui Sinapi non
"delectantur, vuas aqua frigida prius sæpe eluunt.

Vitis sylueſtris Matthioli, Amarum Dulce, Solanum arboreſcens quorundam, Salicaſtrum Plinij lib.23.cap.1. Vulgatior eſt, quæ purpureos flores profert, ſed quæ candidos rarior.

Vitis Idæa Geſneri maior. Creſcit in ſylua prope Megeldorff/ pago mille paſſus ab hac vrbe ſito: quam Cluſius in Pannonicis Jegerbeer & in montibus Metallicis ad radices Sudetum frater Ludouicus p. m. Trinckelbeer nominari aiebat, quia eorum copioſior vſus aliquem quaſi inebriat. In horto nulla cura induſtriaq; cogi potuit vt comphræhenderet.

Vitis Idæa rubra Bauarica, baccis inſipidis, ſine ſucco. Fruticulus eſt ſupinus, craſſiore caudice quam vulgaris, quæ apud nos paſſim cum nigra in ſyluis creſcit & Steinbeerlein vocatur: foliis item oblongioribus, acuminatioribus & anguſtioribus, per autumnum rubentibus. Creſcit circa Monacum in campis aſperis inter Ericas. In horto adhuc viuit & viget, necdum vt ſylueſtres huiuſmodi plantæ videtur interitura.

„Vaccinia nigra Dodonæi dum cruda eduntur, ventricu-
„lum debilem & frigidum offendunt & aluũ perturbant: Sed
„excoctus illorũ ſuccus donec craſſeſcat addito melle & ſac-
„caro vt conſeruetur, ab aliquibus parari ſolet ad hæc mala ſi-
„ue ex ipſorum eſu, ſiue aliunde contracta.

Vlmaria à foliorum Vlmi ſimilitudine, nondum vetus nomen adepta, Germanice Wurmkraut/ nam radix quaſi à vermibus videtur exeſa. Hanc Anguillara vocabat Potentillam maiorem. Gaudet paſſim locis paluſtribus, odore refert Pimpi-
„nellam. Vtuntur veterinarij eius decocto feliciter in dolori-
„bus colicis & vermibus equorum, itemq; ad ſiſtendum ſan-
„guinem & ſanandas fiſtulas nonnulli commendant.

„*Vlmus*. In huius foliis veſiculæ erumpunt menſe Maio plenæ hu-
„more admodum vulnerario (vt teſtatur Fallopius) & coſme-
„tico. Faciem enim reddit teneram. Confert quoque pueris
„Enterocele laborantibus. Colligendi modus talis eſt, Veſi-

„culæ hæ ſuo tempore collectæ, antequam generent vermicu-„los quoſdam inſtar culicum, imponuntur vitro alicui anguſti „oris, quod inuerſum aptatur alteri vitro paulo minori & ſic „liquor ille commode extillat: ex hoc, quoniam non diu du-„rat, oleum paratur, teſte Syluio, præſtantiſſ. in vulneribus. „Radices huius arboris mundatæ & coctæ in vino ad aliquam „conſiſtentiam ambuſtis impoſitæ ea conſolidant ac cicatri-„ces quoq; delent. Non poſſum facere quin elegantiſſimam ſimilitudinem ex Vlmo deſumptā & à D. Chryſoſtomo Homil. 9. in cap. 5. S. Matth. expoſitam hic proponam. Sicuti vlmus, ait, infructuoſa humorem viti ſuppeditat, quo vitis pro ſe & vlmo proferat fructum, ita tuæ res proficiant ad pauperis ſuſtentationē in hoc ſæculo, vt eius Sanctitas tibi vſui ſit in altero.

Vnifolium, Monophyllum, Matthiolo Gramen Parnaſſi, vbique apud nos in nemoribus opacis frequens. Pulucrem huius“ cum vino generoſo vel aceto multi laudant in peſtis initio“ & alijs venenis.“

Vrtica Romana. Sumuntur autem ex vulgari quoque multa eu-„poriſta remedia. Sic quidam Medicus præcipuus Pariſienſis „puluerē ſeminum vrticæ cum Syr: Violato vel alio pectorali „in pleuriticis & ſuppuratis exhibet. Radices vero rubræ vrti-„cæ tritæ & naribus impoſitæ ſiſtunt ſanguinem. Viuere vrtica & herbis apud veteres accipiebatur pro apparatu tenui. Sic Horatius: *Abſtemius herbis*
Viuis & vrtica.

X.

XYLOSTEON, Orcheocarpos Cordi.
Xyphium ſupra Gladiolus.

Xyris ſiue ſpatula fœtida. Hanc quoque alicubi aiunt in Italia reperiri flore rubro. Aliam minorem tradit Cordus naſci in campis

campis & ſecus foſſas inter Oppenheimium & Moguntiam ad Rhenum.

Z.

ZAZYNTHA ſiue Verrucaria Matthioli. Cichorium Verrucarium Geſneri. Huius ſemen pulueriſatum ad vnum Cochleare ſumptum decreſcente luna per tres dies diſſoluit verrucas in quacunque parte corporis, quo remedio quidam Chirurgus Pataui j aliquando multum pecuniæ collegit.

Zizyphus rubra. Iuiubæ officinarum. Anguillaræ videtur Paliurus ſiue Connarus Athenæi lib. 14. cap. 20. Syluestris naſcitur in campis Veronenſibus.

Zizyphus alba, Columellæ, vel Cappadocica Plinij, Olea Bohemica ſiue Elæagnus Matthioli. Apud nos fert hyemem ac in iuſtæ arboris magnitudinem adoleſcit. Sed & taleis inſtar olearum facile propagatur. De ea plura apud Carolum Cluſium in obſeruat. Hiſpanicis lib. I. cap. XII. legantur.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD IOHANNEM FEYERABEND, IMPENSIS SIgiſmundi Feyerabendij, Heinrici Dackij, & Petri Fiſcheri.

M. D. LXXXVIII.

SYLVA HERCYNIA, SIVE CATALOGVS PLANTARVM SPONTE NASCENTIVM IN MONTIBVS, ET LOCIS VICINIS HERCYNIÆ, quæ reſpicit Saxoniam, conſcriptus ſingulari ſtudio,

A

IOANNE THALIO MEDICO Northuſano.

Nunc primum in lucem edita.



FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. D. LXXXVIII.

IOHANNES THALIVS IOACHIMO CAMERARIO M. Salutem.

HARCYNIAM *syluam, si quis, excellentissime Camerari, integre describere velit, illum necesse foret non perfunctoriam aliquam moliri descriptionem, sed ὡσ ἀκειζέςατα singula queq;, quæ ad eam rem necessario pertinere viderentur, prosequi. Eiusmodi autem argumenti tractatio paucioribus pagellis absolui non admodum prompte, meo quidem iudicio, posset: Sed in mediocre volumen totum opus facilime excrescere necessum foret, quod in aliquot libros ordine esset distribuendum. Primum namq; indicandum esset, quæ olim veteris illius Harcyniæ syluæ fuerit amplitudo, quiq; fines eius, Deinde opus esset diligenti labore multas antiquitatum historias aliquem euoluisse, quo indicari queat, quibus temporibus variæ populorum Germanicorum migrationes contigerint, eorum nimirũ, qui prope syluam illã proximè hinc inde olim consederint: quæ adhæc mutationes illorum acciderint: quomodo quidam omnino desierint, quidam vero alij in priorum locum ipsis vel deletis vel pulsis aut subactis, successerint: quomodo item succedentibus temporibus quædam Harcyniæ partes varijs paßim in locis eradicari cœperint, & in agros ac habitabilia loca conuerti. Hisce autem omnibus ita ordine absolutis, tum demum foret nostræ Harciniæ, quam aliqui Picеariam syluam, Germanicam denominationem,* Hartzwald *exprimentes, vocant, inter Saxoniam ac Thuringiam videlicet sitæ, singularis historia aggredienda & indicandum quanta ipsa hodie veteris illius ac propriæ dictæ Harciniæ esset pars: quæ deinde longitudo ac latitudo ipsius: quæ gentes ipsam versus meridiem, quæ versus septentrionem cæteràsq; partes accolant inhabitentq;. Hinc rursus recensendum, qui sub ipsa nostris temporibus contineantur principatus, qui co-*

 mitatus,

mitatus, quæ ſingularũ familiarũ origines, quæq́; inſigniora & maxime memorabilia geſta, quæq́; vrbes celebriores ac monaſteria, aliaq́; loca, quæ item rudera deſtructarũ arciũ ac antiquitatis monumẽta. Inde porro enumerandum, quæ celebriora flumina huius ſint ſyluulæ, quæq́; ſingulorum ſcaturigines, quæ qualitates & contenta in fundo vnius cuiuslibet: & quot eximiores lacus, quæ piſcium ac aquatilium animantium in iiſdem genera habeantur, eorumq́; quæ ſint naturæ ac proprietates, & partium quarundam illorũ in medicina vſus. Item qualia animantium etiam quadrupedum ac volucrum in eadem ſylua reperiantur genera, qualia deniq́; inſectorum tam reptilium quam volatilium. Deinde vlterius cõſiderandum eſſet, quot metallorum, foſsilium ac ſimilium rerum in ea inueniantur genera, quæ ipſorum ſit ratio, quæ natura. Hæc omnia poſteaquam quis dextre pertractaſſet, tandem arborum ac ſtirpium hiſtoria ſeſe enarranda offerret. Qua itidem abſoluta, vltimo loco vicinorum montium Harcyniæ huic noſtræ adiacentium ac in propinquo ſitorum eſſet inſtituenda deſcriptio & oſtendendum, quicquid in iis ſtirpium contineatur. Iſta autem omnia multum proculdubio temporis ſibi eſſent poſtulatura, præterquã quod variarum rerum nõ vulgarem cognitionem etiam requirant, & adhæc eiuſmodi hominem qui rerum iſtarum gnarus tali etiam præditus ſit ingenio taliq́; eruditione, vt pro dignitate iſtiuſmodi Harcynicam hiſtoriam poſteritati recte condere poſsit.

Hic autem ego, doctiſsime Camerari, ſicut aliquoties à me petiiſti, nudum ſolummodo arborum ac ſtirpium, quæ in hac Harcynia noſtra Saxonothuringica (vt eam nominare libet) naſci ſolent, Catalogum ſecundum Alphabeti ſeriem recenſebo. Qua in re optarem ſane, me expectationi tuæ ſatisfacere poſſe. Præter ea autem quæ in hoc Catalogo, ſicuti à me obſeruata ſunt aliquot annis, enumerantur, non negarim, multo plura ac etiam rariora in ſylua iſta poſſe reperiri, quæ tamen omnia indagare non eſt neq́; vnius hominis neq́; etiam vnius temporis labor.

Harcyniæ

HARCYNIA SAXO-NOTHVRINGICA,

SIVE

CATALOGVS BREVEM ARBORVM, FRVticum ac stirpium plerarumq; Harcyniæ, enumerationem continens.

A.



DIANTVM PVLCERRIMVM Lugdunẽsi simile, cui folia à tergo lanugine eiusmodi densa, puluerulenta ac pene rubente ex fuscedine quadam, exornantur, quasi folia Cetarach seu Scolopendrij veri prædita sunt. Folia autem illa sunt in brachiatis coliculis ex nigro rubentibus ac flexilibus, incisa, crenata non ita latis aliquantulum particulis constantia, vt in Lugdunensi, sed tenuioribus, oblongioribusque & mucronatis. Ipse id nõdum reperi, sed habeo in libro quodam cartæ agglutinatum, nactus ante aliquot annos in Pharmacopolio Northusano, quo afferebatur ex Harcynia à vetula quadam herbaria.

Adiantum candidum, in antiquis muris, id est, Ruta muralis, Maurrauten.

Adiantum ἄφυλλον, id est, Widerthon / seu Jungfrauwen Haar / maius, medium & minus, tãtum magnitudine ac teneritudine differentia.

Adiantum ἀκρόσχιστον, seu furcatum, passim in scopulis aridioribus.

Argentilla maior, seu *Vlmaria*, Aegopogon Tragi, Wald Geißbardt / Vbiuis locis vdis (intelligo autem quæ apud Tragum

secunda species & Cordo Medesusium est, Germanis Medesüß.) Huic aliquādo veris initio prope Vuernigerodam loco irriguo reperi consimilem plantam, folijs minoribus ac elegantioribus, quæ nōdum in caulem creuerat. Sed hactenus nusquam, etiā sedulo inquirenti ea sese denuo obtulit.

Androsæmon.

Ascyron.

Atractylis syluestris seu Cnici syluestris species, procerior videlicet, quæ & aliàs vbiq; pene vulgaris est: & altera pumila, quæ locis montanis, aridioribusq; reperitur, priori rarior.

Absinthium nostrum rusticum iuxta loca habitata.

Artemisia vulgaris, candida & rubra, passim circa vrbes, arces, pagos, ac in quibusdam conuallibus ac montibus etiam.

Artemisia tenuifolia, sed nō Diosc. folia videlicet habens multa, stricta, oblōga, tenuia, cauliculos cubitales, multos, flexiles, teretes tenuesque, flores & fructum artemisiæ, radices sesquipedales, diuisas, quandoq; digiti crassitudine. Duplex, sicut vera artemisia & hæc est: namq; alteri coliculi sunt albentes magis, alteri vero rubentes.

Artemisia πολύκλωνος Dodonæi, *seu Flos Iacobæus*, passim.

Acer maior.

Acer tenuifolia.

Althæa vulgaris, circa Vuernigerodam.

Alcæa tenuifolia Cordi, Stolbergæ ad radices Aurbergi, & in ipso etiam Aurbergo, alijsq; præterea circa Stolbergam locis.

Arundo vallatoria, in piscinis.

Angelica syluestris, passim in locis vliginosis & iuxta flumina, item in montibus opacis & humectis.

Angelica erratica, id est, Giersa seu Strentzel/ vbique.

Aizoon seu Semperuiuum maius, in antiquis quibusdam muris ac maceriebus ex argilla constructis.

Aizoon medium, folijs multis, vnciali longitudine acuminatis teretibus, strictis. Hæc est maior in hoc genere species.

Aizoi minoris species, quam Hünerbeer vocant, prædicto quidem similis (cuius altera ipsum species est) sed folijs ac cauliculis breuioribus.

Aizoon minus seu Vermicularis insipida, & alterum quod feruidi est gustus, sed infrequentius. Sæpe tamen vtrunque vno eodemque loco natum vidi.

Aizoon serratum Cordi, seu Crassula serrata, Rarior est.

Anblatum Cordi, seu Dentaria maior. Copiosissime habetur veris initio Stolbergæ, Est de genere Orobanches.

Eius alia species minor ac tenerior, candida tota. Sed hęc rarius reperitur ac potissimum æstate.

Aconitum cæruleum, seu Napellus, cū cæsijs muscis, quæ ex eius floribus viuunt, vt studiose etiam Angli obseruarunt.

Aconitum Lycoctonon luteum, in montibus cæduis, præsertim vbi graminum maxima est luxuries, Stolbergæ, Ilfeldæ, &c.

Aconitum tertium Matthioli. flore Ranunculi luteo, magno. Sed infrequentius hoc est.

Alectorolophus Dodonæi prima seu fistularia, Braun Rodel/ vltra Vualckenridam.

Astragalus syluaticus. Vbique ferè. * Ita vero nominat plantam in frutetis Thuringiæ & Franconiæ quoque non infrequentem, vulgo Christianwurtz/ alijs Cicer montanum nuncupatum, radicibus nodosis fuscis, duris, multipliciter serpentibus, floribus purpureis, & siliquis initio purpurascentibus angustis, per maturitatem pallentibus, in quibus semina vitiæ, paulo tamen minora, colore cæsia. Describitur à Cordo, sed à nullo quod sciam depingitur. *

Astragalus Aruensis seu Chamæbalanus, in agris montanis circa Vuernigerodam.

Atriplex

Atriplex fimetaria maior, paſſim ad loca culta. Item minor. Item alia grandior, caulibus bicubitalibus, folijs mucronatis, quadrantem longis, ſextantem latis, ſquallidis.

Apium petræum ſeu Saxatile. Plantula palmaris, radice candida, Petroſilini vulgaris, tenui. Folijs eiuſdem, ſed tenuioribus, paucioribuſq́;. Vnicam ante triennium hîc Stolbergæ reperi inhærentem rimis ſaxorum.

Apium ſyluaticum, caule cubitali ac maiori quandoq;, ſtriato, læui, folijs ad radicis caput in terra diſperſis, quæ adhærent, (veluti coſtis quibuſdam) pediculis oblongis, imbricatiſq́;. Foliolorum ſemper bina ex aduerſo ſibi reſpondent, dentata, ſubnigrantia, læuia, ſplendentia, oblonga: quibus ſubinde minora redduntur ea, quæ ex caulis ac brachiorum ipſius geniculis prodeunt. Vmbellas paruas minutiſſimis floſculis candidis explicat, quos ſubſequitur ſemen apio maius duplo, acre. Radice nititur craſſa, candidiore, acris ac feruentis guſtus. Aliqui maiorē pimpinellam vocant, ſed mea pimpinella maior alia ab hac eſt, vt infra dicetur. Laurētius Hiel, excellentiſſimus medicus & anatomicus inſignis, pręceptor olim meus, hāc mihi exhibebat pro Dauco σελινοειδεῖ Cordi, ſed pro Selinoide illo Dauco apud Cordum ex Trago Pimpinella vulgaris ſeu minor depingitur (ſicut & Angli ſentiunt in Indice ſui operis eandem Pimpinellam eſſe Daucum illum) quā etiam deſcribere Cordum ipſum præcipuæ notæ oſtendunt, quod ſcilicet eius folia non ſint ita ſplendida & glabra vt in apio, quodq; in campeſtribus ſtirps illa proueniat. Hoc vero noſtrum apij genus nuſquam in campeſtribus reperitur, ſed potius in ſyluis opacis, lociſq́ue paulo humentioribus, ſuntq; ei folia ſplendentia & glabra. Vbi tamen Cordus poſtea Daucoides maius deſcribit, eiuſque folia cum latifolio ſeu Selinoειδεῖ Dauco confert, videtur

tur

tur ad hanc noſtrã ſtirpem reſpicere: eius etenim folijs Daucoidis illius folia ſimiliora eſſe, quoad formam, quam iſtius pimpinellæ facile deprehẽdere eſt diligentius iſta perquirenti, quia eodẽ modo in acutum mucronem dicti Cordi Dauci folia finiuntur, atq; in hoc apio ſyluatico, quod perinde in Pimpinella non accidit. Et fortaſſe Cordus duplicem habuit Daucum σελινοειδῆ: alterum quippe latifolium, qui videtur hoc Apium ſyluaticum eſſe, & alterum tenuifolium, quæ erit vulgaris illa Pimpinella.

Apium cicutarium. Vulgo à folijs ſplendentibus Petroſelino noſtrati æmulis Gleiß vocant, circa loca culta & in hortis.

Anchuſa ſylueſtris, quam quidam Bugloſſon ſylueſtre vocant, Matth. Echion. In agris & circa loca culta, iuxta vias, locis item cæduis montium & apricis.

Anchuſa aruenſis alba. Flore nempe albo, in agris paſſim obuia. Geſnero Echion minus, in appendice ſtirpium pag. 291. Trago Lithoſpermon ſylueſtre. Ego Anchuſis annumero, quod radix ei Anchuſæ modo rubeat. Non tamen multum refert, ſiue pro Echij ſiue pro Anchuſæ ſpecie habeatur.

Antirrhinon Tragi, circa Vuernigerodam.

Antirrhinon rubrum aruenſe. In agris.

Antirrhinon minimũ. Reperitur locis cultis aut ligone ſubactis. Dodonæo Phyteuma Dioſcoridis exiſtimatur eſſe. Plantula eſt palmaris, plerunque brachiata, folijs multis, tenuibus oblongiuſculis, floribus paruis, albirubris, capitulo antirrhini paruo. *Dodonæus rubrum aruenſe potius pro Phyteumate habere videtur.*

Allium ſylueſtre vulgare ſeu Caninum.

Allium ſylueſtre minimum. Vere primo proſilit copioſe.

Allium vrſinum, aliquibus Ophioſcorodon, Dodonæo Ampeloprasum, Geſnero Allium ſylueſtre. In hort. Germaniæ Ramſern/circa Ilfeldam.

Aparine aspera, passim.
Aparine læuis, sæpe obuia.
Aparine læuis palustris, in fossis stagnantibus & piscinis.
Arthetica Saxonum. Locis nascitur pratensibus & collibus apricis, meridiem spectantibus. Habetur quibusdam Stæbes loco. Radice constat oblonga, tenui, interdum simplici, interdum bifida trifidaue, transuersa vtplurimum, forinsecus nigra, fibrosa: ex qua coliculi prosiliunt reclinati, plures, palmares, teretes rubentes: folia circa radices plurima oblonga, carnosa exeunt, superne læuia, inferne molli lanugine hispida: quorũ singulum pediculo peculiari adhæret: Suntque hęc ferme trifolio, folio oblongo & acuto prædito similia, quamuis in eiusmodi mucronem non desinant: horum inferiora sub se in pediculorum inferiore parte lacinias tanquam à reliqua sui parte auulsas continent: in summo coliculorum capita constituuntur compacta ex multis vesiculis candidis, è quibus exerũtur flosculi trifolij marini, nisi quòd breuiores sint, aut meliloti pentaphylli: in quolibet vtriculo paruę siliculæ restant, semen vnicum cõtinentes, aliquantulum rubens. [Anthyllis leguminosa Dodonæi & Lobelij.]
Aster Atticus cæruleus, paucis tamen in locis.
Alsine maxima, cubitalis sæpe, ampliorue, folijs magnis, longis quadrantalibus ferè, sescuntiali interdum latitudine, flore candido, fructu nigro, baccæ instar intus semina sua copiose concludente ex saturato nigro purpurascentia. [Alsine repens Clusij.]
Alsine media, cui ferme maximæ folia esse cõspiciuntur, lata oblonga, mucronata, paulo breuiora, fructus quoque nõ idem, sed minor. Prioris altitudinem non assequitur, nec ita amplexi caulis est. Poterit aquatica dici, quia scilicet riuulorum marginibus ac locis vliginosis, opacis & humectis gaudet.

Alsine minor, folijs tenuibus, oblongis subincanis.

Alsine minor, foliolis oblongis, mucronatis, tenuibus, caulicu-los frequentibus geniculis interstinctos habens, palmares, quam inde πολύκνημον Alsinen voco.

Alsines minoris aliæ tres species communiores: quarum prima vbiuis frequentissima folia obtinet cæteris huius generis latiora, rotundiora, maiora, vncialia, in paruum obtusum mu-cronem terminata. Altera mediæ magnitudinis folia continet, oblongiora & mucronata euidenter. Tertia minimis prędita foliolis, subrotundiusculis ac in mucronē excrescen-tibus.

Alsines minoris alia species, foliola edens rotunda, sed diuersæ inuicem magnitudinis, ita vt maiora foliola per totos colicu-los, minimis subinde intercursentur.

Alsines minimæ aliquot aliæ species. Prima suffruticis instar est, & producit foliola parua, mucronata, in cauliculis ex vna radice emergentibus, plurimis, brachiatis, & sibi inuicem va-rie, instar auium nidi, implexis, in quorum cacumine se exe-runt capitula rotunda, lini capitulis ferme assimilia, sed mi-nora. Altera iam dictæ assimilis prorsus, sed coliculis non ita varie implexis. Tertia eadem est cum priori, solummodo teneritudine coliculorum, foliorum, flosculorum ac capitulo-rum, horumque omnium paucitate differens. Singulæ enim fermè in hac specie exiguæ, tenues admodum & superuacuæ radiculæ, singulos, tenuissimos, teneros rectosq; proferunt coliculos, folijs minoribus paulo, paucioribusq; ornatos.

Alsine minor, passim vulgaris, alia, foliolis oblongiusculis (non rotundis) mucronatis ex coliculo tenui singularique rarius prodeuntibus. Huius & altera species est, in qua folia multo longiora cernuntur.

Alsines minoris adhuc alia species, angustifolia, foliolis oblongiusculis, plurimis, tenuibus: coliculis ex vno cespite pluribus

emergentibus,geniculatis: floſculis paruis candidulis. Reperitur locis aſperis ſecus vias, in montibus item apricis aſperiſq; & potiſſimum circa officinas metallicas, ad aceruos recrementorum metallicorum.

Alſine hiſpida, paſſim, locis præſertim paulo humidioribus. Eius tres ſpecies diligentius rem cõtemplanti inibi depræhendere licuit. Prima folia continet minore hirſutie donata. Eſt vero hæc ea, quam Dodonæus auriculæ muris loco nobis exhibuit. Altera ſpecies folia ſortitur piloſiora, quamuis hæc differentia inter vtranq; ſit exigua admodum. Tertia iam dictis aſſimilis eſt, ſed omnia minora multo habet, ita vt Alſine hiſpida minuta mihi dicatur.

Cæterum harum omnium Alſinarum genera ac ſpecies plurimæ aliàs etiam facile quouis loco extra Harcyniam haberi poſſunt.

Alliaria, paſſim. Reperitur aliquando folio ampliſſimo latiſſimoq;, dodrantem videlicet longo & lato.

Arum.

Arum aliud folio admodum lato, trientem fere.

Arum rurſus aliud, folio maculato, lato & ipſo, ſed non adeo vt in priori, verum vix quadrantem æquante.

Ariſarum, aliquando reperi in Hertzbergo mõte iuxta Ilfeldam ante annos aliquot, ſed hactenus idipſum amplius ſe mihi nunquam obtulit, niſi nuper Stolbergæ. Diuerſum hoc eſt ab illis Ariſari ſpeciebus, quas Matthiolus exhibet. Folia enim ex ſingulis paruulis & oblongiuſculis fibratiſq; radiculis prodibant ſingula, non admodum acuminata, ſed rotundioris ferme figuræ, licet nonnihil longius paulo protraherentur, firmata pediculis palmaribus.

Amellus Vergilij putatus nonnullis, ſeu Butomon Conſtantini, aut Caltha paluſtris Geſneri. Paſſim in vliginibus. [Matthiolo Tuſſilaginis ſpecies.]

Arctium,

Arctium, Perſonata, Lappa maior, frequens potiſſimum circa loca habitata.

Aliſma βοτρυῶδες ſeu racemoſum, ſeſquidodrantalis eſt planta, caule geniculis diſcreto, ex quibus continuo ordine folia ſua exerit, Plantaginem maiorem fere imitantia, ſextantem lõga, ſeſcuntiam lata: flores vero racematim quaſi in longo recuruoq; ſcapo dependent plurimi, rubicundi. Frequens eſt multis in locis, opacis tamen & montium iugis. Idem flore candido ſed infrequentius, nonnunquam conſpicitur.

Aliſmatis aliud genus, folijs cum iam dicto ijſdem, flore in ſummitate caulis ſeſquidodrantalis candido, cauo, cymbalari, in extremis ſuis labris parum diſſecto ſimili quodammodo floribus Leucoij bulboſi Theophraſti, vt plurimum vnico: aliquando tamen & plures profert. Huius ſpeciei plantulam aliquot ab hinc annis, loco vliginoſo ad radices Broccenbergi reperi, folijs prorſus candidis, quod fortaſſis ratione ſolis acciderat, vtpote cum ipſius radijs ibi feriri & maturari perfecte ipſi non daretur. Poterit autem à floris figura Aliſma κυμβαλιάνθεμον appellari.

Aliſmatis huius generis alia rurſus ſpecies, folijs nonnihil ſtrictioribus, longioribus & in oblongum mucronem deſinentibus, quæ nonnihil ad figuram acutæ Plantaginis accedunt, floribus iam proximæ dictæ ſpeciei ijsdem, candidis, ſed in lacinias maiores diſſectis euidẽter. Hæc duplex eſt: maior, cui ampliora, longioraq; ſunt omnia, folia ſcilicet & caulis: ac minor, cui omnia ſunt minora contractioraq;: quæ propterea in hoc genere aliſmatis tenuifoliæ nomine cenſeri poterit. Hæc porro tenuifolia ſpecies non ſolum candido ſed & rubro flore, licet infrequentius, interdum reperitur.

Aliſma porro & illud, quod florem cauum ouali figura propendentem ex caule recuruo ſeſquidodrantali profert (vnde poterit Aliſma ὠάνθεμον dici aut κοιλάνθεμον) quodq; ab Amato pro

Lonchitide prima exhibetur, puto in Harcynicis iugis quoq; reperiri, quamuis nondum, quod sciam, in illis mihi sese obtulerit, licet in vicinis saltibus Franckenhusanis (qui & nostræ Harcyniæ pars seu ἀπόῤῥωξ quædam sunt) non sit infrequens.

Alisma Alpinum, Caltha Alpina Gesnerij. Ciet hæc sternutamēta. Conyzæ forte annumeranda est. Nascitur in Broccenbergo, item circa Vuernigerodam locis vliginosis, & in quibusdam pratis vdis non procul à Stolberga.

Anagallis aquatica. Bachpungen / passim in locis vliginosis ac scaturiginibus.

Anagallis aquatica folio maximo, trientem nonnunquam longo ac sextantem lato.

Anagallis terrestris mas & fæmina, quarum altera puniceo, altera cæruleo flore constat. in locis fossione excultis & in agris.

Anagallis lutea, folijs numulariæ, adeo vt facile pro eadem à non perito rei herbariæ haberi posset. Frequens in vliginibus circa Broccenbergam.

Alchimilla, passim.

Asaron, passim.

Arachi primum genus Dodonæo, flore viciarum puniceo siliquis maioribus nigris. Est de genere viciarum syluestrium, passim.

Arachi species altera Dodonæo.

Auena syluestis seu nigra, cuius grana paulo longiora crassioraq; sunt auenæ satiuæ, ac ex rubro nigricantia. Est autem Aegylops seu festuca Pliniana apud Dodonæum.

Auena sterilis. Hæc Auenæ similis est & iamdictæ syluestris breuiores profert folliculos, semina item minora. Est & ipsa festucæ species.

Abies.

Alnus.

Alnus nigra. Spöcker seu Faulbaum/ passim.

Alnus nigra pumila in Broccenbergi vertice.

Achillea copiose, Stolbergæ ad arcem.

Aquifolium. Stechpalmen. Narrarunt quidam spontaneam esse Hartycniæ nostræ in montibus vltra Ilsenburgum monasterium. Sed eam ibi nondum vidi. Nec tamen omnia illa loca ibidem hactenus perreptare mihi licuit.

Αλσινάνθεμον. Ita licebit appellare plantulam, cuius semina anno superiore misi nomine ἀστεραινθέμου. Cum enim flos, quem plantula illa profert, exactius respondeat, vt nuperrime considerarui, Alsines floribus, potius inde denominabo (donec de eius aptiore nomenclatura melius aliquãdo edoctus fuero) quam à stellæ figura, quæ alijs quamplurimis florib. melius forte, quam huic, cõuenire poterit. Familiaris est Broccenbergo ac montibus vicinis vligine perpetua irriguis, cauliculo singulari, dodrantali quandoque, vt plurimum palmari, recto, tereti, tenui, inferna parte folijs ferè nudo, superna vero per ambitum ijs cincto, quinis, senis, septenis, octonisue, pyri ferme foliorum similitudine, sed non ita rotundis, oblongiusculis, sescuncialibus, teneribus, læuibus, viridibus, fibratis. Ex quorum medio pediculi tenues valde, quadrantali ferè longitudine exurgunt, in cacumine suo florem singulum singuli sustinentes lacteum, Alsinæ similem: quem capitulum subsequitur rotũdum Coriandri semine minus, intus semina nigra, tenui candidaq; membrana inuoluta cõcludens. [Peculiaris quædam Pyrolæ species, quam in syluis Franconiæ quoque & potissimum circa Greuenthalium obseruaui. Folia tamen Arbuti potius sunt quam Pyri.]

Anemone flore candido, amplo, folioso, caule palmari, folijs hispidis late expansis, varieq; dissectis. Broccenbergi cacumini familiaris.

Anemones species illa, quam Pulsatillam vocant. In promon-

torijs

torijs quibuſdam apricis & meridiei expoſitis.

Aquilegia ſylueſtris, flore cæruleo ſimplici. Reperi hoc anno 1577. in prato quodam aprico non procul à Stolberga, aquilegiæ ſtirpem vnicam flore candido, nonnullis veluti literis cæruleis intercurſato: à qua tamen nō procul aberant Aquilegiæ flore cæruleo plures.

Anthylloides. Sic nomino herbam inter ſegetes, ſolo præcipue arido ac ſabuloſo (vt & quandoq; alijs itidem locis iſtiusmodi ariditate præditis) exilientem, radice ſuffultam tenui, candidula, lignoſa fibrataq;: ex qua coliculi proſiliunt tenues, plurimi, procumbentes, frequentibus geniculis intercepti, quæ ambiunt foliola tenuia, oblonga, herbæ Kali ſatiuæ folijs ſimilia ſed minora, anguſtioraq;. Floſculi ei in ſingulis pediculis ſinguli, parui, candidi, prominent, quos capitulū lini ferè, ſubſequitur, ſeminibus plurimis nigricātibus papaueris ferè, ſcabrisq; refertum. Duplex hæc eſt, maior & minor. Minor autem paucioribus eſt coliculis & breuioribus, non ita prociduis. *occurrit etiam circa ſalinas ſaxonicas*

B.

BRASSICA *ſylueſtris maior, latifolia*. Radicibus conſtat inutilibus, lignoſis, candidis: caule ſeſquipalmari, non admodum recto, rotundo, ſimplici, nonnunquam etiam brachiato, folijs mollibus, læuibus, ſubflauis, integris, ſine inciſuris aut ſinuoſis criſpaturis, mucronatis, duas vncias lōgis, vnciā latis. In ſummitate in exiguis pediculis racemus florum candidorum exiſtit, ex oblongis vaſculis Braſſicarum ſatiuarum modo prominentium, quibus deperditis ſiliquæ oblongæ pronaſcuntur, ſemina braſſicæ ſatiuæ minora continentes.

Braſsica ſylueſtris longifolia. Radice cōſtat parū lignoſa, fibris multis paruis circūdata, caule brachiato, ſeſquipedali, maioréue.

Folia

Folia primo prodeuntia, bina videlicet, trinaue, radici proxima, in ambitu circumrosa sunt, veluti chōdrillacei generis folia, reliqua, quæ summum vsq; caulis numerosè conscendunt, strictiora existunt, magisq; mucronata, quam in priore specie, quincunciali longitudine, vnciali q; ferme latitudine: licet ea quæ apicem caulis propius accedunt, continua serie breuiora reddantur. Sunt vero folia hæc omnia nigriora & squalidiora quam cæteris speciebus. Flores, siliquæ & semina cum cæteris speciebus conueniunt. [Huic similis est si non eadē quæ in Thuringiæ saltibus locis æditis passim nascitur, ab incolis Schoßkraut vocata, qua tamē voce alibi aliæ plantæ appellantur.]

Brassica syluestris procera. Hæc radice fulcitur multifida, candida, lignosa, iuxta cuius caput in terra reclinantur folia quincunciali sæpe longitudine, vnciali latitudine, hispida, integra. Caulem erigit vnicū plerunq; sæpe etiam in duos tresue aut plures alios, iuxta radicem diuisum, bicubitalem, rectum, teretem, flexibilem, iuxta radicem parum hispidum, deinde tota reliqua parte læuem, cui folia appenduntur sextantali longitudine, vnciali latitudine, subcinerea læuia, non hispida, vt priora, mucronata: quibus cessantibus, postea longo ordine, caule videlicet subinde procerius excrescēte, in singularibus exiguis pediculis flosculi paruuli, candiduli protenduntur, ijsq; euanescentibus subnascuntur siliquæ ad latera cōpressæ, tenues, digiti longitudine, quibus numerosa semina paruaq; continentur. Ex foliorum autem singulis alis nō infrequenter noua adnata progrediuntur & ipsa copiosos flores ac siliquas proferentia. Nascitur mōtibus apricis ac locis cæduis, estq; sapore amaro.

Brassica syluestris folio betæ. Hanc licet in tota Harcynia nunquam conspexerim: cum tamen brassicarum syluestrium aliquot specierum me hic enumerationem instituere oportebat, &

huius obiter meminiſſe operæ precium duxi. Naſcitur vero copioſe in Hainleitta ſylua non procul à Sondershuſio ſub fagineto. Radice conſtat lignoſa, multifida, fibroſaque, folia betæ, rotundiori ambitu in terræ ſuperficie multa diſperguntur, plumbei fuſciue coloris, læuia, durioris membranæ inſtar, ſextantalia, caules eriguntur teretes, ſeſquipedales, ſplendentes, fuſci, pauca oblongiuſcula ac mucronata folia continentes, floreſque candidos proferentes, exiguos, ſed ſiliquas longiores cæteris ſpeciebus. [In aruis Thuringiæ non admodum diuerſa naſcitur, quæ cum Braſſica campeſtri deſcripta à C. Cluſio in Hiſpanicis obſeruationibus planè congruit.]

Braſſica ſylueſtris folijs membranaceis. Nec hanc in Harcynia me vidiſſe memini. Olim autem in Ienenſibus montibus aliquoties eam obſeruaui. Cæterum iam dictis minor eſt, radice parua, candida, ſuperuacanea, caule breui, geniculato, qui denſe ambitur ſuis folijs, quæ membranaceæ ſunt ſubſtantiæ, ſubflaua, ſplendentia, læuia, vncias duas longa, vnam lata.

Braſſica ſylueſtris media. Breuiora continet folia, numeroſa circa radicem, vncialia, oblongiuſcula, in obtuſum mucronem finientia, mollia, ſemunciali latitudine: quæ cauli appendũtur dodrantali, ea parte qua adhęrent vtrinq; velut alares pinnulas prominentes habent.

Braſſica ſylueſtris minor, foliolis multo minoribus, canis, coliculis quadrantalibus, ſiliculis anguſtis paruiſq;.

Branca Vrſina noſtras ſeu Sphondylium. Vbiuis ferè.

Beta aquatica. Prouenit in alueolis fontium profluentium, ſolo pingui. Radicibus firmatur tenuibus, nigris, fibratis, denſis in modum paluſtrium herbarum: ad quorum ſummum folia aliquot mediocriter ampla per terræ ſuperficiem explicãtur, trientali longitudine, ſextantali latitudine, craſſa, non-

nihil

nihil rubentia. Caules profert quadratos geniculatos, ſtriatos, ex quorum ſingulis geniculis bina ſibi inuicem alternis lateribus correſpondentia folia emergunt, rotunda, carnoſa, lata, betæ ſatiuæ folijs aſſimilia, rubicundis neruulis ac venulis ipſa perreptantibus.

Betonica, paſſim in pratis & pratenſibus locis.

Biſtorta maior. In Broccenbergo & vicinis montibus.

Biſtorta minor. In pratis vdis.

Bugloſſa ſylueſtris nigra, florem nigrum obtinens, vulgaris *Bugloſſæ minorem*: iuxta ſemitas & in agrorum marginibus ac ſegetibus etiam. [In Thuringia eam obſeruaui caule admodum craſſo, cubitum vix alto.]

Bugloſſæ ſylueſtris ſpecies, caulibus procumbentibus multis, varie reflexis, diſtortiſque ſtriatis, ſcabris ac aparines modo veſtibus adhæreſcentibus, folijs communis Bugloſſi ferè, longis, hirſutis, aſperis, ac in ambitu exiguis ſpinulis horrentibus: Floſculis itidem Bugloſſi cōmunis, paruulis, cæruleis ex geniculis caulium intra foliorum alas prodeuntibus, quorum ſingulum ſubſequuntur ſemina quatuor ſimul cohærentia, ſimilia ferè ſeminibus oleris ſpinachij, læuia, incluſa munimento bifoliato, ſcabro. Videtur fortaſſis illa eſſe Aparine Collinutij, cuius meminit Euricius Cordus in Botanologico, quæ videlicet ſit folijs Mercurialis ferè (ſicuti & huius plantæ noſtræ folia Mercuriali fœminæ folijs aliquo modo conferri poſſent) & planta Lapparia, quæ à Plinio libro 22. cap. 17. recenſetur Parthenij nomine. Ac licet ſemen non ſit aſperum retinaxq; (quæ nota ibi additur præcipue vt euidentiſſima) opinor illam aſperitatem intelligendam eſſe nō abſolute de ſemine ſolū & per ſe cōſiderato, verū quatenus inuolucro ſuo aſpero munitur. Locis reperitur apricis, aſperis, iuxta ædificia, templa, arces, pagos, hortos. Eſt & alias extra

Harcyniam vbiuis ferè ad ſepes ſpontanea: item inter vepres facile reperitur & iuxta macerias. [Alyſſum Echiodes Lobelij.]

Bryonia alba ad ſepes hortorum.

Betula arbor, paſſim.

Betula pumila, in Broccenbergo.

Blitum ſylueſtre maius, maioribus folijs conſtans, ſextantali longitudine & minus, minoribus folijs, vtpote vncialibus ac coliculis plurimis procumbentibus paſſim reperitur.

Burſa paſtoris, folijs maioribus, latioribus, quorum quæ terræ viciniora ſunt, in ambitu profunde inciduntur.

Burſa paſtoris minor, folijs inciſis & minor altera, folijs integris.

Bromus herba. Graminei generis eſt, inter ſegetes & locis aridis iuxta ſemitas.

Boleti Ceruini orbiculati. Reperiuntur locis illis, vbi cerui libidinem ſuam exercuerunt, item in carbonariorum areis.

C.

CONYZA AQVATICA, in piſcinis & vliginibus maxime circa loca habitabilia frequens, folijs lōgis, quadrantalibus, carnoſis, pinguibus, ſeſcuntiali latitudine, caulibus craſſis, cubitalibus anguloſis: flore chryſanthemi, in pappos tandem abeunte. Duplici autem eſt in differentia: Alterius enim ſpeciei folia ſunt integra & latiora, alterius paulo ſtrictiora & profundius in ambitu crenata.

Conyza maior montana, in montibus apricis, ſoli meridionali & orientali obiectis, potiſſ. circa Gerenrodam & circa Stolbergam: caulibus dodrantalibus, folijs mucronatis, ſextantem longis, ſeſcuntiam latis, nigricantibus, flore luteo.

Conyza maior altera, paulo procerior priore, folijs longioribus, quadrantalibus nempe, flore tamen minore aliquantulum.

Conyza minima, ad loca irrigua circa vrbes, prædia & pagos, caulibus dodrantalibus, folijs mucronatis, paruis, strictioribus, floribus luteis Chamemæli ferè.

Conyza helenitis Cordi, passim.

Conyzæ genus quoddam tenuifolium, caulibus ex vna radice prosilientibus plurimis, bicubitalibus, teretibus, striatis, hispidis, qui folijs ambiuntur ab vna radice vsque in apicem oblongis, sed angustioribus, hispidis. Flosculi in summis caulibus constituuntur parui, pappacei, floribus senecionis Dodonæi tertij fere similes. Vidi olim in Ilfeldensibus montibus.

Conyza aquatica maxima serratifolia. Radix ei est crassa, multifida, caules bicubitales sæpe, digiti ferè crassitudine, caui, striati, brachiati, folia trientalia in oblongum mucronem fastigiata, serrata, inferne albentia, lanuginosa; in summo caulium vmbella est sparsa, flores Iacobeæ similes continens luteos. Prouenit ad fluuiorum ripas in piscinis.

Chondrillaceorum generis plantas plurimas in Harcynia passim, easque diuersas admodum specie reperire licet, quæ vix quisquam facilè & dextrè certis nominibus ac notis à se inuicem distinxerit: præsertim cum rei herbariæ scriptores intybaceorum ac chondrillaceorum (quorum tamen vbiuis fermè locorum ac terrarū ingens copia sese offert) historiam nondum accurate examinauerint, sed tantummodo eam extremis quasi digitis attigisse nonnunquam videantur: ea solummodo recensentes quæ non multum difficultatis habent, illis interim neglectis, quæ absolutiore descriptione vel maxime indigebant. De intybaceis autem quicquid in

Harcynia mihi viſum fuerit, infra recenſebo. Hic vero ſubnectam ea, quæ exiſtimo ex chondrillaceorum genere vel magna ex parte eſſe vel eidem tamen affinia.

Chondrilla τραγοπωγωνάνθεμος (liceat mihi hanc ſic à flore ſuo denominare) duplex Stolbergæ ac alibi etiam circa ſemitas viſitur. Maior, cui folia ſunt nigricantia palmari longitudine pauloque ampliori, latiuſcula, anguloſa, quæ circa radicem conſtituuntur ſena, ſeptena, octona pluraq; quandoq; aut pauciora. Caules emittit ex vna radice plures, bicubitales, teretes, ſtriatos, folijs ferme nudos, recuruos, in brachia plura diuiſos, proferentes flores in oblongiore alabaſtro tragopogonis florum æmulos, luteos, poſtea in pappos dehiſcentes, ſemine oblongo, ſcabro, ſubſpadiceo, criſta piloſa in ſummo prædito. Minor maiori prorſus ſimilis eſt, niſi quod omnia minora breuioraq; obtineat. Eſtq; eius rurſus alia ſpecies, cui folia magis in lacinias diuiſa exiſtunt.

Chondrillæ alia ſpecies folijs ſeſquiunciam latis, longioribusq;, in terræ ſuperficie ad radicis ſummum diſperſis, hirſutis, in ambitu laciniatis, caule cubitali, amplioreq; tereti, ſtriato, recto, florem vnicum proferente, magnum luteum in alabaſtrino velut calyce detentum.

Chondrilla altera Matthioli in tenues lacinias profunde diſſectis folijs, quæ circa radicem diſperguntur, caules exerit teretes, longos, flexibiles, cubitales, læues, proferentes flores luteos pappoſos. Eſt duarum ſpecierũ quarũ altera maior eſt, quam iã deſcripſi: altera minor, omnia breuiora à natura ſibi attributa habens, & coliculos recuruos palmares: hæc in pratis quibuſdam reperitur.

Chondrillæ ſpecies radice candidula, exigua, parum fibrata: folia priora circa radicem diſpergens, tria, quatuorue, oblonga ex tenui pediculo protenſa, integra, non diſſecta, paucis ac exiguis quaſi ſpinulis in ambitu prædita: quibus ſuperadduntur

mox

mox alia tria, quatuor, quinaue, lõgiora, in lacinias (quæ tamẽ maiore interuallo à ſe inuicẽ dirimuntur, atque in altera Matthioli ſpecie) diuiſa, hæcq; rurſus conſimilia alia, ſed breuiora, pauciora & aliquantulum tenuiora per caulem (qui oblique diſtorquetur ac teres quidem eſt ſed euidenter ſtriatus, cubitalis ferme) conſequuntur: flores huic ſunt lutei, parui. Reperitur in locis pratenſibus montium.

Chondrilla altera Dodonæi, vulgo Deus Leonis dicta, Aphaca Theophraſti iuxta Matthiolum. Eius ſpecies aliquot reperiuntur paſſim. Maiori radix longior eſt & craſſior: folia etiam humi procumbũt, longiora, dodrantalia, ſextantali ferè latitudine: caulis itẽ altius aſſurgit, ac flos præterea aliquantulũ cæteris ſpeciebus maior eſt. Media vbiuis vulgo circa ſemitas, in hortis item & circa loca habitabilia alias reperitur, folijs quadrantalibus, coliculis ſeſquipalmaribus. Minori folia plura diſperguntur confertim humi procumbentia, ſibi inuicem implexa, minora, tenuioraq; cæteris, eodem tamen modo circumroſa: coliculos hæc etiam depromit breuiores tenuioresq;, palmares, flores item paulo minores.

Chondrillarum generis ſpecies quædam maior, caule procero, ſtriato, bicubitali, qui in ſummo in aliquot brachia diuiditur, quorum quodlibet florem ſingularem profert, luteum Tragopogonis floris inſtar. Folia caulis exerit pauca longo interuallo ſe conſequentia, longa, lata: quorum inferiora in ambitu parum ſubinde excinduntur, ſuperiora vero profundius circumroduntur, infrequentius tamẽ, quam id in Chõdrilla ſecunda Dodonæi accidit.

Huius reperitur & alia ſpecies, flore conſimili, caule item, ſed folijs deſtituto: ea vero pauciora numero humi recumbunt, quorum prima lata quidem aliquantulũ ſunt, ſed ſubrotundiora, reliqua longiora conſpiciuntur, ac in ambitu circumroſa, ſed non profunde, nec admodum crebro.

Huius generis & minor reperire datur species, radice parua, lignosa, fibris paucis constante: caule vnico, recto, cubitali ac aliquantulū proceriori, tereti, tenui, læui, folijs carente, quæ solūmodo humi reclinantur, numero sex, septem, octo, nouem, decem, pauloq; plura quandoq; quadrantalia, in ambitu circumrosa modice. Florē itidem hæc Tragopogonis æmulum profert & vnicum.

Chōdrillæ alia species, paulo ab hinc iam dictæ minoris (huius scilicet generis) speciei ferme æmula: radice parua, fibrata, nigricante: caule crasso, striato, parum hispido, nodis multis prædito, ex quibus emergunt folia oblongiora, viridiora, circū-rosa aliquantulum, scabra, hirsuto dorso prædita.

Chondrillæ species caule cubitali, aspero, striato: folijs quadrantali longitudine, humi sparsis, quaternis, quinis, senis septenisue, in ambitu circumrosis modice: ijs vero, quæ caulē conscendūt, excisis ita vt in ambitu euidenter laciniæ inde relinquantur: floribus paruis pappaceis, agminatim in summo caulis constitutis, quorum singulus peculiari petiolo innititur.

Chondrillæ cuiusdam minoris species, radice singulari, quandoq; & bifida, mediocriter crassa, digiti parui longitudine, fibrata, nigra: folia exerit parua, leuia, carnosa, oblōgiuscula, integra, recurua, angusta, in dorso rubētia, numero quaterna, quina, sena, septena, octona etiam quandoq;. Coliculum producit incuruum, rubicundum, digiti minoris longitudine, vnico donatum flore luteo, tragopogonis ferme alicuius modo. In pratis pinguioribus nascitur.

Chondrillæ paruæ species, radice parua, fibrata, ex nigro subrubēte, folijs quadrantali longitudine, humi procumbentibus, asperis, mediocriter latis, viridibus, confractu facilibus, senis vel septenis, nonnunquam octonis: caule palmari, pauloue longiore, tenui, tereti, aspero, modice cacumen recuruante,

folijs

folijs prorſus deſtituto: flore ſingulari, ſimili Chōdrillæ Dodonæi alterius.

Chondrillæ ſpecies radice vel ſingulari, vel bifida, multifidáue quandoque, candida, lignoſa: caulibus cubitalibus bicubitalibuſque, brachiatis, ſtriatis: folijs longis, læuibus, quorum, quæ humi procumbunt, leniter circumroduntur, reliqua in caule profundius laciniantur: floribus paruis luteis, agminatim diſpoſitis, ſingulis tamen ſingularibus petiolis inhærentibus, ac ad ſolem orientem ſe expandentibus, eoq; recedente labia contrahentibus. Hæc etiam extra Harcyniæ ſyluam agris conſitis ad ſemitas & margines familiaris eſt.

Chondrillæ vlterius alia ſpecies, radice candida, lignoſa, inutili: caule cubitali, minoreque vtplurimum, tenui, ſtriato, folijs donato paucis, viridibus, oblongiuſculis, mollibus, integris, in ambitu quaſi ſpinoſulis, flore luteo. In Stolbergenſibus apricis montibus.

Sed haſce Chondrillarum ſpecies ex ſolis nudiſq; deſcriptionib. non adhibitis iconibus diſcernere admodum erit operoſum.

Colchicum, paſſim in pratis. Reperitur locis ſeptentrionalibus, prope Ilſenburgum, flore etiam candido.

Chriſtophoriana, quam tonſores vocant Heydniſch Wundkraut/ locis opacis & humectis copioſa.

Caryophyllæa ſylueſtris, *ſeu flos armerius Dodonæi ſylueſtris*. Donnerneglin. Species ſunt eius hæ ſequentes.

Prima, quæ eſt communiſſima, flores in coliculis teretibus, rectis, geniculatis proferens, fimbriatos, coccinei ruboris.

Secunda, coliculo cōſtat proceriore, cubitali, varie incuruo, geniculato, brachiato, tenui, teretique, flore rubicundo, prædicto ſimilimo.

Tertia, radice lignoſa, folijs paulo latioribus, ſcabris, cau-

le rotũdo, cubitali, craſſiore quam in prioribus, geniculato: floribus rubentibus, paruis, quorum bini vel tres ſine petiolis ſibi quaſi contigui cohærent.

Quarta, radice firmatur tenui, lignoſa, candidula, coliculos proferente tenues, teretes, geniculatos, palmares, pauloque proceriores, emittentes ex ſingulis geniculis, folia bina, tenuia, ſtricta & parua. Capitulum gerit in ſummitate coliculi vniuſcuiuſque ſingulum, membraneum, flaueſcens, alabaſtri ferme in modum, compactile, leue, ſplendens, ex quo non vt in cæteris generibus vnicus flos emergit, ſed plures, ſemper poſt priorem emarceſcentem, nouo proſiliente, ita vt ex vno capitulo ſæpe ſeptem, octo item & quandoque nouem prorumpere conſpiciantur, ſingulo flore relinquente ſingulam oblongiuſculam ſiliculam, continentem ſemina parua, latiuſcula, nigricantia. Flos admodũ eſt exiguus, extra capitulũ parũ apertus prominens, coloris ex rubicũdo dilutioris. Gaudet apricis & aſperis. [Armerius ꝑlifer, Lobelij.]

Eſt & alia ſpecies iam dictæ ſimillima, niſi quod non plures ex capitulo floſculos excrat, ſed vnicum ex rubro pallidiorem.

Centaurium minus, paſſim flore ferrugineo: candido aliquando reperitur, ſed rarius, circa Vuernigerodam.

Centauroides, aut Centaurium maius ſylueſtre Germanicum. Ita appello plantam, tota facie Centaurij maioris ſpeciem referentem, quã Tragus Schartam nominat. Kyberus vertit florem tinctorium. Huius quo ad folia, differẽtias aliquot obſeruaui. Prima folijs quotquot tota planta profert, conſtat omnibus longis, latis, ſerratis, integris, omni inciſura carentibus. Hanc in mõte Aethereo prope Vinariam flore candido reperi, quali tamẽ in Harcynia me nondũ videre memini. Secunda ſpecies folia continet diuerſa: eorum.n. quæ radicis capiti appenduntur ſuis pediculis, vnum, duo, tria, aliquando plura

integra sunt tota circumferētia: reliqua & potissimū ea, quæ cauli adhærēt, profunde incidūtur aliquot dissectionibus. In Tertia, natura varie ludit. Huic.n. primum foliū radici inhærens, integrū totū est, reliqua omnia dissecta sunt. Hæc vero dissectio folijs cōtingit vtroq; latere binis vtplurimū incisuris, ꝓfundis, raro trib. idq; vel nō in omni folij parte, sed ea tātū, qua pediculus in foliū expanditur, sub initiū videlicet folij, cætera omni parte folij integra existente, lata, & vsq; in extremū, in quē desinit, mucronem cōtinua: vel in priorib. aliquot tantūmodo folijs ista ratio inesse dephenditur, reliquis interim omnib. quæ sequūtur, & quib. caulis crebro obuestitur, multo plurib. dissectionib. per vniuersam suam substantiam diremptis. Quarta species obtinet folia lata longaq; vt priorum specierū, sed vtroq; latere ab ima parte vsq; ad extremam omnia multis ꝓfundis semperq; similib. diuisionib. diuulsa, modo pene eo, quo Chōdrillæ alteri⁹ folia dirimūtur.

Consolida Sarracenica, vbiuis spontanea & copiosa. Cordus Serrifoliam appellauit. Reperitur multoties bicubitalem altitudinem superare, foliaq; obtinere latitudine trientali: Verum licet satis sint longa ac dodrantem sæpe excedant, tamen ab aliis speciebus huius plantæ insigniter discrepant, quod præsertim in orbicularem figuram, quæ aliquantum in mucronem protenditur, explicata conspiciantur.

Huius reperitur alia species, folio non tam lato, nec ita orbiculari, sed longitudini eandē ferè latitudinem, quæ sextantalis est, obtinens.

Huius adhæc generis in monte quodā circa Ilfeldam monasteriū reperi speciem aliam, caule crasso, striato, piloso, bicubitali ferme, foliis plurimis, nigris, mollib. parum pilosis, quadrantali longitudine, eademq; latitudine. Flos autem, an ei idem sit, qui prioribus speciebus, nondum certo scio, nam tum, quando reperiebam, florum nihil exhibebat.

Chamæarys altera Matthioli seu fœmina, Sideritis Crateuę apud Tragum. In promontorijs quibusdam Harcyniæ soli meridiano oppositis, potissimum circa Gerenrodam.

Consolida maior, id est, Beinwell/ passim in pratis. [Symphyton maius Dioscoridis.]

Consolida maior amplexicaulis, flore purpureo, olim mihi reperta est in prato quodam prope Ilfeldam.

Consolida media, passim se offert. Eius tamen aliquot obseruantur differētiæ. Maior flores profert cæruleos. Hæc duplex est, altera folijs donatur magis orbicularib. & paulo latioribus: altera lòngioribus, in ambitu frequenter incisis. Minor flores gignit rubicundiores, modice dilutos, cui omnia sunt teneriora & minora.

Consolida regalis, Flos regius Dodonæo & eidem Delphinium verum esse existimatur. Intra segetes, circa vias, iuxta oppida, villas & pagos.

Cardiaca, passim circa oppidula & pagos.

Camelina Dodonæi seu Myagron, in agris & circa loca habitabilia.

Carui, copiosissime in pratis Stolbergensibus.

Caryophyllata, seu Benedicta herba, flore aureo, passim in hortis, & circa loca habitabilia, ac etiam in montibus.

Caryophyllata maior seu purpurea: passim ꝓuenit locis opacis & vliginosis, folijs grandiorib. ac nigriorib. radice crassiore, inodora, rubente, flore maiore ex puniceo nigricāte, cymbalari fere figura.

Cassutha, reperitur passim herbis adnata, potissimū Vrticæ maiori & trifolio corniculato minore, iuxta vias, ac in montib. cæduis, apricis.

Cruciata herniaria passim, Gallio cognata fermè herba, quā Tomo secundo Rembertus depinxit post Asperulam. Habetur admodum præstans in herniosis rupturis solidandis.

Cruciata gentianella, Sperenstich/ prope Vuernigerodam.

Cyanus

Cyanus aruensis cæruleus in agris.

Cyani syluestris seu Iaceæ nigræ variæ species hinc inde in Harcynia reperiũtur, quarũ hic breuiter recẽsebo, quotquot sese mihi in ea offerre memini, intermissis quæ alibi occurrere solent.

Cyanus syluestris montanus integrifolius, maximus in hoc genere, caule striato, anguloso, rubicundo parte inferiore, scabro & tenui lanugine obsito, bicubitali, quandoque altiori: folijs iuxta radicem in pediculis oblongis, dodrantalibus ferè, latitudine sæpe sextãtali, incisuris aut crenis prorsus destitutis, mollibus & tamen scabris, albicantibus inferius, virentibus magis superius, figura ferè Cynoglossi, vnde poterit *Cyanus syluestris* κυνογλωσσόφυλλος dici: Cætera folia, quibus per caulem plurimis donatur, subinde versus cacumen minora redduntur, neq; longo pediculo appenduntur, sed alis suis ad exortum suum adhærescunt. Caulis autem, qui inferiore parte qua crassissimus est, minimo digito tenuior existit, procerè ac recta assurgit, & in summo in aliquot brachiola tenuia, striata ac foliosa dirimitur, quorum quodlibet calicem profert satis grandem, suffuluum, rotundi capituli instar, multis squammis asperis compactum, quorum squammatorum corpusculorum singula apices habent oblongiusculas, lanuginosas, multifidas, fuluas, crispas plumularum quarundã elegantem imaginem referentes, quæ pulcro naturæ spectaculo sibi inuicem implicantur. Flos ex istiusmodi calice exeritur rubicundus, floribus cyani aruensis maior. Semina etiam cyani edit, licet maiora. Prouenit potissimum montibus apricis sole meridiano illustratis circa Stolbergam & alias etiam. Saporis est amari euidenter, ac diu in lingua perdurantis cum leui acredine, subtilitate quadam partiũ linguam vellicante, vnde eam calidam & siccam in secundo gradu statuo. [Iacea Pannonica capitulo crispo Clusij.]

Cyanus syluestris maior aruensis, qui videlicet in aruis potissimum

& ſecus vias, in marginibus ac circa loca habitabilia reperitur, folijs latis, longis, nigris, hirſutis multis, varieq; diſſectis ac diuulſis, ita vt quaſi in plures coſtas ex aduerſo inuicem ſibi reſpondentes diuidãtur: calice ſquãmis aſperis compacto, rotundo, florem rubicundum proferente. Matthiolus hanc ſcabioſam maiorem facit. Reperitur etiã, ſed infrequentius, folijs paucioribus, minoribus aliquantulum, & diſſectionibus paucioribus flore candido.

Cyanus ſylueſtris anguſtifolius, minoribus ac anguſtioribus folijs, ijsq; quandoq; integris, quandoq; diuiſis. Eius aliquot ſpecies ãnotaui. Maior caulibus aſſurgit proceris, rectis, bicubitalibus, in ramoſa brachia mox ſupra radicem vſq; in ſummũ cacumẽ digeſtis, folijs plurimis, aſperis, lanuginoſis, nigris ac ſquallidis obueſtitis: quorum quæ radici propinquiora ſunt, longitudine ac latitudine quadrantem excedunt, & vna atq; altera inciſura in ambitu leniter eroduntur: reliqua vero integriora ſunt & vix longitudine quadrantem aſſequuntur. Capitula profert cyani, rotunda, compactili ſquammarum compage efformata, ex quibus flores eius non admodũ manifeſte explicantur. Minor folijs conſtat adhuc anguſtioribus, lanuginoſioribus, nec tã aſperis vt in priori, oblongis tamen verſus ſuperiora reflexis, caliculo ſquammato, breuiore, qui & ipſe non euidenter, vt ſuperiores ſpecies, florem expandit.

Huius & alia ſpecies viſitur, cum iamdicta prorſus eadem, niſi quod prope radicem tria, pauloue plura in oblongis pediculis exerat folia longa ac mediocriter lata.

Eſt porro Cyani ſylueſtris etiamnum alia ſpecies, quam Cyanum ſylueſtrem tenuifolium minimum nomino, ratione tenuitatis foliorũ. Huic radix nigra eſt, mediocriter craſſa, paucis fibris prædita, ex qua exurgunt foliola numeroſa, ſcabra, nigra, oblonga, tenuia, multis inciſuris in anguſtas lacinias, quarum ſemper binæ ex vtroq; latere παραλλήλως ſibi correſpon-

respondent, Chondrillæ alicuius tenuifoliæ modo diuulsa. Caules profert cubitales, prope radicē mediocriter crassos, q subinde extenuātur, insigniter scabris striatos, folijs multis multifariam in tenues lacinias dissectis præditos, quæ recto ordine, certoq; interuallo inuicem relicto caules cōscendentia ipsos ambiunt, sicq; continuo ordine vsq; in summū cacumen attenuātur. Caliculos exhibet exiguos, squāmatos. Non inelegans est planta. Inuenitur locis asperis, sed infrequentius. Est vero omnino minor species eius, quem supra cyani syluestris maioris aruensis nomine descripsi.

Clinopodium vtrunq; maius & minus. Sed hoc rarius reperitur, illud crebrius. Est Gesneri Pulegium petræum in hortis Germaniæ ac Dodonæi Ocimum syluestre seu Acinos.

Clematis daphnoides seu Vinca Peruinca, in montibus Stolbergensibus & circa Vuernigerodam.

Clematis tertia Matthioli, Copiose circa Ilfeldam.

Cynoglossum vulgare non floridum, & alterum caulescens ac floridum. Hoc olim flore candido sed non in Harcynia vidi.

Cynoglossum syluaticum Harcynicum, differens à prædictio. Constat hoc caule recto, cubito altiore, rotundo, striato, rubēte, molli, candida lanugine obsito, qui in summo in tenues diuiditur brachiorum ἐκφύσεις, flores proferentes puniceos & semen echinatum asperum vt in priore specie. Folia circa radicem non ita copiosa ac ampla longaq; spargit, vt prius, sed parum ibi foliorum obtinet: ea vero maxime profert caulem ambiētia, subrubētia ferme ex nigro, priori cynoglosso multo minora, quadrantali lōgitudine, sescūtiali ferè latitudine, inferiora parte parūlanuginosa, mollia valde, sed tamen aliquid scabritiei cōtinentia. Nusquā alibi obseruaui, prǽterquā ad radices montis cuiusdam opaci supra Ilfeldam ac Beram fluuium.

Cerui-

Ceruicaria maxima folijs vrticæ maioris caule ſæpe bicubitali, floribus in vno ſcapo plurimis calathi figura, magnis, cæruleis, quandoq; etiam albis.

Ceruicaria media. Hæc locis mõtanis & ſoli meridiano expoſitis nonnũquam prodit, caule tereti, aſpero, folijs plurimis amicto, minoribus multo, viridioribus ſuperius, inferius candidis, lanugine veſtitis, quali folia Althææ, ſicut & folia mediam figuram inter Vrticæ maioris breuiora folia & althææ referũt. Caulis vt plurimum vnicus eſt, ſine ramoſis adnatis, ſæpenumero tamen in plures diuiditur brachiatas virgulas. Circa medium ferè caulis vbi maiora folia exoriri deſinunt, frequẽtes προσφύσεις adnaſcuntur, ordine per certa interualla vſque in apicem caulis conſequenter ac ex alis peculiaribus ad latera erũpentes, tenuibus quibusdã foliolis ijsq; incriſpatis parum ac agminatim denſeq; ſibi cohærentibus conſtitutæ, ex quibus longa ſerie in ſcapo flores crebri prodeunt eleganter cærulei ſimiles prioribus ſed multo minores.

Ceruicaria maior tenuifolia. Radice conſtat craſſa, multifida, ſubrubente, ex qua prorumpit caulis ſubfuluus digitalis ſæpiſſime craſſitiei, cauus, ſtriatus, hiſpidus, folijs circa radicẽ circũdatus plurimis, anchuſæ aut echij folijs inſtar, nigris, aſperis, hirſutis, palmari ferè longitudine, craſſitie vnciali, quibus alia cõſimilia ſubſequũtur longo ordine vltra caulis mediũ, ſed ſubinde minora. Flores non profert continua ſeu oblongiori ſerie per ſcapi ſummum veluti racematim propendentes, vt ſuperiores ſpecies, ſed agminatim in ſummo apice capitulo quodam in vnum collectos exerit, minores paulo, coloris ex cæruleo pallido ſubalbicantis. Non admodum frequens vbiuis hæc ſpecies eſt, ſed mõtium quorundam iugis opacis aut humentibus aut aliàs tamen pinguiore ſolo reperitur, potiſſimum mõtibus quibusdam ſupra Ilfeldam [Trachelium θυρσοειδὲς Cluſij.] Ceruicaria minor Dodonæi, paſſim

locis

locis apricis, maxime auff der Langen / & circa Vuernigerodam.

Chelidonium maius, passim.

Chelidonium minus, passim.

Chelidonia capnitis quorundam, seu Fumaria altera Matthioli, Radix nostra caua, duplex: altera est radice integra, altera foramine inferius pertusa & excauata: flore item aut puniceo, aut candido. Estq; eadem porro vel maior vel minor, quarum huic angustiora sunt folia, vnde & angustifolia dici possit: Illi vero paulo latiora. passim prouenit.

Chamæmespilus Cordi: in montibus Gerenrodæ vicinis.

Crassula maior, passim.

Chamænerion Gesneri, flore purpureo: passim. Item flore cãdido, sed non adeo crebro, circa Stolbergam. Assurgit autem sæpe in altitudinem quatuor cubitorum.

Chamæmelon, in agris & circa loca culta.

Chamæmelum album, seu fœtidum, quibusdam Cotula fœtida dicta, in agris, aruis, & circa loca habitata.

Cornus fœmina, Virga sanguinea, Hartrigel.

Corylus syluestris, passim.

Cicuta vera, passim. Hæc aliquãdo est folijs latioribus, aliquando paulo tenuioribus, cæteris nihil differens.

Cicuta aquatica, folijs prædictæ tenuioribus, flore candido, semine maiore, cãdido, pessimi fœtoris, æstate passim in piscinis.

Cicutaria seu Cicutaria myrrhis, Cordus olim Myrrhidem syluestrem vocauit, vt referebat Aemylius. Ego Pseudomyrrhidem dici posse censeo, vulgo Kelberkern / passim in hortis & pratis quibusdam. Alijs pro Seseli Peloponesiaco habetur.

Crista Galli seu Alectorolophos lutea, Geel Rodel / passim in pratis ac quandoq; montibus apricis ac arboribus destitutis.

Calaminthe secunda, quæ alias etiam vbiuis fere est vulgaris, in agris montanis.

Calamintha tertia, seu Nepeta, ad rudera præsertim arcis Eberſburgi copioſa, item circa arcem Stolbergicam.

Cicer ſylueſtre maius. Conuenit ferme cum eo, cuius Matthiolus Iconem exhibet, niſi quod folia non ſint rotunda, ita vt Icon Matthioli habet, ſed oblonga, nigra, hiſpida, non dentata (quam ipſe quoq; notam in ſuo requirit) lenticulæ folijs ſimilia. Sunt & coſtæ, quibus folia inhærent, Matthioli plãtæ coſtis lõgiores multo, pluribus itidem folijs præcinctæ. Caulibus vitigineis humi reflectitur, brachiatis ac late expanſis. Flores profert in denſa ſpica confertim conglomeratos, plurimos, lenticulæ ſimiles, luteos, quos ſubſequũtur membraneæ veſicæ, agminatim cohærentes, ſubflauæ, piloſæ, in acutum mucronem prominentes, minores ſiliquis ciceris arietini, quibus conduntur paruæ ſiliculæ plenæ ſeminibus rotũdis, paruis, flaueſcentibus, ſimilibus ferme loti ſatiui ſeminibus. Prouenit locis pratenſibus. Voco autem hanc ſpeciem maioris nomine, quod eiuſdem aliæ ſpecies reperiãtur, quarum altera mediam magnitudinem obtinet, altera lõge minor eſt. Vtraq; in montibus Harcyniæ adiacentibus, ac meridiano ſoli expoſitis naſcitur, quorum in Montium hiſtoria ſeorſim aliquando fiet mentio.

Carduus auenarius, ſeu ſylueſtris Tragi, capitulis breuioribus, agminatim in cacumine ſtirpis inuicem ſuis pediculis cohærentes, caulibus ſæpe tricubitalibus.

Carduus alius admodum procerus, caulibus interdum tricubitalibus, folijs valde ſpinoſis, ſimilibus admodum Onopordo Dodonæi: omnes enim eius notas obtinet: paſſim.

Eiuſdem Cardui ſpecies aliæ, capitulo ſpinoſo, ſquammato, tenuiori quidem quam in priori, ſed longiori, candida lanugine ſquammas eius intercurrente.

Carduus ſylueſtris Dodonæi, capite grandi, echinato, ſpinoſo, ſquallidoq;, purpureis floribus comante, odoremq; dulcem

remit-

remittente. Procerè assurgit, ita vt tricubitalis sæpe fiat. Passim obuius est, locis apricis & cæduis: Acutissimis autē horret ac longissimis spinis.

Cynorrhodon, seu Rosa syluestris, floribus subrubris suauiter fragrātibus. Videtur esse Cinnamomina Dodonæi. Eadem flore candido non ita frequens est.

Cynorrhodos alia flore paulo minore, ex candido tenuiter rubescente.

Cynorrhodos seu Rosa Canina, virgis, fructu ac folijs aculeatis, spōgiolas proferens. Weißdorn/ vel riechende Dorn.

Cynorrhodi species in Broccenbergo nascens, rarior inuētu, fructu nigro, non oblongo, sed rotundo, cerasi magnitudine, continente semina pauciora quam reliquæ species, duplo tamen grandiora ac formæ quodāmodo granorum vitis. [Rosa pomifera Lobelij, vel campestris odorata in Pannonicis Clusij, Nostris à foliorum figura Pimpernellenrößlin.]

Chamelæa Germanica, *seu nostras*, id est, Kellershalß/ passim locis opacis circa Stolbergam, Gerenrodam, Ilfeldam, & alibi.

Coralloides Cordi, seu Rhizocorallum, vt vocari non inconcinne posset. *Dentaria* nimirum *minor* Matthiolo dicta. Copiosissime in montibus opacis circa Stolbergam & Ilfeldam veris initio prodit.

D.

DAVCOIDES Cordi maius, Daucus asper Gesneri, vt existimo. Locis asperis ac montanis, ac inter dumeta.

Daucoides Cordi minus, ad macerias passim & iuxta vias, item circa pagos.

Daucus tertia Dodonæo, alijs Pastinaca syluestris, Vogelnest/ passim iuxta vias, locis aridioribus, & in quibusdam pratis.

Daucus tertia tenuifolia, Eadem cum priore, nisi multo tenuiora folia contineret, quæ in priore sunt aliquantulum latiora.

Daucus λασιόκαυλος. Radice nititur candida, palmari, quandoque pedali, vnica, deorsum descendente, nonnunquam in duas trésue partes æqualiter crassas oblique diuulsa, minus crassa paruo digito, odore apij satiui, ac sapore etiam, sed feruidiore, diutius linguæ inhærente. Caulem depromit cubitalem & maiorem, quandoque bicubitalem, infima parte ferè minimi digiti crasitie, geniculatum, nōnihil teretem, sed plurimis strijs euidentioribus angulosum, pilosum valde. Folia ad singula genicula lata ala caulem ambiunt, quæ deinde in pediculum carinatum, oblongum, pedalem in inferioribus folijs diducitur, asperum & pilosum: cui in anteriore sui parte ad latera bini semper ex æquo sibi correspondentes, alij breuiores pediculi, in brachiorum modum & ipsi canaliculati appenduntur, folia continentes, sicut & reliqua principalis pediculi pars, flauescentia vtplurimum ex viridi, in ambitu profunde incisa, simili modo quo folia carotæ nostræ satiuæ diuiduntur, sed in latiores tamen aliquanto particulas: suntque hæc attractu quidem mollia, hispida tamen leniter, præsertim in dorso ac ambitu. Porro intra singulas foliorum alas adnata noua emergunt, striata, hispida & ipsa geniculis intercepta, iuxta quæ genicula latiori ala brachiolum amplexante pediculi canaliculati, prioribus similes, sed breuiores prodeunt, folijs consimilibus præditi, sed quæ subinde etiam breuiora fiunt, quo magis in plantæ cacumen deuergunt. Præterea etiam ex qualibet ala ferme foliorum, tam caulis, quam brachiorum, folliculus protuberans emergit inuolucro obtectus oblongo, ex quo demum sicuti & in caulis summo eodem modo prorumpit caliculus sex oblongis ac imbricatis foliolis constans, quibus diductis

fasci-

fasciculus exeritur plurimorum petiolorum, leniter striatorum ac pilosorum, agminatim caliculo inhærentiū, quorum singuli expandunt paruam, & conuexam vmbellam candidam aut flauentem quandoq; leuiter odoratam: sequuntur quemlibet flosculum bina semina, sibi inuicem cohærentia, subrotundiora in ambitu, alias vero altera parte lata, echinata, fulua, similia Carotarum seminibus. Dauci angulosi Cordi notæ plures huic cōgruunt, sed non omnes. Folia profundius vsq; ad suum pediculum dissecantur, in ambitu tamen serraturam nullam habent, nisi dentatas paucas impressiones. Deinde Cordus proculdubio non præterijsset eius euidentissimam pilositatem caulis, cum alias singula diligenti industria prosequatur. Præterea caulis licet sit striatus, tamen non circa radicem triquetram figuram ostendit. Demum nihil villorum circa radicis caput ex amissis folijs obtinet. Sed hæc omnia potius (vt & alię Dauco anguloso attributę notæ) in Libanotide amara reperiuntur, quam tamen seorsim Cordus alicubi descripsit in libello cui titulus fuit, Liber VI. quē ipsius Cordi αὐτόγραφον olim apud Aemyliū vidi, qui nondum editus est, licet quædam capita inde desumpta quatuor Stirpium libris sint inserta. Tamen non dubito nostrā Daucum Cordo fuisse cognitissimā. Nascitur maxima ex parte in ericetis, locis apricis, præsertim in montibus circa Gerentrodam: imo etiam Stolbergæ in monte vrbi proximo ad dextram ante portam Septentrionalem fürm kaltenthal. item in loco pratensi Harcyniæ dicto vff der Langen.

Daucus ἐχινόκαρπος aut ξανθιόκαρπος maior. Vulgo Klettenmöhren / quo nomine & Cordus libro sexto ipsum descripsit. Herba est bipedalis vt plurimum, radice candida, breui, parū fibrata, lignosa, inutili: ex qua prodit caulis teres, striatus, asper, nonnihil spinosus, ad genicula pediculis oblongis præcinctus, quibus appenduntur folia multa, per certa interualla

ſemper bina ex oppoſito ſibi correſpondentia, profunde in ambitu inciſa, carnoſa aſpera. Ex ſingulis foliorum alis noui ramuli erumpunt, eodem modo pediculis foliatis ſed breuioribus donati. Floſculos exhibet per ſummum caulis & cuiusq; brachioli in foliato capitulo denſe cõglomatos paruos, breui vmbella explicatos, quibus pereuntibus, ſequuntur ſemina oblonga, bina ſibi cohærentia florem quemlibet, ſeminibus Xanthij ſimilia. Prouenit locis aſperis & incultis.

Daucus ἀκανθόκαρπος, ſeu ἐχινόκαρπος, ſiue ξανθόκαρπος minor. Caucalis ſeu Daucus ſylueſtris Dodonæi To. II. Folijs inter carotam ſatiuam & cicutam medijs, frequenter inciſis in tenuiſſimas partes: caule inæquali, aſpero, nonnunquam & ſpinoſo, præſertim iuxta ſummitatem, & in multa brachia diuiſo. Cuiuslibet brachij & ipſius caulis faſtigium in faſciculum plurimorum pediculorum dirimuntur, in quorum apice ex caliculo foliato exeruntur foliacei floſculi, albentes: quibus decidentibus ſubſequitur vnumquemlibet florem ſemen duplex, Xanthij ſeminibus itidem ſimile, paulo minus prioris huius generis ſpeciei. Locis reperitur quandoque, ſed rarius, aridioribus & apricis.

De Dauco ſelinoide, ſupra in Apio.

Dryopteris Tragi, Pteridion fœmina Cordi: paſſim ad radices quercuum & in muſcoſis crepidinibus ſaxorum humidorum.

Digitalis lutea, paſſim.

Dipſacus ſylueſtris, circa oppidula, pagos & villas.

Dipſacus minor (licet tàm ſatiua quam ſylueſtri ſit procerior & ramoſior) ſiue Virga Paſtoris. Ad monaſterium ordinis Auguſtinienſium, **Himmelspforten** / prope Vuernigerodam, copioſe naſcitur.

Dactyliobotanon, Trago **Händlinkraut**. Alterũ cæruleo, alterũ niueo-

ueo flore. Quæ cæruleo habetur, cõgener eſt Elatinæ II. Dodonæi, quo ad folia, Pſeudochamædryos vero generib. quo ad flores & ſemina. Differt vero ab Elatine, quod illius folia integra ſint & in ambitu tantum ſerrata, huius vero folia in oblongiuſculas lacinias diuiſa, quaſi manus in tres pluresue digitos diſtributæ figura. Cæterum cæruleum hoc duplex eſt. Maius in agris inter ſegetes naſcitur, cauliculis brachiatis, palmarib. folijs ferè vncialib. craſſioribus, pinguioribusq;. Minus ſimpliciores habet colicolos & breuiores, folia etiam minora, & locis montanis ac aridioribus prouenit. Dactyliobotanon autem alterum Tragi niueo flore, in ſcopulis præcipue vdis alijsq; humidioribus locis reperitur. Eſt autem hoc congener Saxifragæ albæ. [Quam Tragus hoc nomine deſcribit, Lobelius Paronychiam folio Rutaceo appellat, apud quem Imago viſenda fuerit, cum nec Tragus nec quiſquam alius eam depinxerit. Autor aliquando miſit huis plantulæ ſemen Tridactyli nomine.]

E

ERICOIDES luteum, Plantula dodrantalis, fruticoſa, cauliculo anguloſo, foliolis paruulis, ſtrictis: flores profert copioſos menſe Septembri, racematos longo ordine adhærentes ſummis cacuminibus brachiolorum, exertos ex paruis caliculis viridibus, eoſq; luteos, ſimiles floribus ericæ cuiuſdam. Oſtendebatur mihi olim à viro in re herbaria peritiſſimo ac præceptore meo obſeruandiſſimo, Laurẽtio Hiel pro Cori, ſed nec odorata eſt, nec flores Hyperici continet. Prouenit in collibus ſterilioribus, apricis ac arboribus deſtitutis. [Euphraſia lutea Dodonæi.]

Ericoides rubrum. Priori speciei assimilis hæc est, sed paulo maior, folijs latioribus, floribus rubicundis. Sed tum flore tum folijs minus ad Ericæ figuram accedit. Prouenit locis aridioribus circa segetes, & in ipsis quandoq; segetibus. Vulgo Triticum leporinũ nominant. Semina in exiguis capitulis profert parua, multa candida, sicuti & Ericoides luteum [Euphrasia purpurea Dodonæi: Vtræq; sideritides aruenses appellantur in Lugdunensi Herbario.]

Eupatorium Dioscoridis, Vulgo Agrimonia, passim.

Erysimon nostrate, locis asperis, passim, ac circa oppidula, pagos, villasq; & alia loca habitabilia.

Echium palustre Cordi, Scorpioides mas Dodonæi: passim ad flumina. [**Vergiß mein nicht.**]

Eiusdẽ alia species. Dodonæo Scorpioides fœmina, Hęc locis asperis & apricis montiũ prouenit, & in syluis potissimũ cæduis, non ad loca irrigua & humecta vt prior. [**Wild vergiß mein nicht.** Gesnerus vtranq; ad Heliotropiũ maius retulit.]

Erigeron seu Senetio Vulgaris, **Kreutzwurtz**: passim in syluis cæduis.

Erigeron fœtidum seu maius, odore graui ac bituminoso aliquantulum, folijs resinosis quodammodo attactu. Cubitali sæpe proceritate & ampliore assurgit. Eam Vir Clarissimus D. Laurentius Hiel, olim præceptor meus Conyzam Hippocratis esse autumabat. vbiq; locis cæduis ac apricis.

Erigeron tertium Dodonæi: locis asperis & apricis.

Euphragia. passim locis pratensibus. Altera maior, cauliculo assurgens sesquidodrantali, ac quandoq; paulo proceriore, brachijs multis prædito, folijs alterius speciei duplo, imo ferè triplo maioribus & flosculis maioribus. Hæc in pratis pinguioribus reperitur, maxime circa Stolbergã. Prodit simul cum altera specie, sed nõ ita frequens est vt illa notissima, quæ omnia minora continet.

Erica vulgaris, passim.

Eadem tenerior ac foliolis multo tenerioribus, in Broccenbergo & vicinis montibus.

Erica baccifera Matthioli. Nam hanc, de qua nunc agimus, eandem eſſe cenſemus. Angli vero in ſua Aduerſaria Vacciniorum paluſtrium nomine eam proponunt, quamuis hæc noſtra in paluſtribus nõ naſcatur. Fruticulus eſt humi procumbens, in oblonga, multifidaq́; brachia rubentia, lignoſa, obſequioſa ac folioſa latè ſuper terram ſe prorependo explicãs: foliolis denſe obueſtitur breuibus, oblongiuſculis, ſtrictis, ſuffuluis, ſæpe etiam nonnihil cæruleis, ſplendentib. ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æſtate ſub Syrij æſtu emicant tenuiſſima ſtaminula, breuiaq́;, filamentorum ſericorum ferè inſtar, quorum ſummitatibus apicula inſident coloris ex rubro nigricantioris aut ſpadiceſcentis fere: hæcq́; filamenta & apicula florum vicem explent, ijſq́ue decidentibus emergunt baccæ ſplendentes, iuniperinis minores, ſimiles baccis Vitis Idææ ſeu Vacciniorum nigrorum Dodonæi, rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpa conſtantes, cui infarcta continentur ſemina purpuraſcentia. Prouenit copioſe in ſummo Broccenbergi iugo & ſaxorum aridorum fiſſuris. Saxones, qui montem illum accolunt, vocant hoſce fructus Apenbeer / hoc eſt, Simiarum baccas. Vnde, ſi quis neq; ericæ neque Vacciniorum ſpeciem ſtirpem iſtam eſſe voluerit, is nomine conficto πιθηκόκοκκον appellare poſſet. Inde autem ei hoc nomẽclaturæ inditum eſt, quod eſus ipſorum vberior capiti noxia inferat quædam ſymptomata, ad quæ deliræ ſubſequantur geſticulationes, ratione nonnihil interturbata, vt is qui ipſis vſus fuerit copioſius ſimiarum inſtar ſeſe habere geſtu riſibundo videatur. Hinc plantulam hanc deleteria facultate minime carere cõtendunt, & ab eius baccarum eſu omnino abſtinent, alijſq́; ipſorũ vſum ſancte interdicunt. Ac amicus quidam noſter Andreas Roſelerus

Pharmacopæus Halberſtadienſis, vir optimus ac rei herbariæ non triuialiter gnarus, hãc ſtirpem Chamætaxum vocare ſolet, tum ratione qualitatis iſtius malæ, tum foliorum oblongiuſculorum taxi, ſed breuiorũ. Aemilius eam olim, piæ memoriæ, cum necdum illo tempore à quoquã eſſet hæc ſtirps deſcripta, Corios ſpeciem faciebat, Corin Broccenbergenſem nominans. Reperiuntur & Vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam Gichtkraut vocitant, commendantque eam mulierculis vt præſentaneum præſidium contra iſtiuſmodi morbum.

Euonymus Theophraſti, ſiue Anonymus Cordi, Spilbaum / Hanhödlin / paſſim.

Elatine vulgaris herbariorum, quam & Dodonæus Tom. I depingit, paſſim in agris. Matthioli vero Elatinen, folio acuminato, an in Harcyniæ agris etiam reperiatur, nondum animaduerti, ſicuti nec alteram eius ſpeciem, alias in Marchiæ ac Saxoniæ agris ſæpiſſime mihi viſam; folio non vt hæc in baſi, quaſi in duas auriculas prominentes diducto, ac deinde in acutum mucronem finiente, ſed omnino rotundo vt numulariæ. (Hæc Trago, Fuchſio & Matthiolo Veronicæ fœminæ nomine deſcribitur.)

Epimedium Dodonæi. In Harcynia noſtra olim iuxta fluuiũ quendam, ſed neſcio vbi, reperi. Plantam ipſam habeo aridã in papyro agglutinatã, folijs quatuor, orbicularib. in ambitu modice dentatis, quorum quodlibet ſingulari innititur petiolo, tenui, palmari longitudine prædito: radice parua, tuberoſa, nigra, in tenuia, oblonga ac nigra adnata diuiſa.

F.

FILIPENDVLA, locis montanis, apricis ac pratenſibus, circa Gerenrodam, alijſq; locis.

Filix mas, paſſim. Hæc aliquot differẽtias exhibet, vt accuratius

loca opaca montium perreptantibus ſe illæ nō raro ſpectandas offerūt. Prima eſt illa communis omnibus herbarijs, folioſo pediculo, abſq; brachijs, ſed in multas pinnatas alas diuiſo, in ambitu nihil prorſus dentatas. Secunda tantummodo tenerior ac mollior, pinnis in ambitu frequenter dentatis, viridior & elegantior, non ita frequens. Tertia, quam filicem ſpinoſam ſeu aculeatam cognomino, pinnulis breuioribus, nigrioribus, nō dentatis, totis integris, ſed in ſpinulam acutam breuemq; omnibus deſinentib. Copioſa ac frequēs eſt circa Stolbergam ac Ilfeldam, montib. quibuſdā opacis.

Filix fœmina. Profert pediculos in brachia diſcretos. Hāc duplicem obſeruaui. Prima eſt cōmunis, cuius foliorum pinnulæ filicis maris pinnulis ſunt latiores, coloris buxei & ſubſtātiæ fere conſimilis, læues, non dentatæ. Altera tenuifolia, ſimilis illi, quam Maſculam ſecundam feci, niſi quod pediculo conſtet molliore, diſtorto, multifariā brachiato, pinnulis tenerrimis, profunde dentatis, parte ſuperna nigricantibus, inferna vero, qua inhærent puluiſculi rubicundiores, vireſcentib. Hanc in opacis Harcyniæ montibus rariſſimam inueni, circa Ilfeldam & Stolbergam, cubitali longitudine. Minori vero ſtatura frequentius reperitur, ſicuti eam Cordus Pteridij ſui maſculi nomine deſcripſit.

Fagus.

Fraxinus: tam ſterilis, quā frugifera, paſſim. [Hæc linguam auis officinarum gignit, illa ſolos floſculorum racemos nigros, qui abſq; fructu, vt iuglandium Iuli, decidunt.]

Fraxinus fago ſimilis, Buchaſche.

Fraxinus dura ſeu λιθόςε©, (vt dixerit quiſpiam) Steinaſche.

Fumus terræ, locis cultis, vbi terra foſſione ſubacta eſt.

Fragaria maior. Fraga proferens rubicundiora ſeu ſanguinei coloris, gemeine Erdtbeer.

Fragaria minor, ſeu nigra. Folijs minoribus ac nigriorib. fructu

maiore, minus granoſo, dulciore, candido toto, quandoque vero parte altera, quæ inferior eſt, candidiore, ſuperiore autẽ & ſolis radijs expoſita, rubicundiore; dum decerpitur, ſtrepitum euidentem edente, vnde vocant **Knackelbeer/ Preßling/** Prouenit locis aſperioribus & apricis collibus.

G.

GERANIVM σκανδικόφυλλον, folijs ſcandicis, hiſpidis, parum diſſectis ita vt anemones folia quidẽ exprimant, ſed radix ei rotunda nõ eſt, verum oblongiuſcula, palmaris, teres, candida, ideoq; primum Dioſcoridis genus eſſe nequit. Locis aſperis prodit & circa pagos, villas, oppidula, vicos.

Geranium βατραχιοειδὲς Dodonæi, flore purpureo, magno. Reperi etiam in Harcynia flore candido. Nec eſt quod quis cauſam in ſoli vel ſolis rationem referat, cum ſub vno eodemq; ſole, loco aprico & ſolo etiam eodem hanc flore candido, & alteram flore cæruleo ſimul prognatam viderim.

Geranium ſecundum, pes columbinus, folijs maluæ, diſſectis. Duplex eſt: Maiori caules ſunt maiores & folia, quæ ſunt paulo molliora. Reperitur nonnunquam circa pagos, villas, & alia loca habitabilia, in fimetis plerunq;, alijſq; locis impuriorib. Minori omnia ſunt minora & folia aſperiora.

Geranium tertium ſeu Robertianum, paſſim in hortis & cæduis ſyluarum locis.

Geranium αἱματῶδες, **Blutwurtz/** locis apricis.

Geranium ſaxatile, ὑγροσκόπελον. In ſaxis humidiorib. reperitur, potiſſimũ circa arcem Honſteinam, & in monte Ilfeldæ vicino, quem **Hartzberg** vocant, & in mõtibus vltra Gerenrodã, qua fluuius ex anguſtis faucib. per ſaxorum crepidines decurrit, ac Suderodam pagum verſus prolabitur. Folijs ſimilib. Geranio ſecũdo, ſed læuiorib. rubentibuſq; cõſtat, elegãtioribus & ſub-

& ſubnixis palmaribus petiolis rubentibus, floſculis purpureis, paruis, radicula fibroſa, parua. [Semen fert luteum Chamælinæ admodum ſimile, guſtu tamen inſipido ab illo diſcrepans.]

Graminum paſſim varia reperiuntur genera, eaq; rurſus in varias ſpecies diuiſa. Recenſebo tamen hic breuiter quædam euidentiora quæ aliquo modo ſub deſcriptiones certas cadere poſſunt. De bromo, quæ & ipſa graminei eſt generis, ſupra dictum eſt: de phœnice vero, quæ ipſa quoq; iſtius generis eſt, ſuo loco mentio fiet.

Auenæ ſterilis, quæ itidē ad genus graminoſum pertinet, etiam ſupra mentionem fecimus. Ea vero prima ſpecies Graminum Loliaceorum eſt apud Tragum, qui tamen cum hac auena Phœnicem Dioſcoridis cōfundit, & prima Graminum icone non auenam ſterilem depingit, ſed Phœnicis illam ſpeciem, quæ in ſummo culmo plurium ſpicarum (lolij veri ſpicis ſimilimarum, ijs tamen minorum) faſciculum aliquot ſingularibus pediculis latius diſperſum & explicatum continet, cuius infra etiam fiet mentio. Cum autem Dodonæus Auenam ſylueſtrem veram Aegylopen ſeu Feſtucam eiuſq; ſpeciem primam faciat: non abſonum erit, & ſterilem hanc auenam iſti ſylueſtri ſimilimam, ſed minorem, alteram ſpeciē eiuſdem feſtucæ, minorem nempe, conſtituere: Sicuti noui doctiſſimos viros, qui hanc ſterilem auenam audacter pro feſtuca demonſtrent. Quare hac occaſione etiam hic ſubiungam Catalogum aliarum feſtucaceorum graminum generis ſpecierum, quas non raro in Harcynia, ſicut & alibi etiam, paſſim locis graminoſis obſeruaui.

Altera feſtucæ ſpecies Dodonæi in frumētaceorum hiſtoria, non ſolum inter ſata, ſed & ſecus vias ac in pratis non infrequenter reperitur. Eſtq; vt conijcio, ſecunda ſpecies graminis Loliacei apud Tragum. Potius enim huic feſtucæ, ſecundi

cundi generis Lolij apud Tragum descriptio competit, quã Lolio vero. Festucæ autem huic gramineæ (quam sic ad differentiã prioris, quæ frumentacea est, nomino) aliam speciem subiungam: *Festucam tertiam seu gramineam nemoralem*, quia pratis nemorum præcipue sit familiaris. Ea vel *maior* est vel *minor*. Maior in Harcynia nostra locis graminosioribus sæpe obuiam est, culmo hordei procero, bicubitali quandoque geniculato, foliis item hordeaceis donatos, in cacumine in dodrantalem, tenuem teretem & frequenter geniculatum coliculum desinens, in quo continuata serie, longa ac densissima iuba eleganter in viridi argenteo splendore refulgens continetur ex innumeris capillaceis breuibusque pediculis connexa, quibus appenduntur plurimi vtriculi, paleacei, exigui valde, auenaceis similes ac quasi volantis auiculæ effigiem, dum expanduntur, exprimentes. Hæc species in montibus reperitur graminosis. Huius vero minor species consimili constat iuba, sed in multo minori ac tenuiori: hæcque non tantum nemoribus assueuit, sed alijs etiam locis & pratis felicioribus. Præceptor meus, præclaræ memoriæ, cuius iam sæpius memini, Laurentius Hiel, hanc sterilem etiam auenam faciebat. Reperitur adhæc in Harcynia nostra huius generis species media, radicibus geniculatis, minoribus, densa capillaceorum cirrorum congerie præcinctis, folijs pluribus, angustis, palmo longioribus, parum pilosis, culmis cubitalibus & longioribus, interdum bicubitalibus, crassioribus, minoribus vero iam memoratæ speciei, paulo tamen tenuioribus quam festucæ nemoralis maioris, prope radicem bina ternaue genicula habentibus, reliqua autem serie (qua vsque in summum fastigium prorsus destituitur geniculis) iubatam spicam continentibus, oblongam sed primæ speciei tenuiorem, rariorem, vtriculis tamen eiusdem paulo maioribus constantem, nec ita splendentem, vt in illa. Spica

vbi defloruerit, frumenti alicuius genus imitatur, vtpote Secalen, vel aliud simile. Frequens est in mõtibus aridioribus passim, ac secus vias. Videtur vero hoc genus vitium esse secalis. Ac, sicuti sæpissime in Secale nostra accidit, vt aristæ quædam, postquam flores deciderunt, ac semina iam augmenta suscipere incipiunt, vitium aliquod in granis cõtrahant: forte maior succi copia, quã ad grani iustũ alimentum opus est, attrahitur, vt ita necesse sit, corticem adhuc tenerum rumpi, & ita internam substantiam in maiorem molem augeri, ac à feruore solis & ambiente in circumferentia sua affici. Tunc enim videmus quædam semina longius ex suis vtriculis seu glumis protendi, ac in mediocrem etiam crassitiem excrescere, nigrumq; colorem foris contrahere, intus candida farina densioris materiæ constantia. In Thuringia vulgo vocatur vitij hoc genus mater Secalis, Rockenmuter. [Vtuntur etiã eo ad sistendũ sanguinem.] Eodem inquã modo vitij id, anno LXXV. in hac festuca Secalina obseruaui. Reperi enim in montibus quibusdã Stolbergæ huius plures spicas, non vnũ eiusmodi vitiosum granum oblongum, nigrum, continentes, sed plura, eaq; maxima ex parte in corniculi modũ recurua. Verum tempore florescentiæ ipsius anno illo copiosæ erant pluuiæ & postea succedebat calor solis feruidior. Porro si quis singula velit ad amussim examinare, facilime differentia maioris & minoris esset reperiri, solummodo discrimine in spica vel longiore vel breuiori constituto.

Deinde alia *Festucaginis* species obseruari in montibus graminosis datur, quã quartã constituemus *Festucam nemoralem latifoliam* appellantes. Constat ex calamis cubitalibus, vt plurimum, sæpe bicubitalibus, hordeaceis, sed tenerioribus, geniculatis & omnino similibus calamis festucæ nemoralis maioris. Folia ei inter omnes species sunt latiora, secundum lon-

longitudinem interstriata & molli lanugine obuestita, cuius ratione attactui molliciem eiusmodi offerunt, qualis in Althææ folijs tangentium digitis obijcitur. Iubam in oblonga profert spica, non ita elegantem, vt iam cōmemoratorū Festucaceorum, coloris antequam flores exerat subrubentis, deinde ex flauo pallidioris, vtriculos etiam breuioribus pediculis appensos habentem, quantitate ea, qua medij generis iam indicati esse diximus. Semina continet paruula, oblonga, splendentia, & quasi milij cuiusdam seminum rudimentum exprimentia.

Aliam in nostris syluis Harcynicis non semel reperi, quam pro Festuca quinta habeo, ita vt dicatur Festuca tenuifolia. Omnia enim præter iubā cæteris tenuiora habet. Radice cōstat plurimis exiguis ac tenuibus cirris prædita, ex qua straminei, tenues, teretesq; ac flauentes, geniculati & cubitales calami prodeūt, folijs strictioribus donati. Iubam etiam hæc profert rariorem, in tenuissimis capillaceis & multo longioribus pediculis vtriculos exerentem quantitate vtriculorum festucæ gramineæ nemoralis mediæ, coloris fului, ac argenteo nitore micantem.

Subnectam Sextam, passim in agris Harcynicis prouenientem, folijs breuioribus, cauliculis tenuibus, striatis, in cuius summo racematim dependent palmi longitudine in tenuissimis & vix visu perceptibilibus pediculis, parui quidam membranacei & paleacei vtriculi, quorum exteriores membranulæ rubent, quibus dehiscentibus candidulus flos emicat.

Et hactenus de Festucis, nunc de aliis graminum generibus.

Gramen commune, quod hoc nomine apud Tragum depingitur.

Gramen apud Dodonæum To. II. pag. 370. depictum.

Gramen caule geniculato, cubitali, proceriorIq;, folio bipedali ferè,

ferè, vnciali latitudine, viridi, ſcapo ſpicato, dodrantali, ſæpe & ſeſquidodrantali, ſubinde longo ordine ſpica oblongiore, tenui, alia aliam ſubſequente.

Gramen vulgo notum, radice craſſa, geniculata, fibrata, culmis cubitalibus, quandoq; maioribus, teretibus, quorũ maior pars folijs, qua illa ex nodis erumpunt, veluti in oblonga vagina obſepitur, parte illa obſepiente folij acutum angulum aſperumq́; ad vtrumq; latus veluti pinnulas ꝓminulas deorſum conſtituente. Spicam profert denſam ex breuiorib. vtriculis denſe confarctis conſtantem, ita tamen vt anteriori ſummi coliculi parte ſpica conſtituatur, poſteriore interim eius parte (quæ eſt veluti dorſum) nuda apparente. Obſeruaui & hãc ſpeciem in ſemine admittere tale, quale dixi contingere in Feſtuca graminea media, ſed id non in recurui corniculi, vt ibi, figuram inflecti vidi.

Gramen λευκάνθεμον Dodonæi, tertium ſcilicet Graminis genus apud Luſitanum. Euphragia alba Tragi.

Gramen floridum Matthioli. Duplex hoc eſt. Maius iam dicti autores omnes depingunt. Minus tenuiores coliculos profert, folia ſtrictiora & floſculos breuiores: hoc locis humentibus prouenit & in foſſis ſtagnantibus. [Inuenitur etiam alibi graminoſis locis, foliaq́; non ita dura habet, vt Maius & in frutetis naſci gaudens, primo etiam exortu pene nullum in acumen, vel admodum obtuſum vergẽtia, priuſquam floſculos producat, qui ſtellulam quandam eleganter repræſentant, & inprimis pulcelli atque aſpectu grati ſunt ob ſtaminula rubra è medio ipſorum exeuntia.]

Gramen τυφοειδὲς, Rectũ erigit culmum, in ſummo longa denſaq́; ſpica conſtantem, quæ aliquo modo Typhæ aquaticæ ἀνθήλης imaginem repræſentat. Duplicis eſt generis, aſperũ & molle: vtrunq; rurſus in ſpecies ſubdiuiditur, maiorẽ & minorem. Aſperum maius folia profert vt pleraq; communiora grami-

num genera: calamum rectum, teretem, geniculatum, in cacumine rectam teretemq; ostētans spicam, attactu asperam, palmari sæpe longitudine, quandoq; etiam maiori, circumcirca frequentibus, continuis, exiguis ac paleaceis vtriculis, qui spinulis paruis horrent, ac intus exiguum, subrotundum semen concludunt, dense ac quasi squammatim coagmentatam. Minus culmos profert tenuiores, oblōgos geniculatos, priori similes, angustioribus folijs & breuiorib. præcinctos, ac spicam in summo breuissimam, tenuem, asperam, ac exiguis spinulis horridam continentes. In altero genere, quod molle est, species maior iam dictæ speciei similis, sed spica breuiore donata cernitur, crassiore tamen aliquantulū, molliore item, ex vtriculis oblongioribus & mollioribus compacta, non ita spinosa, sed spinularum loco oblongiusculas quasdam ac tenues aristulas ex ipsis eminentes copiose exhibente. Huius generis minus breuiori ac tenuiori spica, sicut & reliquis partibus esse conspicitur. Cæterum hæc genera vbiuis passim in pratis frequentia sunt.

Graminis primi Dioscoridis species maior, vulgo in agris.

Graminis primi Dioscoridis species minima, se nunquam attollens, sed geniculatis ramulis iuxta Dioscoridem serpens, ac ex internodijs suis, & ex ipso etiā cacumine creberrime nouas radiculas iuxta Plinium spargens, ac ex ijs nouarū plantularum exortus exhibens. Hæc passim in Harcynia, & etiā Stolbergæ in pratis vliginosiorib. ex musco terrestri, qui cādidus vtplurimum est, nonnunquam ēt rubeus, non infrequēter prodit, radicib. tenuiorib. cirrosis, coliculos emittens recuruos, humi prostratos, tenues valde, teretes, geniculis frequentib. interceptos, ad quæ primum folia prodeunt palmaris longitudinis, stricta, deinde ēt inter hæc folia & ipsorū geniculos singulos denso prorumpit plurimorum, paruorū, oblongiusculorum ac strictissimorum foliorum cespes, ad quorum inferius

rius tubor, quo ex geniculis ꝓrumpunt ipſa, noui cirrhi emergunt, qui denuo in muſco compræhendentes, nouarũ plantularum origines exiſtunt.

Gramen aculeatum Plinij primum, ſeu Gramen Mannæ Matthioli, ſed rarius.

Graminis Loliacei tertium genus apud Tragũ, quod Hordei ipſe viciũ eſſe aſſerit, cui & omnino ſimile eſt, paſſim, locis aſperis. Eſtq; duplex: Maius bicubitali culmo in montib. ſæpe exurgit, ac longiore ſpica præditum eſt: Minus, culmo & ſpica breuioribus, in collibus aridioribus alijſq; aſperis locis ac ſecus vias pronaſcitur.

Graminis Loliacei quartũ genus apud eundẽ, ꝙ *Brizæ monococco* ſimile ipſe facit, in Harcynia me vidiſſe non memini.

Graminis Loliacei quintum genus Tragi, Bromus herba eſt, de qua ſupra.

Graminis Loliacei apud Tragum octauum genus, quod proculdubio eſt Gramen arundinaceum, conſimili coma qualem arundo cõtinet. Huius alia ſpecies eſt, quam mediam in hoc genere facio, caulibus ſeſquidodrantalibus ferè, geniculatis, foliis cõmuniorum graminum generum ijſdem, oblõgis videlicet. Spicam, vt prior ſpecies, paniculatam, non vnicam in ſummo culmo profert, ſed ex ſingulis, quibus conſtat, geniculis ſingulas, palmares ferme, molles ſpadiceas. Naſcitur ſolo pinguiori ac plerunque humidiore. Inuenitur & tertia ſpecies, minor, breuioribus ac tenerioribus coliculis, foliis breuiorib. ac ſtrictioribus, ſpicis itẽ paniculatis, quæ & ipſæ ſpadiceæ ſunt, breuioribus ac tenuioribus: Cumque ſecunda ſpecies per totum caulem à radice vſque in cacumen ex geniculis emittat ſuas paniculas: hæc cauliculo conſtat inferioribus partibus enodi, in ſummitate tantum paucula genicula habente, ex quibus paniculæ binæ, tres, vel quatuor ad ſummum prodeunt. Naſcitur ijſdem, quibus prior, locis. In

hiſce autem duabus poſterioribus, paniculę poſtquam defloruerunt, decidunt, ac eas ſubſequuntur ſquamata capitula includentia ſemen nigrum, paruum, acuminato cuſpide præmunitum. Huic porro minori ſpeciei & alia cōſimilis reperitur radicibus paruis, nigris, fibratis, folijs circa radicem paruis, palmaribus ferè, acutis ac recuruis: coliculis tenuib. enodibus, in quorum cacumine tres, nonnunquam plures ſpicæ, breues, ſpadiceæ ferè, in faſciculo quaſi ſimul compræhenſæ (ſicut in gramine Mannæ) conſtituuntur. Inuenitur locis aridioribus. Adhæc huius octaui generis alia perpuſilla graminis ſpecies reperitur, cuius tota plantula palmarem longitudinem non excedit, radicibus paruis, fibratis, nigricantibus, foliolis oblongiuſculis, ſtrictis, recuruis ac imbricatis: coliculo tenui, in ſua ſummitate breuem ſquamatamq; ſpicam continens. Hæc omnium minima huius generis naſcitur locis aridioribus & apricis.

Graminis arundinei alia ſpecies. Maximum ſcilicet graminis genus, ad tricubitalem & ſæpe maiorem altitudinem aſſurgēs: folijs lōgis, latis, aſperis, culmis digito minori paulo tenuioribus, inanibus, frequentibus & grandioribus geniculis obſeptis. Circa Ilfeldam prouenit, præcipue iuxta foſſas. Si coma ei arundinis eſſet (quam nondum vidi) albo flore, eſſet nonum Lolij, ſeu graminis Loliacei genus apud Tragum.

Graminis Loliacei apud Tragum decimum genus, **Flittern** vulgo, à propendulis & tremulis capitulis, quæ in ſummitate coliculi, quaſi racematim in ſingulis pediculis eleganter propendentia ac ſquamatim compacta habet, ſimilia fermè micantibus illis laminulis in frontalibus & vittis virginum ac mulierum dependentibus. Trago eſt Plinij ac Dioſcoridis Aegylops, apud Luſitanum vero pro primo graminis genere depingitur.

Graminis ſpecies parua, radicula breui, cirrhata: folijs paruis, anguſtis,

guſtis, piloſis: coliculis dodrantalibus, in quorum ſummo ſingularib. pediculis breues ſpicæ cōſtituuntur, ſpadicei coloris, ex quibus emicant floſculi tenues ex flauo pallentes, noſtri vocant Haſenbrot. Paſſim in pratis & ericetis.

Gramen ἐπιγονατόκαυλον. Herbula eſt graminoſa, denſo ſæpe ceſpite locis pratēſibus humectioribus naſcens. Radice parua, fibrata, ex qua frequentiſſimi ac admodum tenues exeruntur coliculi, palmares, frequentiſſimis geniculis cincti, ex quibus proſiliunt ſtricta folia, palmaria ferè: vnicuilibet præterea geniculo adnaſcitur intra folij alam paleaceus caliculus continens paruum mēbraneum, fuluumq; capitulum, in quo ſemina minutiſſima plurima occluduntur ſimilia ferè ſeminibus centaurij minoris. Adhæc etiam præter folium & caliculum, ex ſingulo caliculo ſubinde noui, eodem modo geniculati coliculi alij prodeunt. [Videtur ea plantula, quam Lobelius titulo Holoſtij Matthioli inſigniuit, paſſim apud nos locis muſcoſis ac putridis humentibusq; frequens.]

Sunt & alia plurima graminum genera, quæ in foſſis humidis, in aquis, alijsq; locis humidioribus naſcuntur, mixti ferè generis cum iunco & gramine, ad graminum tamen genera propter folia, pertinentia, quæ poterimus graminum iunceorum nomine appellare, quod enodes cauliculos iuncorum inſtar proferant. Huius generis erit prior illa ſpecies apud Tragum, ſub nomine klein Riedgraß depicta, quam Vergilij caricem acutam facit: foliis ſtrictis, acutis, oblongis: caule leui, in cuius ſummo longo ordine ei appenduntur oblongiuſcula quædam capitula ſurſum porrecta.

Gramen iunceum lanigerum, ſeu Iuncus laniger, aut Bombycinus quibusdam dictus, Wieſenflachs / paſſim in vliginoſioribus pratis & in ipſa etiam Broccenbergi vligine.

Gramen iunceum πολύκαρπον. Hoc cauliculos profert plurimos, teretes, iunceos, nonnihil tamen nodoſos, folijs gramineis, le-

uibus obueſtitos, in ſummo in plures dehiſcentes pediculos, continentes capitula feſtucacea, pauca, ex nigro ſplendentia, quibus nigra quædam ac oblongiuſcula compræhenduntur ſemina. Paſſim in vliginoſis locis. Hæc eſt ſpecies maior. Minor folijs palmaribus ferè, ſed ſtrictiſſimis, coliculis itidem tenuiſſimis ac capitulis valde exiguis. Habetur hoc genus à multis pro iunco, cuius tamen ego ipſum generibus aſcribere non audeo cum ſit foliatum, ac caules primæ ſpeciei frequentibus geniculis intercipiantur.

Gramen iunceum πολυςάχυον: Folia continet oblonga, anguſta acuminata: cauliculos teretes, ſeſquidodrātales, flaueſcentes, in ſummo paruis ſpicis per certa interualla ſe conſequentib. fæcundos.

Gramen iunceum triquetrum: Hoc folia profert arundinis, minora, minuſque lata, vtrinque acuta, & ſtringentium digitos lædentia. Caules profert triquetros, in quorum ſummo ſpica aculeata conſiſtit, ſemina continens nigra, plurima, oblonga, in aculeatum cuſpidem prominentia. Reperitur locis aquoſis.

Glycyrrhiza ſylueſtris. Hæc etiam alias extra Harcyniā ſyluis plurimis Saxoniæ ac Thuringiæ familiaris eſt, veris initio potiſſimum inter veprium ac dumorum implexas radices proſilienſi caulibus cubitalibus, fruticoſis, rectis, brachiatis: folijs arachi primi, ſed maioribus paulo ac nigricantibus: floribus puniceis, quos ſubſequuntur ſiliquæ ex ſpadiceo colore nigreſcentes, quadrātali longitudine, teretes, ſemina rotunda, piſo minora continentes. Radix ei eſt altè terram penetrans, craſſa, nodoſa, multifida, dulci ſapore. Tota autem facie glycyrrhizam æmulatur, paucis particulis exceptis.

Groſſularia ſeu vua criſpa, ad rudera Ebersburgi & iuxta Biſchofrodum, non procul ab Iluelda.

Gallion album & luteum, paſſim.

Geniſtella

Genistella seu genista spinosa, locis quibusdam montanis, apricis, graminosis atque in Ericetis.

Genistæ minoris species. Fruticulus est dodrantem altus interdum & procerior, ramosus, folijs plurimis, nigris, mollibus, hispidis, lenticulæ minoribus, floribus luteis. Nascitur in summo Broccenbergi iugo, itē circa Gerenrodā. Aliàs ericetis Marchiæ veteris communissima est, & montibus circa Quedlinburgum.

Genista humilis Dodonæi, Corneola Leoniceni. passim.

Gnaphalium vulgare maius, simplicibus procerioribusque caulibus, in oblongo corymbo flores proferens. Passim locis apricis, montanis & asperis.

Gnaphalion vulgare minus, Impia Plinij. Priori est breuius, breuioribus etiam folijs præditum, sed magis incanis: ex capitulis veluti orbicularibus, è quibus flores exerit, subinde nouos & breues coliculos proferens, ex quorum capitulis deinceps porro & alij consimiliter coliculi breiusculi enascuntur. Passim locis apricis, montanis, & asperis.

Galega sylueſtris Dodonæi, passim.

Galeopsis Matthioli seu Vrtica vulgaris mortua, flore verticillato, candido, passim. Hæc grandiore nonnunquam folio locis pinguioribus offertur. Et sæpe flore rubra inuenitur. Huic vero speciei folium paulo amplius est priori, præsertim quando locis hortensibus aut culturæ proximis gignitur. Reperitur Galeopseos & alia species, nihil ferme ab hisce differens, nisi quod folia obtineat minora aliquātulum, acutiora tamen. Est & quarta species, Galeopsis reptilis, quæ magis humi procumbens in superficie terræ direptat, quam in caulem se sustollit. Hæc syluis cæduis frequentissima est. [Vulgo hæc diciturMilzatella, celebris ad Lienis affectus, flore luteo, folio maculoso.]

H.

HYPERICON vbiuis. Eiuſdem ſpecies minor, breuioribus coliculis prædita, folijs minoribus, pluribusq;.

Hepatica aurea, Trinitatis herba, quibuſdam etiam Anthera, flore cæruleo, paſſim: Rubeo etiam, ſed infrequentius.

Hepatica paluſtris, ſeu Ranunculus πολυάνθεμος paluſtris Dodonæi: in piſcinis.

Hippuris maior, locis quibuſdam montanis humidis.

Hippuris minor ſeu equiſetum: locis pratenſibus quibuſdam humidis.

Hyoſcyamus vulgaris, circa loca habitabilia & culta. Duæ ſunt eius ſpecies, vna folio integro, non diſſecto: altera folio in ambitu in lacinias acutas diuiſo.

Herniaria, Herba Cancri, Millegrana, paſſim iuxta ſemitas, locis aridioribus ac ſalebroſis, collibus item macrioribus. Huius inuenitur ſpecies viticulos plurimos diſpergens, foliis longioribus, non ita confertim diſpoſitis. Reperi quoque tertiam, fruticoſam, viticulis lignoſis, denſiſſimis foliolis oblongiuſculis, breuibus tamen, ſtrictisq; eleganter in extremitatibus obueſtitam.

Helxine ſylueſtris ſeu fluuialis, aut riualis, ſatiuæ Helxines, nobis Parietariæ appellatæ folia obtinens, riuis & vliginibus gaudens, locis opaciorib. frequens circa Stolbergã ac Ilfeldam. Prouenit etiã ad putridos arborum truncos. Duplex vero eſt: Maior nempe & minor, ac vtraq; radicibus nititur geniculatis, villoſis, terram perreptantibus, & ex geniculis ſuis nouas frequenter plantulas protrudentibus: caulibus etiam vtraq; donatur geniculatis, leuibus, non ſemper rectis, ſed vt plurimum diſtortis. Maior caules exerit bipalmares, tenui pube obueſtitos. calami frumentacei craſſitie, virides, ex quorum ſingulis geniculis bina prodeunt folia, ſibi inuicem ad latera

pediculis

pediculis ferme palmarib. ad caulem teretibus, deinde verò imbricatis opposita, maiora, orbiculata aliquantum, sed deinde in acuminatum mucronem oblongius excrescētia, parte superiore viridia, inferiore plumbea, mollia. Flosculos in summitate cauliculorū exhibet in singularib. breuibusq; pediculis racematim dispositos, paruos, ex cādido leniter subrubētes, adsimiles cuiusdam Alsines minoris speciei flosculis. Ijs decidentibus, protuberat capitulum rotundum, hispidum, seminibus paruis, nigris, splendētibusq; turgidum, quæ prorsus Helxines satiuæ semina imitantur, ijsque paulo sunt minora. Minor species huic magnitudine cedit per omnia. Sapor vtriq; est subdulcis, multum humectans.

Herba Paris, Vua lupina, Solanum τετράφυλλον, passim locis opacis, folijs quatuor. Reperi tamen plantam hanc potissimum circa Stolbergam, folijs senis præditam, non semel.

Hedera terrestris herbarijs communiter appellata, passim multis in locis. Duplex autem est, maior cōmunis seplasiarijs, & minor priore elegātior, coliculis erectioribus, breuioribus tamen, folijs breuioribus, florib. magis cæruleis: Hæcq; iuxta arbores potissimum antiquas, cauas ac putridas, locis paulo humectioribus reperitur.

Hederæ species secunda, seu Nigra, siue Dionysia, aut Corymbifera.

Hederæ species tertia, Helix vocata, tam arbores conscendens, quam in antiquis muris ac saxis direptans. Vbiuis ferè.

Helianthemon Cordi, passim.

Hippolapathum syluestre, Hydrolapathum, maximum rumicis genus, folio grandi, sesquidodrantalis ferme longitudinis. In fossis humidiorib.

Hieracium maius siue Sonchites.

Hieracij minoris species, Broccenbergo peculiaris (nisi Cichorijs eam aliquis malit annumerare) quæ dodrātalis vt plurimum plantula est, radice nigra, fibrosa: folia dispergens circa radi-

cem plura, oblonga, acuminata, palmari longitudine, ſeſcuntiali ferè latitudine, ſubflaueſcentia, hiſpida: quorum maiora in exiguas lacinias dirimuntur, nō tamen in ipſum folij medium vſq; diſſecantur, reliqua prorſus parte integra, & exiguas interdum ſpinularum in modum in extremitatib. ſuis appendiculas oſtendentia. Cauliculos ex vna radice depromit plures, dodrantales maxima ex parte, raro altiores, teretes, hiſpidos, ſimplices, quandoq; etiam brachiatos, in quorum ſummo flos luteus cōſtituitur eiuſmodi, qualis eſſe ſolet plātæ Dentis Leonis nomine vocatæ, qui deinde in pappum reſoluitur. Succo lacteo tota plantula oppleta eſt.

Horminum ſylueſtre maius, Sclarea ſylueſtris, flore cæruleo, circa loca habitata & agros. Flore etiam nonnunquam candido, ſed rarius, ſicuti & rubicundo.

Horminum tenuifolium, florum ſpica Hormino conſimile. Hactenus integrā videre non licuit. Afferebatur verò ante biennium ex prato quodam non procul à Styga præfectura Comitum Reinſteinenſium. Eius caules ſeſquidodrātales, quadrati, recti, nonnihil rubentes, & geniculis per longiora interualla interſtincti: ex quibus ipſis appendebantur foliola oblonga, acuminata, anguſta, erythrodani ſylueſtris longiora: ex quorum alis brachiola parua, quadrata & ipſa, geniculata proſiliebant, folijs minoribus ac ſtrictioribus: in ſummo conſiſtebat ſpica trientalis, geniculata, ex oblongis caliculis Hormini ſimilibus flores exerens cæruleos, ſimiles floribus vrticæ fœtidæ, odore aliquo Hormini: ſemina eius quatuor ſimul cohærebant vno conceptaculo compræhenſa, Hormini ſeminibus (quantum ex rudimento ipſorum conijciebam) non abſimilia.

I.

Ιξόκαυλον, Hesperis quorundam. Vbiuis in Harcynia frequens, locis aridis. Huius tres sunt species. Prior, quam ἰξόκαυλον rubrum appello, propter florũ colorem, radicem offert multifidam, lignosam, fibrosam & agminatim sæpe sibi cohæren tem, in cuius summo supra terram dispergit folia oblonga, palmaria ferè, strictiora tamen aliquantulum, acuminata, inter scabrum & læue medio modo se habentia, ex viridi nigricantia: caules protendit plures, quandoque singulares, teretes, striatos, cauos, geniculis, post longiora tamen interualla interuentos (ex quibus semper bina prodeunt folia) cubitales, proceriores q́; ac subrubentes, præsertim superiore parte, qua ẽt cœlo præcipue sudo, ac sole calente, viscosum adeoq; lentum succum sibi adhærentem habent. (Inde nescio qui Viscaginis nomen huic confinxerunt; sicuti Harcynici propterea Bechblumen hanc stirpem dicunt) vt sæpissime muscæ paruæ, culices ac formicæ ei non aliter atq; aues visco implicentur. Circa caulium summitatem, sicut & in summo fastigio eorum, flores prosiliunt fasciculatim sibi cohærentes, rubri, ex singulis pediculis singuli, similes illius satiuæ Lychnidis speciei, quam Oculum Christi nuncupant, sed minores.

Altera huic consimilis frequentissima est passim in pratis, caulibus sesquicubitalibus, striatis, leuioribus, viscoso succo prorsus destitutis, geniculatis: folijs binis ex singulis geniculis prodeuntibus, oblongioribus, candidioribus: floribus ex vtriculis breuib. exertis, rubicundis, laciniatis. Sunt qui Odontin Plinij hanc esse velint, sed non omnes notæ respondent.

Tertia, quam ἰξόκαυλον album voco, coliculos profert paulo minores, maiori sæpe, quã prima, visciditate oblitos: folia itẽ

minora, ſed aſperiora: florem candidum, laciniatum. Semina, vt & prior, in vaſculis veſicarum inſtar continet oblongis, flauentibus, rotundis in medio ambitu, ſed in acuminatum mucronem in ſummo deuergentibus, quæ ſeminibus maturis dehiſcunt. Sunt qui hanc ſpeciē Ocymoides album faciunt. Harcynici vocant weiſſe Bechblumen. Angli procul dubio hanc, vel nō multum abſimilem plantulam Muſcipulæ ſeu Viſcariæ prioris nomine deſcribunt. Non autē hic delineo illam conſimilem, cuius infra ſub nomine Polemonij mentionem faciam.

Iberis, ſeu Cardamantice Naſturtij folio duplex: altera folijs candidulis aut ſubrubentibus, vulgo flos Cuculi, in vliginoſis pratis: altera folijs oblongioribus, floribus luteis, locis prouenìens humectis ac ſquallentioribus circa vrbes, pagos ac villas.

Iuncus leuis aquaticus maximus, prima ſpecies apud Dodonæum: ὁλόσχοινος.

Iuncus leuis vulgaris, ſecunda ſpecies apud Dodonæum: σχοῖνος.

Iuncus λυχνάνθεμος, Stylos continet erectos, in ſummo apice ſpicatum florem proferentes, cuius ratione quaſi Candelæ ardentis figuram exprimit. Species huius potiſſimum tres obſeruaui. Maior thyrſulos ſeu ſtylos profert maiores, craſſioreſq́;, calami triticei ferè figura, leues, ſpicato apice, ſuffuluo, (qui florum vicem explet) duarum vnciarum, quiq́; ex paleaceis feſtucis ſquammatim compactus apparet. Media ſpecies ſtylos continet multo tenuiores, tereteſq́;, ſed non ita perpendiculari rectitudine ſe ſuſtollentes, palmo lōgiores, breuem & vix vncialem ſpadicei ferme coloris ſpicam exhibentes. Hæc poterit dici Iuncus λυχνάνθεμος tenuis maior. Eſtque Broccenbergo familiaris. Tertia, quam Lychnanthemum tenuē nomino, plures ex radice fibroſa emittit iunceos ſtylos, breues, digitales, ſpica perpuſilla, ſpadiceſcenteque in

apice

apiceex ornatos. Et hæc nuſquam mihi quam in Broccenbergo eſt viſa.

Iris tenuifolia, locis montanis & humectioribus, vff der Langen.

Intybaceorum ſeu Cichoreacorum genera plura diuerſiſſimaq; offeruntur, quorum quædam Harcyniæ fortaſſis peculiaria erunt, quædam paſſim & alijs hinc inde per Germaniam noſtram ſatis vulgaria: vt mirer inter tot præclaros, & de Stirpiũ hiſtoria optimè meritos viros neminem hactenus extitiſſe, qui eorum ſaltem aliquot præcipuas differentias, luculentioribus deſcriptionibus donatas, rei herbariæ ſtudioſis, piæquæ poſteritati notas feciſſet. Quãuis autem difficile admodum & laborioſum ſit, tam diuerſas vnius generis, eidemq; aliquibus notis conſimilium aliorum generum ſtirpes, quarum pleræque à nemine hactenus pertractatæ fuerunt, quibusque nulla certa nomina in hoc vſq; tempus extiterunt, dextre deſcribere, ac recenſere: tamen, cum, doctiſſime Camerari, tuæ expectationi libentiſſime aliquo modo ſatisfacere velim, annitar quantum potero, ne aliquam harum ſtirpium ſpeciem, quam in Harcynia iſtiusmodi generis eſſe cognoui, prætercam. Quod ſi interim nomina quædam antea inaudita fingenda mihi fuerint, quo ſingulorum ſufficientem mentionem faciam, dabis mihi pro candore tuo ſuper iſto τῷ τολμήματι dignam veniam. Omnia autem illa iudicio tuo, tanquam viro induſtrio, & in re herbaria verſatiſſimo, ſubijcio. Verum iam tandem ad herbarum intybacearum variam & laborioſam enumerationem deſcendo, cui aliquas forte ſpecies non fruſtra Chondrillacearum plantarum, quarum ſupra memini, annumerari poſſe, minime ambigo.

Intybus ſylueſtris, ſeu Cichorium ſylueſtre. Reperitur hoc flore vel cæruleo vel luteo. Illud paſſim ſecus vias circa loca culta familiare eſt, & duplicis differentiæ: Altera conſtat folio prorſus integro, vnciarum duarum quandoq; latitudine: altera in

lacinias difrupto. Iftius generis fpecies, rarius tamē, aliquādo flore cādido fefe offert, vt ad Harcyniā circa Vuernigerodā. Species vero, cui flores funt lutei, paffim in tota fermè Harcynia vulgaris eft, potiffimū locis pratenfib. radicib. cōftans fibrofis, minorib. lignofiorib. & inutilioribus: caulib. brachiatis, bicubitalib. & quandoq; ꝓceriorib. ftriatis, afperis: folijs paulo afperiorib. & longiorib. quā cui flos eft cæruleus. Licet & in hoc genere duplicē differentiā animaduertere; alia folijs conftat integris, alia diuifis. Illa cui integra funt folia, rurfus foliorū ratione fubdiuiditur. Primā conftat caulib. teretibus, ftriatis, fpinofis, afperifq́; frequentib. alis interceptis, candida medulla intus infarctis, folijs oblōgis palmarib. triū ferè vnciarum latitudine, admodum hirfutis & afperis adeo, vt non pilis, fed fpinulis frequentib. durioribufq; horreant, pungantq́;. Nafcitur potiffimum locis afperis & apricis fecus vias. Secūda folia obtinet palmaria ferè, afpera parte inferiori, glabra fuperiori, nifi quod ibi in ambitu exafperētur. Tertia minores cōtinet cauliculos, & folia minora, digitalē longitudinem non multum excedentia, afpera tamen. Occurrit & quarta, caulib. proceris, brachiatis, ftriatis, cauis, craffis, folijs palmaribus, duarum quandoq; vnciarum fermè latitudine, in ambitu profundiorib. circumrofionibus frequēter diuifa, ad fimilitudinē foliorū plantæ illius, quam Dentem leonis vocant. Porro flores hifce cichorij integrifolij fpeciebus funt, vt & plerifq; fubfequentib. lutei in fummis caulium & brachiorū cacuminib. conftituti, plures, quorum finguli fuffulciuntur fingularib. fuis pediculis, cōfimiles chondrillacea rum ftirpium floribus, & in pappos deniq; degenerantes.

Intybus πλατύφυλλος Harcynica. Quibufdā locis Harcyniæ reperitur & veluti eidem fyluæ tantūmodo peculiaris videtur. An alibi quoq; oriatur, nefcio. Procere admodum affurgit caule prope radicē multifidam & denfe fibratam, nigrioremq́; di-

gitali

gitali craſſitie, cauo, frequēter ſtriato, & per certa interualla cōtinuo ordine folia adnata habente, quæ oblōgo & carinato neruo alicuius pediculi inſtar ad latera veluti membranulas expanſas continet, quæ deinde poſt palmare ferè ſpacium ſemel ſolūmodo vtrinq; itidem ad latera in oblōgas lacinias dirimūtur, reliquo deinceps corpore exiſtente prorſus cōtinuo, ſeſcūtiali latitudine, explicato & demū in acutū mucronē ꝓtenſo, ac in ambitu veluti exiguorū aculeorū rudimētis decorato. Referuntq; folia hæc imaginem aliquā Sonchi læuis, & ſunt tota mollia, læuia, ſubnigricantia. Flores profert in ſummitate caulis in oblōgo ſcapo frequēti ordine ſe ſubſequentes, plurimos, ſingularib. pediculis nixos, cæruleos, qui mox in pappos poſtea reſoluūtur. Reperitur & hoc genus interdū flore prorſus cādido, ſed hoc infrequētius, eiuſq; folia in plures lacinias, quam prior, diſcinduntur. Copioſa eſt ad Broccenbergum, & in montibus vicinis, vt & in principatu Grubenhagico, montibus nimirum humidioribus.

Sequuntur nunc alia intybi lutei, Harcyniæ (ſicut & alijs pleriſq; ſyluis) familiaria genera ac differentiæ.

I. *Intybi quædam ſpecies*, in hoc genere maior, caule procero, bicubitali ferme, ſtriato, cauo, ſplendenteq;, quē mox atq; à radice proſilit, in cacumē vſq; per certa interualla cōſcendunt folia oblonga, frequentia, medio tenus duas quodammodo vncias lata, acuminata, leuia, ſplendentia, ac in ambitu adnatis quibuſdam veluti ſpinulis donata, carnoſa, nigricantiaq;: vbi vero in ſummo caulis in brachia dirimitur, in ſingulo pediculo ſinguli flores emicant lutei, Chondrillæ ſimiliores, quam Cichorio luteo ſylueſtri paulo ab hinc poſito. Gaudet locis apricis & cæduis.

II. Eiuſdē minor ſpecies, cauliculo rotūdo, tenuiori, folijs breuiorib. itidē nō diſſectis, vncias duas lōgis, vnā latis, in ambitu ēt adnatis tenuib. ſpinularum inſtar exornatis. In Ericetis hanc animaduertere licet.

III. Eiuſ-

III. Eiuſdem quaſi generis crebro alia ſe offert, cauliculis teretioribus, breuioribus, rectis vt plurimum, ſæpe etiã brachiatis: folijs minoribus, oblõgioribus, ſtrictioribus, nigricantioribus, carnoſis, læuibus, quæ frequentius caules amplexantur quam in prædictis duabus. Ericetis & hæc communis eſt.

IIII. Porro in aliam huic generi aliquo modo confinem incidere ſæpenumero contingit, quæ ſimpliciori cubitaliq; coliculo, tenui, tereti ſtriato, ſubaſperoq; proſilit, cui iuxta radicẽ tria quatuorue folia oblonga, nērij ferme figura, ſed breuiora appenduntur, quæ inferius ſunt aſperiora, ſuperius vero læuiora, pluribus exiguis in ambitu ſpinulis ijsq; euidenter pungentib. poſt quæ per reliquum caulis alia ſubſequũtur, hiſce minora, vnciamq; non admodum excedentia, ſed magis in acutum mucronem prominentia. Flores profert in ſummitate coliculi, vbi is in aliquot petiolos dirimitur, ſingulares, luteos, cichorij lutei paulo minores.

V. Intubi inſuper alia ſpecies maior creberrimè paſſim conſpicitur, & ipſa huic generi fortaſſe non temere annumeranda: quamuis aliquis Piloſellæ ſpeciem eam eſſe contendere poſſet, omnes plantas folijs piloſa lanugine præditas Piloſellarũ nomine recenſens. Radix huic eſt multifida, fibris candidis frequentibus plena, caulis rotundus, ſtriatus, piloſus. Veris initio prodiẽs folia in terræ ſuperficie exerit quatuor, quinq; vel ſex, mollia, orbiculata, vnius duarumue vnciarũ, piloſa, potiſſimum in ambitu & parte inferiore. Poſtea planta cauleſcente ſuperadduntur in oblongiorib. pediculis folia maiora multo, digitali longitudine, triumq; in medio latitudine, viridia, carnoſa, aſperiora prioribus, maxime in dorſo, minusq; paulo hiſpida, & quandoq; omni lanugine prorſus deſtituta, in ambitu angulos plures obtinentia, ad quorum extrema aculeorum paruorum in modum acuti apiculi deſtituuntur. Caulis vero per reliquam ſeriem folijs itidem iſtiuſmodi

modi ſed paucioribus exornatur: eſtq́ cubitalis proceriorq́, rectus, ſtriatus, hiſpidus, qui circa ſummum cacumen in aliquot brachiola diuiditur, quorum ſingulis ſinguli producũtur flores lutei, pappacei, Cichorio luteo minores.

VI. Cognata huic rurſus alia occurrit paſſim frequens, radice breui, fibroſa, caule cubitali ac proceriore, ſæpe bicubitali, recto, tereti, ſtriato, piloſo, aſpero, mediocriter craſſo, prope radicem rubente, cauo, ſingulari vtplurimum, quandoq; circa ſummum faſtigium in brachia digeſto: Folia caulem ambiunt frequentia, continuo ordine ſe inuicem ſubſequentia, carnoſa, vnciarum duarum latitudine, trium quatuórue longitudine (quo tamen radice propinquiora ſunt, eo hanc longitudinem magis excedunt) acuminata, nigricãtia, læuia, ſuperiore potiſſimum parte, inferiore cinerea parumq; piloſa, appendiculis quibuſdam oblongiuſculis, ſpinulas æmulantibus, in ambitu exornata. Flos eſt Cichorij ſylueſtris, luteus. Sapore donatur parum amaro, euidentius vero aſtringente. Gaudet Ericetis ac locis apricis.

VII. Iamdictæ media ſpecies non raro reperitur locis apricis, caule cubitali, nõ ita recto, ſed magis diſtorto, brachiato, folijs paucioribus, ſtrictioribus, longioribuſq́, vnciali latitudine, quatuor vero quinumue vnciarum longitudine, adnatos habentibus in ambitu, veluti exiguos aculeos, paucoſq́, flore Cichorij lutei ſylueſtris pappoſo.

VIII. Minor dupliciter differt. Prima caule aſſurgit ſeſquipedali, tenui, tereti, non ſemper recto, aſpero, hirſuto: folijs ab ima radice ad ſummum vſque cacumen circundato frequentibus, ſtrictiorib. adhuc quam iamdictæ, oleæ folia, niſi quod ijs multo ſint minora, imitantibus, trium prope radicem vnciarum longitudine, ſeſcuntiali latitudine, quæ quo magis in caulis verticem contendunt, eo breuiora redduntur, carnoſis, nigricantibus ac læuibus parte ſuperna, inferna piloſis &

candicantibus, in ambitu nihil neq; ſpinularũ neq; ſinuum continentib. Faſtigiũ caulis in aliquot brachiola diducitur, quib. flores lutei, Chondrillacei continentur. Sapor huic eſt aſtringens. Altera ſpecies paulo breuior, cauliculo exurgit lignoſiore, rubente, diſtorto, in brachia diſcreto, foliis prope radicem vnciali latitudine, trium vero longitudine, mucronatis, quæ poſtea per reliquum caulis alia frequentiora cõſequuntur ipſum denſa acie ambientia, ſemunciali vix latitudine, duarum autem longitudine, licet & hæc eò minora, ſubinde reddãtur, quo magis caulis faſtigio appropinquauerint. Hoc diſcriminis aũt folia hæc potiſſimum habent, q̃ nõ adeo exactã oleæ foliorũ figurã exhibeant, vt præcedentis plantæ, ſed quoſdam veluti ſinus incuruos in ambitu ſibi impreſſos habeant. Ericetis potiſſimum delectatur.

IX. *Intybus* ἀφυλλόκαυλ☉. Radice conſtat parua, nigra, quam circumambiunt radiculæ tenuiores, plures, oblõgiores, incuruæ ac luteæ. Folia circa radicẽ emergũt plura, nouẽ videlicet, decẽ aut duodecim, quicũciali ferme lõgitudine, ſeſcũtialiq; latitudine, viridia, aſpera, explicata, obtuſius acuminata, ex quorũ medio caulis progreditur cubitalis, ſingularis, calami frumentacei craſſitudine, rectus, ſtriatus, intrinſecus cauus, foris aſper folijs prorſus deſtitutus, in cuius cacumine veluti in denſiori ſpica agminatim plurimi parui flores lutei ſuſtolluntur, ſinguli pediculis breuibus ſingularibus innitentes, Chondrillarum ſpecie, qui poſtea in pappos dehiſcunt. Loca expetit aprica ac cædua circa Gerenrodam maxime.

X. *Intybus* ἀφυλλόκαυλ☉ minor. Radix eſt illi oblõgiuſcula, mediocris, folia in ſupficie terræ octona, nouena, denaue, ſeſcũcialia lõgitudine, latitudine vncialia, orbiculata ferè, aſpera, ex quorũ medio exurgit caulis rectus, ſtriatus, teres, in ſummo ſingularib. pediculis paucos cõtinens orbiculatos flores luteos, papposos. Locis apricis & cæduis potiſſimũ reperitur, maxime circa Gerenrodam.

XI. *Inty-*

XI. *Intybus nigrifolius, lanuginosus*. Hanc stirpem libenter cum præcedenti ἀφυλλοκαύλῳ minore, verbasci generib. ascriberem, nominaremq́; Verbascũ παμπάνθεμον, nisi succus lacteus, quo vtraq; cõtra Verbascorum naturã turget, suaderet, vt potius intybaceorum generib. adiungerem. Radix ei est nigra, multifida: nõ profunda: folia in eius superficie emittuntur in oblongioribus & canaliculatis pediculis sescuntiali longitudine, vnciali latitudine, paralyseos foliis similia, sed minora, nigra superius, inferius cana lanugine obducta, quali tergũ foliorum populi albæ. Folia autem caulis, quamuis numerosa non sint, longiora sunt, trium vnciarũ & quandoq; amplius, strictiora vero, semũcialis latitudinis, quorum ambitus versus dorsum retorquetur. Caulis ei est cubitalis, mediocriter crassus, striatus, niger incana lanugine obuestitus, in cuius summo peculiarib. pediculis parui orbiculati flores, papposiq́; continentur, quorum interius capitulum oblõgiora foliola instar chrysanthemi florum ambiunt. Locis apricis inuenitur, cæduis, ac collibus soli meridiano expositis.

XII. *Intybi species alia*, foliis circa radicem nigram & distortam sparsis quinque sex vel septem magnis, in oblongioribus pediculis, quincunciali longitudine, latitudine vero vnciarum duarum, & quandoq; trium, amplioréue, pilosis, aculeos pauculos in ambitu habentibus: caule tereti, striato, sesquipedali, vix vno atque altero paruo folio prædito, qui tandẽ in paruos petiolos in summitate diuisus flores producit tres, quatuor vel quinque, aut quandoque plures, luteos, pappaceos, cichorij syluestris communioris floribus similes.

XIII. *Intybus vliginibus familiaris*. Radice nititur parua, candidis fibris circundata, plurimis. Caule assurgit satis crasso, cauo, anguloso, bicubitali sæpe, brachiato, florib. luteis pappaceis, plurimis, qui peculiarib. singuli pediculis insident. Folia à radice prodeunt magna, dodrantalia; triũ vnciarum latitu-

dine, læuia, flauentia, mollia, in ambitu leniter excisa, ac aculeis veluti quibusdam paruulis armata. Caulis consimilibus præcingitur foliis, sed paucioribus. In vliginosis Broccenbergi frequens est, & opacis: reperitur & in consimilibus locis circa Stolbergam.

K.

KΡαυρόφιλον. In aridioribus colliculis & marginibus æstate frequens: radicula furcata, breui, candida, ex qua vt plurimum exurgit cauliculus pedalis aut sesquipedalis interdum, singularis, quandoque etiam alios à latere sibi adiunctos habens, tenuis, teres, scaber, rectus, geniculis quibusdam per interualla multum inter se dissidentibus interceptus. Folia circa radicem numerosa erumpunt & aspera, nigraque, humi procumbentia, quæ ex oblongis pediculis incipientia in orbicularem rotunditatem desinunt, vnciali longitudine & latitudine: ex geniculis cauliculorum strictiora educuntur & oblonga, plura simul iuncta, ex quorum alis subinde prosiliunt noua brachiola, in quorum apicibus exeruntur itidem ex tenuibus geniculis florū corymbi elegantes, qui flosculos paruos, muscosos, virescentes plurimos edūt, singulis suis propriis incumbentes, ijsque admodum exiguis petiolis, quibus tandem emarcescentibus ex caliculo ipsorum prosiliunt rotundiuscula capitula, seminib. nigris exiguis turgentia. Hæc dum scribo, opportune mihi incidit, Anglos hanc plantam aut prorsus congenerem describere, licet imperfectius, nomine Muscipulæ seu Viscariæ alterius. [Sesamoidi maiori Salmantico Clusij sola magnitudine cedit, non tamen est minus eiusdem Sesamoides.]

L.

LEVCOI lutei ſylueſtris ſpecies, folijs circa radicem candidam & lignoſam multis longis, dodrantalib. tenuioribus hortenſi, aſperis, nigris: cauliculis quandoque ſimplicibus, quandoque pluribus, tenuibus, ſtriatis, bicubitalibus ſæpe, aliquantulum incuruis, qui quandoque folioſi prorſus reperiuntur, quandoque paucis, exiguis & ſtrictis foliolis præditi: floſculis Leucoij lutei hortenſis, paulo tamen minorib. & pallidioribus, ſiliquis longis, tenuibus. Naſcitur collibus apricis, ſaxoſis, aridis ac aſperis, plurimum in montibus Gerẽrodæ vicinis, alijsque meridiei expoſitis.

Leucoium bulboſum Theophraſti ſeu Narciſſus albus. Weißhornungs Blumen, ſeu Schlangen Blumen / paſſim.

Leucoium montanum: In Conſteino monte ad Saxuuerſam pagũ ſupra Northuſam verſus Ilfeldam. Eſt vero hoc Thlaſpi paruum Hieracyfolium ſeu Lunaria lutea Monſpelienſium apud Petrum de Pena & Matthiam Lobel.

Liliago Cordi, aliquib. pro Phalangio habita, cum potius quantũ ad extremam faciem, aliquam ſylueſtris Aſphodeli ſpeciem referat, licet radice bulboſa non conſtet. Eius radices hodie plurimis locis copioſe eruuntur, ac hinc inde pro veri Ruſci radicibus ὑπὸ τῶν ῥιζοτόμων diuenduntur: vnde multa pharmacopolia non ſine inſigni errore eaſdem pro Ruſco itidem reuendunt, cum tamen vtriuſque radicum ſapor vniuſmodi non ſit. Hoc medicos quoſdam animaduertere oportebat, nec adeo temere imperitis herbarijs ac pharmacopæis pleriſque fidere, & ignotas res cum euidenti damno pro rebus notis & exploratis miſeris ægris propinare: modo plures eſſent, quos rei herbariæ (in qua certe multum, quo ad delectum ſimplicium præſertim rerũ, poſitum eſſe ego prorſus ἀναμφισβητῶς ἔχω) ſtudio maiorẽ operam diligentioremque ponere,

quam, contra medici dignitatem, poculis cum alijs Epicuri porcis decertare, & ſcurrarum quandoque in aulis ac apud nobiles ſeſe inſtar habere minime puderet, pigeretque.

Naſcitur vero planta hæc copioſe circa Gerenrodã, item inter Vuernigerodam & Elbıngerodã. Eius duæ ſpecies ſunt: altera maior, folio longiore, pauloque latiore, capitulo magis triquetro, in quo ſemina continentur etiam paulo maiora: altera minor, cui omnes partes ſunt minores, ſtrictioraq; folia.

Lyſimachium purpureum primum Dodonæi, ſpecies videlicet maior prima in hoc genere: alijs ἐπιλόβιον dicitur, ſeu Filius ante patrem: flore maiori violaceo purpureo: ad ripas et amnes

Lyſimachij maioris purpurei ſecunda ſpecies, caule bicubitali, folijs maioribus, quincunciali ferme longitudine, duarumque latitudine, in ambitu ſerratis: floſculo paruo, pallidius rubente.

Lyſimachij huius medium genus: omnia continet minora, quod & ipſum in aliquot ſpecies diſcernitur: alteri folia ſunt vncias duas longa, vnam lata: alteri folia ſtrictiora, vnciarum vero trium longitudine: rurſus alij floſculi ſunt rubicundiores in hiſce ſpeciebus, alij ex rubicundo pallidiores, alij rurſus prorſus candidi.

Lyſimachij autem huius generis in Harcynia ſpeciem quandam hactenus nondum vidi: ſed tamen alibi in locis vliginoſis ſylueſtribus ac in arundinetis etiam quibuſdam non infrequenter: cauliculis ſcilicet pedalibus, foliolis anguſtis, oblongis: floſculo ſuppallido ex rubro, paruo. Cæterum harum ſtirpiũ aliquot iam ſub Lyſimachiorum nomine compræhenſarum olim Cordus etiam obſeruauit, ac differentiis pecularibus diſtinxit, appellauitque eas omnes Neriadia, ob ſimilitudinẽ quam habent cum nerij foliis.

Ac præterea huius ſtirpis generis omnium maxima erit

illa

illa planta quam Cordus postea Chamænerium vocauit, cuius superius fecimus mentionem.

Lysimachij purpurei nomine vulgo quibusdam herbarijs existimata planta, quæ est Pseudolysimachium Dodonæi: passim in ripis fluuiorum, locis item montanis, vdis ac pratensibus.

Lysimachium luteum, frequens locis vliginosis.

Libanotis Theophrasti altera apud Dodonæum, Matthiolo pro Seseli Aethiopico habita. vulgo Ceruina maior seu alba. Circa Gerenrodam, Vuernigerodam, item vff der Langen.

Libanotis alba minor, seu amara, radice crassa, multifida sæpe, candida, amara: caulibus bicubitalibus interdum, brachiatis, firmis, angulosis: foliis, quæ oblongæ costæ constituunt, amplis, latis, profunde crenatis seu dentatis: floribus in densa vmbella candidis, odoratis. Poterit hæc quoque in suas species distribui: nam altera latioribus est foliis, profundius dentatis: altera contractioribus & frequentius succinctiusque incisis. Radix resinoso succo turgens, thus spirat, flauescit ac amara est. Cum hac plerisque notis congruit descriptio Dauci angulosi, apud Cordum, cuius tamen radicis sapor acris est, non amarus. Libanotidem vero hanc amaram eodem nomine Cordus descripsit in illo τῷ αὐτογράφῳ cuius paulo ab hinc superius mentionem feci.

Libanotis nigra, communiter Ceruaria nigra, quod ei radix sit nigrior, quæ saporis est non amari vt prior, sed acris. Copiose circa Gerenrodam, Ilfeldam, Vuernigerodam/ vff der Langen ꝛc. Est vero secundum Dauci genus apud Tragum.

Libanotis ναρθηκοειδὴς, *Libanotis Ferulacea tenuifolia maior*, Elegãs est plãta, radice cõstans digitali, eiusdẽq; ferè crassitiei, nigra forinsecus, succo resinoso prædita, odorata & acri, circa summũ nigris capillamẽtis obsita, vbi aliquot dodrantales emergunt costæ, foliis tenuib. strictis, plurimis exornatæ, ferulaceis seu fœniculaceis, ijs tamẽ breuiorib. Caulis è medio exurgit sesquipeda-

quipedalis, in cuius summo conuexa vmbella circa autumnum erumpit, odorata, flosculis candidis plena. Hæc vero species rarius reperitur. Minor frequentius: radice consimili minori, costis multo breuioribus, sicuti & folijs & caulibus. Aestate media prorumpit flores suos circa autumnum exhibens. Vtraque collibus apricis, arboribus destitutis, & solo firmiore gaudet.

Λινόκαρπος. Plantula elegans, radice tenui, admodum exigua, inutili, lignosa, candida: ex qua emergunt innumeri sæpe coliculi, tenues, splendentes, teretes, læues, dodrantales, raro altiores, quibus semper per certa interualla adduntur bina foliola, quæ prope radicem rotunda sunt & parua, magnitudine lentis vulgaris: reliqua deinde ad summum vsque coliculi longiora sunt, lenticulæ ferè foliis similia, viridia, læuia ac splendentia. Coliculus in summo in tenuissimos, paucos pediculos diuiditur, in quorũ singulis flosculus exiguus lacteus emicat, quem decidentem sequitur capitulum paruum lini simile, sed triplo aut quadruplo minus. Vnde cum alio nomine plantula hæc mihi innotescere non potuerit, linocarpum eam dicendam iudicaui. Reperitur frequens in colliculis aridioribus locis opacis, & arborib. carentibus inter gramina. [Linum syluestre exiguum, in hortorum areolis sæpe prorumpens.]

Lamsana Dodonæi duplex: aut foliis prorsus integris: aut in lacinias aliquot dissectis.

Lonchitis aspera, copiosissime circa Andersbergum vrbem metallicam, & in comitatu Honsteinensi: item circa Broccenbergum: vbi etiam loco prorsus Septentrionali in vmbrosa valle ac vliginosa gignitur.

Linaria communis, vbiuis.

Linaria montana seu syluatica. Planta hæc locis montanis, apricis, ac meridiei expositis maxime conspicitur, lino foliis assimilis,

lis, paulo angustioribus, ex viridi flauescentibus. Cauliculos erigit rectos, tenues, striatos, qui inter foliorum alas non solum in cacumine, verum etiam multo quandoque inferius brachia exerunt multis tenuib. pediculis abundãtia, in quorum singulo flosculus apparet exiguus, candidus, quem pereuntem sequitur flauescens capitulum rotundum, lini capitulo pene assimile, sed longe minus.

Ligustrum, *Phillyraea Dodonaei*, *Cyprus Matthioli*, circa Gerenrodam & Vuernigerodam.

Lilium conuallium, passim.

Lenticula aquatica, in fossis stagnantib. & palustrib.

Lichen, *Hepatica officinarum*: ad saxa fonticulorum & alias locis humectis.

Lichenis aliud genus, βρύον *seu* σπλάγχνον Dodonaei Tom. I. cuius variae differentiae passim cernuntur, eaéq; aut humi natae, aut saxis adhaerescẽtes, aut truncis arborum putridis adnatae, nonnunquam & in Ericetis prodeuntes: quas omnes sigillatim describere operosum admodum esset atq; difficilimum. Potissimum vero in illis haec discrimina obseruare licet, vt alijs sint folia latiora, alijs tenuiora, potius veluti capillamenta, miro ac eleganti naturae lusu inuicem sibi implexa, intortaque. Color item alijs est nigricantior, alijs flauentior, alijs cinereus magis, alijs candidulus, alijs nonnihil ex nigro subrubens. Circa Andersbergum in arboribus, quae ventorum saeuitia deiectae tandem diuturnitate temporis semiputruerunt, reperitur huius generis species, non admodum sibi implexa, nec late explicata: sed singularibus tanquam oblõgioribus, duarum nempe vnciarum, tubulis candidis constans, erectis, in quorum summitate protuberat capitulum, minij vtplurimum coloris, nonnunquam etiam atri.

Lagopus vulgaris, passim circa loca culta, in aruis.

Lathyrus syluestris floribus luteis: passim locis cæduis ac pratensibus.

Lathyrus syluestris maior seu purpureus, caulibus quadratis, pcumbentib. in membranosam latitudinẽ, (vt Dodonæus de suo Lathyro syluestri inquit) diductis, vicinisq; arbustis ac vepribus sese implicantib. foliis Dodonæi maiorib. ac longiorib. trium vnciarum nimirum, ac sescuntiam latis: flore maiori, punicante, siliqua longiore. Nascitur viuiradice profunde demissa, longaq; inter arbusta & vepres.

Lunaria minor botryitis, circa Stolbergam.

Lunaria botryitis πολύφυλλος. Hanc ante aliquot annos copiosam in montium quorũdam iugis summis circa Andersbergum reperi initio veris, iam sub niuibus, Fauoniorum flatib. colliquescentibus prorumpentem, radiculis paucis, multifidis, tenuib. ac luteis: coliculo primum rotũdiore, luteo, palmari ferè, in brachia diducto, quæ gemino latere iterum brachiata, vtrinq; folia lunata, flaua, securicularum instar continent, sed breuiora quam in priori: deinde alium prope radicem coliculum exurgere obseruaui, (& forte plures prodeunt inde) eodem modo foliatum & brachiatum. Medio loco inter hos coliculos thyrsulus exoritur racemosus.

Lunaria Græca, Viola latifolia, siliquis non orbiculari ambitu circumscriptis, sed oblongioribus. Circa Stolbergam & Vualkenridam monasterium. [Perenni est radice & floribus albicantibus, odoratis.]

Lithospermum virgatum, viticulis suis humi repens & in caulem procerum non assurgens, floribus in cæruleo eleganter purpurascentibus. maioribusq;, foliis longiorib. & strictioribus. Circa Ilfeldam.

Lithospermum alterũ fruticosum in Harcyniæ vicinis quidẽ montibus non infrequens est versus meridiem sitis: In ipsis vero Harcynicis nondum vidi.

Lactuca syluestris Cordi ac Tragi.

Lactuca syluestris ἐρυθράνθεμος. Planta hæc est procera, bicubitalis & quandoq; amplior, caulibus teretibus, læuibus: folijs consimilibus ferè Italico Behen rubro, sed multo longiorib. (vtpote dodrantalibus sæpe) ac latioribus etiam, nō scabris, sed leuibus ac angulos veluti quosdam habentibus, parte superiori ex flauo nigricantiorib. inferiore vero plumbeis ac aliquomodo cum Perfoliatæ syluestris foliis conferendis. Flores sunt ijdem qui Behen dicto, punicantes videlicet ex caliculo oblongo angustioris calathi figuram referente, ex foliolis constantes tribus, recuruis, ac in extremis oris laciniatis, ex quorum medio eriguntur tria oblonga staminula rubentia, parte superiori flauo puluisculo oblita. Floribus hisce in pappos abeuntib. apparent semina oblonga, chondrillacea, subalbida. Radice sustentatur crassa, nodosa, circūdata multis propendentib. oblongis ac mediocriter crassis (teneriorū radicularū instar) adnatis. Plāta tota lactea est, sapore moderate dulci, tādem ad aliquam amaritudinē leniter declinante, quā subsequuntur postremo astrictio atq; exiccatio. Monte quodam prope Stolbergam (iugum Harcynicū vocāt, die Hartzhöhe) copiosa est. Vidi eandem crebram mōtes Semanæ syluæ in principatu Hennebergensi producere.

Lilium purpureum syluestre, falso pro Asphodelo habitum. Goldwurtz/passim.

M.

MOLLVGO montana Dodonæo dicta libro de purgantibus, quæ plāta est de genere rubiarum syluestrium, Alysson Plinij à quibusdam existimata: caulibus multis, cubitalibus, & sæpe maiorib. ramosis, teretib. procumbentib. vitigineis, geniculatis, ex singulo geniculo foliis erūpentib. oblō-

 gis,

gis, angustis, glabris, subnigricantibus, cauliculos & ramulos radiorum stellatorum in modum ambientibus: floribus in singulis pediculis candidis, paruis, inodoris. Radix ei (vt Dodonęus in sua planta requirit) parum nigricat, quin potius ex flauo rubet.

Malua syluestris pumila, foliis rotundiorib.

Eadem, foliis latiorib. prope Vuernigerodam, solo videlicet pingui.

Malua syluestris maior, folio in ambitu diuiso & sinuato.

Muscus reptilis seu scansilis, Beerlappen. In Broccenbergo & locis vicinis: item in montib. quibusdam circa Aurbergum non procul à Stolberga.

Marrubium montanum alterum, Stachys Dodonæi, caule quadrato, cubitali, lanuginoso: foliis inferioribus quincuncialibus, trium vnciarum longitudine, incanis, quib. quæ in summum vsq; caulis conscendunt minora sunt: florib. verticillatis, rubris, circa Gerenrodam. Hanc Marrubij montani secundam speciem statuo. Ea autem quæ prima eius generis est, montib. asperis ac meridionalib. gaudens, caule tricubitali sæpe, foliis longiorib. sed nō ita latis, hactenus in Harcyniæ montib. mihi visa non est.

Marrubium nigrum, Ballotis assimile: alterum foliis paulo maiorib. alterum minorib.

Marrubium aquaticum, Matthiolo Sideritis prima, passim in aquosis.

Marrubium χαμαιπιτὶς, Planta ex Marrubiorum genere in aruis præcipue quiescentib. aut alias demessis frequens: caulibus ex vna radice pluribus exurgens, palmarib. ferè, quadratis, in terram reclinatis: foliis semper geminis caulem amplexantibus, sescuncialibus circa terram, alias vncialibus, rotundis, in ambitu profundius incisis, similibus

ferè

ferè folijs Geranij secundi seu pedis columbini: floribus purpureis Ballotes, quæ primũ in verticillorũ osculis instar paruulorum capitulorum conuoluta emicant, deinde explicata oblõgiuscule exeruntur, veluti Ballotes flores: odore aliquo marrubij. [Ballote crispa Lugdunensium.

Myrrhis Broccenbergensis, radice crassa, profunda, nigra: caule sesquicubitali, cauo, hirsuto, quem folia nigriora palmari ferè pediculo, eoque imbricato amplexãtur membranea veluti vagina, similia Myrrhidis Italicæ seu Apij alicuius multũ incisi: è membranearum autem vaginarum medio, exoritur subinde alius eodem modo foliosus pediculus, qui tandem vbi folia ei esse incipiunt, aliam pecularem vaginulam protrudit, ex qua deinceps prorumpit densa, orbiculataq; vmbella, duas vncias non multum excedens, conferta exiguis flosculis candidis, muscosisq;. Semina mihi visa nondũ sunt. Loco vliginoso fruitur.

Myriophylli species coliculis fluitantibus, imbecillis, longis: folijs plurimis ab radice vsque in cacumen donatis, strictis, oblongiusculis, teneribus, capillamentorum instar, squallidioribus, flore candido, ranunculi. In piscinis.

Millefolium: passim.

Μονόφυλλον, vnifolium. Passim. Illud autẽ quod baccas profert, vltra vnius anni ætatem est, & duobus constat folijs. Alterum vnico, prioris anni plantula. Simul tamen vtrunq; reperitur eadem radice natum.

Mercurialis mas syluestris, Cynocrambe, in syluis opacis.

Mercurialis syluestris fœmina: Raro, locis opacis.

Matrisyluia vulgaris, Waldmeister/ Asperula Dodonæi ac Rubia syluatica aspera Gesneri: passim.

Malus syluestris.

Muscus arboreus ac Saxorum, multiplici differentia, quæ magis assidua ac præsenti inspectione animaduerti, quã descriptio-

nibus tradi poſſunt. Omnium ferme color viridis eſt, quibuſdam fuſcidior, nonnullis flaueſcens, alijs ſubrubeus. Vnicum autem muſci arborei genus præ cæteris elegans alibi hactenus quam in Harcynia non conſpexi. Hybernis temporibus reperitur maxime vegetũ, vt & veris initio, late obductũ Fagorum plerunque corticib. et denſo ceſpite cõſtans. Folia eius vulgari arboreo muſco lõge ſunt tenuiora, elegantiora, Corallinæ nonnihil æmula, tota ſpadicea, eleganter criſpata, & mire ſibi inuicem implexa, odorata etiam. Hunc autem muſcum in tota Harcynia alibi non obſeruaui, quam circa Stolbergam & Ilfeldam. In Broccẽbergi præterea iugo muſci candida in vliginibus ſpecies naſcitur, capillaceam quandam veluti ſubſtantiam foliorum loco habens, eamque ſuis pediculis denſe circumuolutam, capitulum continens puſillum, cymbali verſus ſuperiora patentis figura, coloris ſpadicei.

Moſchatella Cordi. Andersbergi ad fonticulorum ſcaturigines quaſdam. Item Stolbergæ in prato quodam Hainfeldico.

Myrtus tenuifolia. Copioſe reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem Broccenbergum montem verſus, quam nominant **den roten Bruch**/ hoc eſt Vliginem rubeam, quod totus ille vliginoſus tractus ſub radicibus Broccenbergi, & vicinorum montium rubro muſco plenus ſit, qua videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam verſus. Fruticulus eſt lignoſus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiuſculis, vncialibus, myrti folijs anguſtioribus, quorũ extrema plerunq; in tergũ cõtorquentur. In exiguis recuruis pediculis ꝓfert circa autumnũ floſculos paruos, rubicũdiuſculos ex albo. Fructũ nunquã adipiſci potui: cumq; ſero admodum floreat, eo aũt loco, vbi naſcitur, hyems citius, quàm alibi, incipiat, citius etiã grandiores ibi niues cadant, opinor raro eius maturos fructus haberi poſſe. Cognatũ forte quid cum hoc habet

habet fruticulus ille exiguus Cordi, folijs myrtinis, quem in sua sylua obseruationum describit, pag. 221. a. §. 3.

Myosuron, quorundam Holostium: in agris, ad promontoria Harcyniæ, non procul à Northusa.

Melampyron Dodonæi, cuius passim variæ species obseruantur. Prima caule constat quadrato, late brachiato, foliis in feriori parte maioribus, quatuor vnciarum latitudine, sescuntiali latitudine, acuminatis, lacinijs prorsus carentib. floribus parte inferiori candidis, rictu autem hiante, (quem veluti ipsi aperti exprimunt, vnde ex vulgari idiomate passim oris vaccini nomine stirps hæc habetur) seu parte superiore, melinis. Secunda itidem constat brachiato caule, foliis acuminatis, integris, vnciali latitudine, trium longitudine: floribus ex albo viridique mistis. Tertia consimilis caulibus & folijs est secundæ, floribus melinis, in summo albentibus. Quarta paulo præcedente minora habet folia: flores vero ima parte punicantes, superiori melinos. Quinta folijs constat duarum vnciarum longitudine, & aliquid amplius, vnius vnciæ latitudine, in ambitu vt plurimum laciniatis: floribus infima supremaque parte punicantibus, media autem candicantibus. Sexta species est angustifolia, caule constans singulari, folijs longiusculis, integris, strictioribus spica florum cæteris minori, floribus parte superiore rubentibus, inferius melinis.

N.

NASTVRTIVM montanum. Duplex est: Maius radice tenui, lignosa, multifida, fibrosa: pediculos in superfice terræ emittens oblongos, numerosos, palmares, plurimis foliis vtroq; latere sibi correspondentib. exornatos, similib. Nasturtij satiui primum à satione prodeuntis, antequam videlicet

caule-

caulescat: caulem proferens sesquipedalem, frequenter brachiatum, folijs item in oblongioribus pediculis eodem modo dispositis, sed oblongioribus, acuminatioribus, vncialibus ac incisis, flauescentibus: flores ei sunt plurimi, pauci, quos subsequuntur siliculæ tenues, longuisculæ, semine citrino nasturtij paruoque plenæ. Minor simpliciori nascitur coliculo, foliis autem maioribus prædito, longioribusq;, acuminatis, flore melino: consimilis pene prorsus Iberidi secundæ supra indicatæ, nisi quod folia huic sint leuiora & splendentia. Rarius autem species hæc occurrit.

Nasturtium hybernum, Flos S. Barbaræ, Pseudobunias Anglorũ, Barbaræa Dodonæi.

Nasturtium syluestre, Thlaspi angustifolium Dodonæi, crebris constans cauliculis, palmaribus & brachiatis: prorsus simile satiuo, nisi minus in omnibus. Locis aridioribus ac squallidioribus circa vrbes, pagos, mœnia ac sæpes.

Nymphæa lutea, in piscinis.

Nymphæa alba: copiose in piscinis Vualkenridensibus.

Nummularia: passim locis humectis.

O.

OLSENICHIVM, quibusdam loco Mei habitum; locis humectioribus, sed rarius, vt plurimum tamen vff der Langen.

Orobanche: in Aurbergo & prope Gerenrodam.

Orobus Syluaticus vernus. Planta hæc πλαγιόκαυλος est, dodrantalis, pauloque altior, radicibus multifidis, filamentosis: caulibus quadratis, striatis: foliis in costa oppositis, araco latioribus, longioribusque, hederæ ferè corymbiferæ similibus (vnde quandoque Orobum cyssophyllum voco) sed minoribus, tenerioribusque, longitudine, vncias duas excedentibus, la-

titudine ſeſcuntialibus quandoq;: floribus initio veris ex cæruleo purpuraſcentibus: ſiliquis oblongiuſculis, vncias duas ſuperantib. quib' ſemina continentur ſolida, rotunda, ſubrubentia. Hæc plāta, licet cum Oroborum deſcriptionib. non admodum cōueniat, tamē aliis ſtirpiū generib. non cōmode cōiungi potuit. Georgius Aemilius, Theologiæ doctor, contendebat Aſtragali ſpeciem eſſe, vocabatq; Aſtragalum ſyluaticū Vernum, quia quaſdam appendiculas paruas in radicib. animaduertiſſet: quæ tamē nota multis leguminib. tam hortenſibus quam ſylueſtrib. item trifoliis ac Neriadijs, ſeu Lyſimachijs purpureis, alijſq; ſtirpium generib. eiuſmodi paruula ac crebra tubercula in radicum fibris appenſa cernantur. Doctiſſimus porro vir Laurentius Hiel, rei herbariæ in Academia inclyta Ienenſi olim profeſſor celeberrimus, hanc Aphaces ſpeciem ex aliorum ſententia faciebat, Aphacen ſylueſtrem nominans. [Pleriſq; ſiliquiferis plantis hæ radicum appendices granuloſæ communes ſunt, adeo vt grandis illa Geniſta Italica etiam illis neutiquam careat.]

Ocymoides rubrum.

Ophioglosson. In pratis quibuſdam humidioribus, præcipue prope Stolbergam, auff der Pfaffen Wiesen.

Oxyacantha Matthioli.

Ononis, in pratis quibuſdam & circa loca culta.

Origanum vulgare, paſſim.

Origanum verticillatum, paſſim. Planta verticillata, Origano ſimilis, foliis lanuginoſis, quam falſo quidam pro Clinopodio exhibuerunt.

Orchidis Dodonæi primum genus.

Eiuſdem alia ſpecies, folijs quatuor vel quinq;, multo longioribus, dodrantalibus.

Orchidis Dodonæi ſecundum genus.

Orchidis ſpecies, teſticulatas radices minores obtinēs: folia etiam

aliquantulum minora, quam cæterarũ specierum, quatuor ferè, læuia, splendentia: cauliculum rectum, pedali non multum maiorem, in cuius summo fasciculus florum paruus cõspicitur, nõ quidem spicatus, sed in vmbellæ paruæ fere modum explicatus, figura Schænoprasi. [Eiusmodi depingitur in herbario Lugdunensi.]

Orchis bifolia, flore purpureo & candido etiam, in montibus passim ac pratis. Triplici autem differentia reperitur. Altera latifolia est, foliis orbicularibus ferè, vnciarum sex longitudine, quatuor latitudine: altera foliis palmaribus, vnciarum duarum latitudine: tertia breuiora omnia continet.

Orchidis minor species, foliis tenuioribus, in terram reflexis, quinis, senis septenísue: cauliculo breui, digitali, quandoq; dodrantali, tenui, spica breuiore florum punicantium pauciorum. Nascitur locis apricis circa Gerenrodam.

Oxalis maior, passim.

Oxalis maior Broccenbergensis, quæ nihil quidem à communiori distat, nisi q̃ loco vliginosiore nata, paulo amplior existit. Eius radicibus mulierculæ ignaris imponunt, quod croceæ admodum sint, pro Rhabarbaro vulgari eas obtrudentes.

Ophrys quibusdam existimata seu Pseudorchis Dodonæi, aut Bifolium. Locis opacis & humidis passim.

Oxycoccon Cordi, copiose in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, foliis non ita subrotundiusculis, vt est eius Icon apud Cordum, sed oblongioribus ac strictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus versus dorsum vtrinq; leniter reflectitur. Longis lignosisq; ac obliquis prorepit in vliginoso musco viticulis, radicibus constans tenuibus, multifidis, lignosis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Flosculi exigui sunt, purpurei, veluti exigui citini. Vaccinia palustria Dodonæi videntur forte eiusdem stirpis fructus esse, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus

noſtro Oxycocco non eſt, quantum icon Dodonæi ſuorum vacciniorum exhibet.

Oſtrya Cordi, Ornus Tragi, Hainbuchen.

Onobrychis, Caules producit viticulares, humi procumbentes, obliquos, ſpica florum oblonga, punicea ornatos, foliis vero in longa coſta plurimis, longiuſculis, geniſtæ fere. In Thuringia vocatur radix Chriſtiana, quod nomen etiam Aſtrago cōmune eſt. Memini quoſdam & hanc olim pro Aſtragalo habere: ſed Aſtragali adnata nulla vnquam in eius radice potui obſeruare.

P.

PILOSELLA *maior Gallorum*, ſicut plantam hanc nominabat D. Iohannes Pontanus, piæ memoriæ, celeberrimus medicus, reiq; herbariæ peritiſſimus. Laurentius Hiel Colubrinam nominabat, quemadmodum & vulgari idiomate vocatur. Conuenit cū hac deſcriptio Ixopi Cordi, ſed nō in omnibus. Sunt enim folia ei quidem longitudine ſæpe dodrantali, ſed latitudine non vnciali, quin potius duarum vnciarum & nonnunquam latiora, carnoſa, pinguia, nihil admodum acuminata, ſed in obtuſiorem ex rotūdo ambitu mucronem deſinentia, maculoſa & ſinuata plerunq; repandaq;, quatuor, quinq; aut ſex quandoq; cauliculos cubitales exerit & quandoque altiores, piloſos, folijs deſtitutos, florem proferentes luteum, pappoſum. Radix ei palmaris eſt, digiti ferme craſſitudine, foris nigro cortice, qui facile auellitur, obducta, ſucco pingui turgida. In montibus circa Gerenrodam. [Hanc vt arbitror depinxit in Pannonicarum ſtirpium hiſtoria C. Cluſius, cum inſcriptione Hieracij latifolij.]

Piloſella media, Auricula muris vulgo.

Piloſella minor Dodonæi, floribus candidis, & purpureis, paſſim in iugis montium.

Piloſella ſiliquata. Duplex eſt: Maior radice conſtat tenui, multis exilibus fibris capillata. Folia in ſuperficie terræ innumera penè circinatim reclinata exhibet, paruis canaliculatiſq; pediculis adhærentia trium ferè vnciarum lõgitudine, & vnius pene latitudine, in ambitu parum fibrata, aſpera, piloſa, nigricantia: ex horum medio vnus atq; alter coliculus prodit teres, læuis, paucis admodum foliis donatus, totuſq; ferè nudus, raro admodum rectus & vtplurimum inter reclinãdum hinc inde oblique diſtortus, circa ſummum flores proferens paruos, candidos, qui vbi emarcuerunt, oblongiores ſiliculæ ſequuntur, ſemina parua ſubrubentia continentes. Naſcitur in montibus apricis, & aridiorib. Minor radiculam nanciſcitur paruam, fibroſam, lignoſam, inutilem: foliola in ambitu terræ exerit numeroſa, prioris ſpeciei foliis breuiora, ſimilia foliis Piloſellę minoris Dodonæi iam dictæ, ſed non ita incana, magis vero flaueſcentia, parum piloſa: coliculos ſuſtollit plures, tenues, ſtriatos, rectos, teretes, palmares, nonnunquam dodrante altiores, nonnihil brachiatos, in quorũ ſummo parui floſculi candidi emicant, quos decidentes ſubſequuntur ſiliculæ oblõgiuſculæ, ſtrictæ, ſimiles Thalictri Dodonæi ſiliculis. [Sophiam Chirurgorum vel Seriphiũ Tragi intellige, quam Dodonæus olim pro Thalictro habuit, in recentiori vero editione aliud pinxit.] Seminibus exiguis, ſubrubentibus turgidæ. Conſpicitur paſſim in collibus ſub initium veris. [Acrem habet ſaporem hæc plantula, inſtar Naſturtij, & Geſnerus inter Myagri ſpecies ipſam retulit. Minima omnium huc non temere annumerari poteſt, quam Lobelius Paronychiam Alſinefoliam, Otho Brunfelſius Genßkraut appellantes depinxere.]

Paſtinaca ſylueſtris Cordi, hortenſi ſeu ſatiuæ in omnibus ſimilis. Locis apricis & iuxta vias.

Piſum ſylueſtre referens prorſus ſatiuum vulgare: aliquibus in lo-

cis

locis copiosum, montibus apricis præcipue.

Polygonatum maius seu vulgare aut latifolium.

Polygonatum tenuifolium maius, strictiora habens folia quam prius.

Polygonatum tenuifolium minus, adhuc angustioribus & breuioribus folijs præditum. Reperitur quandoq; simul eodem solo cum tenuifolio maiori, licet rarius, circa Stolbergam ac Ilfeldam, quibusdam in montibus.

Pseudohepatorium mas, Herba Cunegundis, seu Hepatorium Auicennæ quorundã, quod folio sit cãnabino, quale in suo Auic. requirit: attamen cũ flos nenupharinus, quem etiam Auicennæ Eupatorio esse oportet, in hoc non habeatur, viderint isti, quomodo sententiam illam satis defendant.

Pseudohepatorium alterum Dodonæi seu fœmina : Vbiuis fermè ad flumina & locis humectis & squalidis circa oppida & pagos.

Persicaria maior, caule sesquicubitali, striato, tereti, geniculato: folijs plurimis, dodrantalibus, asperis, acuminatis: floribus in paulo oblongiore spica rubris. In pratis vliginosioribus.

Persicaria maculata, passim secus vias & ad flumina.

Persicaria mordax seu hydropiper, passim ad flumina.

Periclymenon, copiose circa Osterodam oppidum ducum Grubenhagicorum, vbi dicitur Wildrancken.

Pyrola maior seu Beta syluestris, Wald Mangolt / Limonium quorundam: quamuis frequentius in montanis, quam pratensibus nascatur.

Pyrola minor, foliis breuioribus, pyri foliis respõdentibus, vnde & vulgus ad differentiam prioris Birnbeumchen vocat, ac maiorem ei efficaciam in glutinandis vulneribus & rupturis attribuit, quam priori.

Papauer erraticum seu Rhœas. In agris & iuxta loca culta, nonnunquam & in locis cæduis syluarum & carbonariorum areis.

Potamogeton λειόφυλλον, quod à læuore resplendẽte foliorũ sic no-

mino. Eſt nimirum quod Tomo I. Iconum Dodonæi depingitur pag. 128. folijs rotundioribus aliquantulum, in mucronem obtuſiorem diductis. In piſcinis quibuſdam, Vualckenriti præſertim.

Potamogeton μαλακόφυλλον, folijs conſimilibus ſed molliorib. non ita ſplendentibus, flaccidioribus vero adeo, vt extra aquam extracta ob flaccidam iſtam molliciem facillime concidant, conuoluanturque.

Potamogeton ἰτεόφυλλον, folijs ſalignis, ſed multo maioribus. Videtur Cordi Phyllitis lacuſtris lib. 2. Stirpium. Ilfeldæ ac Vualckenriti in piſcinis.

Patamogeton οὐλόφυλλον, ſeu Criſpum, aut fimbriatũ, tenerioribus viticulis, folijs oblongis, ſtrictioribus aliquantulum quam in cæteris ſpeciębus ac criſpis, quæ mox atque aquæ eximuntur in ſe conuoluta concidunt, contorquenturque. Huic appenduntur potiſſimũ ſemina piſcium & ranarum verno tempore. In piſcinis circa Stolbergam & Vuernigerodam.

Plantago aquatica, paſſim in paludibus & foſſis ſtagnantibus.

Plantago πολύνευρος *maior, ſeu rubea.*

Plantago media Dodonæi: paſſim.

Plantago ex hoc genere minima, minoribus multo folijs & ſpica conſtans.

Plantago πεντάνευρος, *minor, Lanceola.* Duplex eſt: Maior folia profert bipalmaria ſæpe, duarum vnciarum latitudine ferè, quæ quandoque in ambitu vel pinnulis quibuſdam paruis exornantur, vel omnino ſine illis exiſtunt: Altera minor folia breuiora habet & ſtrictiora.

Pſeudomelanthium, ἀνθεμον φυλλῶδες Theophr. Nigellaſtrum nimirum dictum. In agris.

Ptarmica ſylueſtris Germanica, ad fluminum ripas, non procul à Stolberga

Perfoliata ſylueſtris.

Perſo-

Perfoliata vera, in agris, ad pagum Hermannisacrum.

Pimpinella Italica maior, Sanguisorba. In pratis quibusdam humidioribus. Minor passim.

Pimpinella nostras communis maior, circa Ilfeldam & Vuernigerodam, sed rarius: vulgari in omnibus similis eademque est, nisi quod maiora latioraque aliquantulum folia contineat. Minor, passim.

Polygonon mas, passim.

Polygonon masculum fruticosum, radice tenui, multifida, lignosa fibrosaque, superuacanea, cauliculis tenuibus, brachiatis, lignosis, foliolis multis hyperici minoris, sed multo tenerioribus, aut serpilli tenuifolij. Flores eius nōdum obseruaui. Reperi aliquando non longe à Stolberga, secus vias. Non est Polygonon alterum serpillifolium Anglorum.

Polygonon fæmineum locis vliginosis & stagnantibus.

Polygonon fæmineum ἀφυλλόκαυλον. Singularibus exurgit caulibus, striatis, cubitalibus, qui geniculis multis articulantur, tubarumque modo sibi immittuntur ac caui sunt, semunciali latitudine, in acuminatum fastigium terminati: Quandoque ex articellis reperitur etiam folia emittere admodum parua, tantum circa summum caulis. Inuenitur in pratis vliginosioribus, non procul à Stolberga. Vbi vero ad piscinarum ripas ex ipsis aquarum fundis progignitur, culmos erigit tricubitales, folijs prorsus nudos.

Pseudochamædrys maior, passim, Caulibus brachiatis, folijs dentatis, florib. cæruleis. Gamandræa vulgo dicta. Verbenaca supina Dodonæi.

Alia eiusdem species caulib. altiorib. paulo, teneri oribus: folijs amplioribus & rotundioribus, vncias duas ferè longis latisque: floribus paucioribus, cæruleis.

Eiusdem alia species rotundiore itidem folio, sed longe

longe minori, vtpote vix vnciali longitudine ac latitudine, hiſpidiori, dentato, pluribus autem caulibus prædito.

Polygala Tragi, florib. cæruleis, paſſim. Reperitur hæc non infrequenter flore rubicundiuſculo, nonnunquam quoque toto candido.

Eiuſdem ſpecies foliolis circa radicem rotundioribus, crebrioribusque, circinatim terræ incumbentibus: ea vero quæ coliculos ambiunt, priorum ſpecierum foliolis ſimilia ſunt prorſus: flores & hæc cæruleos obtinet, ſaporem vero admodum amarum, qui ita in cæteris non animaduertitur guſtu inſignis eſſe.

Polygalon Cordi, Fœnugræci ſylueſtris nomine habitum à Trago: Aemylius Glycyrrhizam ſylueſtrem, ob dulcem ſaporem nominabat, vt in Scholio, quod deſcriptioni apud Cordum ſubiectum eſt, patet: illud enim Aemylij eſt. Verum alia eſt Glycyrrhiza ſylueſtris noſtra, de qua ſupra.

Pentaphyllum maius: paſſim, præſertim circa loca habitata.

Pentaphyllum medium, medio modo ſe habens, quo ad folia, inter maius & minus.

Pentaphyllum minus, minoribus folijs, locis aridioribus, vinetis ſiccis hinc inde direptans.

Pentaphyllum minus ſuffruticeſcens: Radice conſtat lignoſa, multifida, fibroſa, denſa foliorum congerie: breuioribus caulibus, digitali longitudine, minoribus folijs, locis aridioribus.

Pentaphyllum θερμόφυλλον, Lupinifolium: in ericetis quandoque & ſub virgultis.

Pentaphyllum canum, πολύχιστον, cauliculis fruticoſis, ſeſquidodrãtalibus ſæpe, brachiatis: foliis in ambitu profundius dentatis, ſuperna parte nigricantioribus, inferna canis. Paſſim circa vias, locis aſperis.

Pentaphyllum paluſtre, Plinij fragiferum exiſtimatum, quod conſimilia quidem capitula, flore deperdito, fragariæ proferat,

quæ

quæ tamen esui apta bacca destituuntur. In eadem planta huius generis, folia tam septena quam quina vno pediculo seu viticulo inhærentia simul sæpe conspiciuntur, vnde non solum pro Pentaphyllo sed & pro heptaphyllo quoque haberi posset. Nusquam autem hoc, quantum mihi constat, in vniuersa Harcynia nascitur, præsertim in Broccenbergo.

Phyllitis, Lingua ceruina, montibus vmbrosis ad Beram flumen super Ilfeldam præcipue.

Porrum iunceum syluestre, locis quibusdam maxime in montibus Gerenrodensibus.

Prunella vulgaris, flore cæruleo punicante.

Eadem flore ex diluto cæruleo albicante: sed rarius offertur, locis montanis versus Aurbergũ, non procul à Stolberga.

Eadem cauliculis palmaribus, folijs minoribus, floribus candidis, copiose in montibus circa Andersbergum.

Pyraster arbor, pyrus syluestris, passim.

Populus Libyca, Tremula, Alpina Matthioli, Aspen / falso Trago Populus nigra existimata.

Pulmonaria vulgaris, arboribus adnascens, præsertim quercub. sorbo aucupariæ, alijsq; passim, item Saxis.

Pulmonaria herba flore cæruleo punicante. Pulmonaria Plinij Gesnero. Locis passim humidioribus, opacis, & cæduis. Folia sæpe, præsertim circa Stolbergam in syluis opacis, candidulis eleganter variegantur, velutique emblematico opere intercursantur picturatis inscriptionibus, per vniuersam suam amplitudinem longitudinemque, non autem candidis maculis aliquibus in partibus notantur: quæ tamen in hac planta alijs in locis quandoque extra Harcyniam depræhenduntur, præsertim in satiua, quæ ex Belgio affertur. Vt plurimũ tamen aliàs inscriptionibus hisce prorsus carent.

Pityusa maior Dodonæi.

Reperi alias in Thuringia in fluuiorum marginibus huius

Tithymalorum generis Pityuſam grandem, quæ eadem videtur eſſe cum Eſula Germanica Anglorum, radicibus craſſis, longis, multifidis, nodoſis, cortice rubro obueſtitis: caulibus bicubitalibus, brachiatis, numeroſis, qui folijs creberrime præcinguntur oblongis, oleæ minoribus. Nondum vero hāc mihi in Harcynia viſam ſcio. An vero alicubi in ea inueniatur, ambigo.

Pityuſa minor Dodonæi, duarum ſpecierum. Altera habet folia paulo maiora, latioraq; ac flores in maiori ſpecioſioreq; vmbella maiores: altera minor, folia breuiora, ſtrictioraq; ac tenuiora, vmbellam minorem ac minores flores.

Peplus, Eſula rotunda, etiam à Cordo tradita. In hortis.

Primula veris, φλομὶς, *Paralyſis ſylueſtris*, paſſim præcipue in pratis.

Eadem hortenſis: in hortis.

Polypodium, paſſim in ruderib. murorum antiquorum, in ſaxis, ad radices item quercuum, corylorum, fagorum, aliarumq; arborum.

Phœnix, Lolium ſylueſtre aut rubrum: paſſim. Tragus in primo genere graminum confundit cum ſterili auena. In duplici eſt differentia. Prima vulgatiſſima eſt, vbiuis ferè ſecus vias & ſemitas obuia, in oblongo ſcapo continua ſerie breuiores ſpicas emittit, modo eo, quo ſpicæ in lolij culmo diſponuntur, adeo vt ipſi Lolio quam maxime ſit aſſimilis. Altera ſpicas continet non in oblongo ſcapo, ſed in eius ſummitate in faſciculo quaſi diſperſo compræhenſas. Hæc apud Tragum depingitur pro Auena ſterili, primo videlicet ipſius graminum genere. Sicque Tragus auenam illam cum hac Phœnice dupliciter confundit, primum in deſcriptione, deinde in pictura.

Pinaſter, folijs tenuibus, longiſſimis. Circa Ilfeldam & Vuernigerodam.

Picea:

Picea: locis ijſdem.

Petaſites, paſſim ad flumina, inq; ipſis fluminib. flore punicante, capilloſo, pappoſoque. Folio grandiſſimo, reperitur vltra Ilfeldam in Bera fluuio, & qua ex Elbingeroda Vuernigerodam itur.

Petaſites flore candido, copioſiſſime Anderſbergi.

Potentilla, paſſim.

Perſicaria ſilicoſa Anglorum ſeu Noli me tangere, aut Pſeudapocynon quorundam.

Portulaca aquatica, folijs ſatiuæ minoribus, ſeminibus ijſdem in fluuio nō procul à Schartzfelda arce comitatus Honſteinēſis. Item in fluuio præterlabente Saxuuerfium pagum inter Northuſam & Ilfeldam.

Prunus ſylueſtris.

Phalaris ſylueſtris minor. Maior, quæ à ſatiua in hoc præcipue differt, quod ſpicas obtineat aſperas, lappaceas, veſtibus adhærentes, Harcyniæ quantum mihi quidem conſtat, ignota eſt. Minorem autem vidi familiarem montibus quibuſdam vliginoſioribus circa Anderſbergum, radice craſſa, fibroſa, nigricante, folijs frequentibus, digitali longitudine, ſtrictis & imbricatis: coliculi ex horum medio proſiliunt, ſpithama nonnunquā paulo lōgiores, quandoq; & breuiores, plures, leniter ſtriati, enodes, ſpicā ſquammatā Phalaridis ſatiuæ ſimilē, ſed multo breuiorē in ſummo cōtinentes, plumbei coloris, mollem, nō aſperā, nec lappularū modo adhæreſcentem.

Platanaria Dodonæi, Carex, Matthioli ſparganion. In piſcinis & foſſis ſtagnantibus.

Pſeudocyperus ſeu Cyperus ſylueſtris: paſſim locis vliginoſis, iuxta aquas. Huius autem aliquot ſunt differentiæ. Communiorem, qui frequentius obuiam eſt, Pſeudocyperum πολύκαρπον voco, quod videlicet copioſe ſemē ſuū in denſis ac latius diſperſis comis ſeu veluti racemis nigricantib. ꝓferat: radicibus

conſtantem craſſis, fibroſis, nigricantibus: caulibus ſeſqui-pedalibus, geniculatis, triangularibus, culmi hordearij craſ-ſitudine: foliis circa radicem & ex geniculis prodeuntibus, dodrantalibus, longioribuſq́;, acuminatis. Alterũ genus nomino Pſeudocyperum ὀλιγόκαρπον, quod quidem, quo ad folia & radicem, (quæ huic quoq; nigricãs eſt & craſſa, & frequenter capillaceis fibris obſepta) priori ſimile eſt, ſed capitulis ſeminum differens, quæ licet vt prius, in ſummo caulis ex nodoſo tuberculo emittit in ſingularibus pediculis oblongis contenta, ea tamen pauciora, rariora ac flaueſcentia ſunt, & ſquamata. Eſtq; hoc rurſus duplicis diſcriminis. Pſeudocyperus enim ὀλιγόκαρπος maior, multis in locis reperitur, foliorum magnitudine ac latitudine, caulis item proceritate τῷ πολυκάρπῳ ſimillimus. Minor vero radice conſtat parua, ſpadicea, fibrata, folia continens milio breuiora, digitalem longitudinem raro excedentia: cauliculum emittens dodrantalem, interdum paulo longiorem, tenuem, paucis, minoribus ac tenuioribus folijs ornatum, in cuius ſummo ex tuberculo nodoſo, pauci, tenues, breues, pediculi emergũt, capitula parua, pauca raraq́;, & ſquamata, ſpadicei coloris exhibentem.

Polemonium primum Dodonæi, caulibus ſeſquipedalibus, teretib. læuibus, geniculatis: ex quorum quolibet geniculo bina folia ex oppoſito ſibi correſpõdentia prodeunt, oblõgiuſcula, læuia: in ſummo ex vtriculis quibuſdam protuberantib. quę ſunt veluti veſiculæ quædam inflatæ, læues, & candidæ ac hiantes, flores proferuntur in extremitatibus reflexi, paruuli, laciniati ac candidi, ſub quibus in interiori parte veſicularũ, capitulum rotundum, oblongiuſculum, acuminatum reperitur, plenum ſeminibus rotundiuſculis, aſperis, griſei coloris, papauere maioribus.

Parthenium, ſeu Matricaria.

Pteriadion ſeu Pteridarion Cordi: Puſilla Filicis ſpecies, beſſem

vix

vix attingens, raroque. Inuenitur præcipue in Muſco vdo pratorum quorundam, nonnunquam etiam ad radices annoſarum arborum, locis opacis, ac humectioribus: in petris item madidioribus.

Q.

QVERCVS. Gerenrodæ in Quercubus humiliorib. frequētia adnata quædam reperiuntur, inter crebriores petiolos foliorum ſimul cohærentes ad tuber aliquod ramulorum exorta, quæ oblongiuſcula ſunt, ad baſin quidem rotundiori conglobataque figura, in tenuem deinde mucronem faſtigiata, conſtantia materia ſquammatim ſibi cohærente: quæque conulum veluti quempiam exiguum exprimunt. In annoſarum quoq; quercuum truncis vuæ illæ quercinæ, quarum mentio adeo præclara eſt apud Encelium, reperiuntur, non ſolum veris initio, quo tamen maxime tempore oriri ſolent: verum etiam in ipſis canicularibus. Sub illis enim memini me illas vuas vel granula iſtiusmodi pro vuis alijs habita, aliquando Stolbergæ adhuc cortici arboris inhærentes, ac vegetas, iamque primū enatas, videre. Eſt autem vicij genus, ſimile penè ipſis recentib. Gallis quernis, niſi quod ſit ijs minus, huic arborum generi ex ſuperfluo ſucco circa radicem accidens, qui vbi vetuſtatis ratione arbore morbum aliquem contrahente ſeu imbecillitatē, per vniuerſas vſque eius partes diſtribui, ibique confici nequit, prope radicem circa corticem relictus conſiſtit, ac ibi coaceruatus diutiuſque detentus & vi ſolis ac ambientis alteratus, tandem viam quærendo prorumpens tale tuberculum baccæ alicuius inſtar, vel vnum vel plura protrudit, ſtolonum tandem exortui inſeruientia, eadem ratione, qua idem vitij in Tiliarum antiquarum arborib. prope radices cōtingens videmus ſæpenumero.

R.

RAPVNCVLVS ſylueſtris cummunior, folijs ceruicariæ maioris, mucronatis:caule cubitali,læui, tereti: flore ſpicato ex viridi leniter albente: paſſim in pratis & locis quibuſdam montanis. Mihi vocatur Rapunculus ſylueſtris ſpicatus albens:licet eius ſpeciem in Thuringica ſylua, floribus prorſus candidis viderim.

Eiuſdem ſpecies floribus cæruleis, quæ eſt rapũ ſylueſtre Dodonæi alterum, rapunculus ſylueſtris Tragi ac Anglorum Rapuntium maius Alopecuri racemoſo flore. Plurimus eſt hic rapunculus vff der Langen/ loco inter Stolbergam, & Elbingerodam.

Rapunculum voco ſylueſtrem ſpicatum cæruleum. Priori omnibus eſt ferme ſimilis, niſi quod florum colore præcipue diſcrepet.

Rapunculus ſylueſtris cæruleus vmbellatus. Lacteo eſt ſucco, ſicut reliquæ Rapunculorum ſpecies. Duplex vero reperitur: Maior,quæ rarius obuiam fit,ex vna radice numeroſiſſimos profert coliculos, tenues, teretes, ſcabros, hiſpidos ſeſquipedales, folijs plurimis, oblongiuſculis, anguſtis, fimbriatis ac hiſpidis præditos, in vmbella parua flores cæruleos continentes: ſemine fuluente exiguo.Minor ſpecies locis aridioribus ac ſoli expoſitis, maxime vero arenoſis frequentior eſt, folijs & caulibus breuioribus vt & vmbella ſua cærulea.

Rapunculis annumero ſtirpes illas lacteo ſucco præditas ac rapunculorum modo oblongioribus & lacteſcentibus radicibus, ſuperne protuberantibus conſtantes, & campanulatos flores edentes, vnde campanularum nomine communiter herbarijs vocatæ veniunt: quibus omnibus folia ſunt Nerio ſimilia, longiora ac latiora in quibuſdam ſpeciebus, in quibuſdam etiam breuiora ac anguſtiora. Hincq; eos rapunculos

los νηριοφύλλους appello. Harum autem aliquot ſpecies facile admodum induſtrio rei herbariæ perſcrutatori patebunt, quarum itaque recenſebo hic tot, quot illo in genere hactenus per Harcyniam noſtram mihi obſeruare licuit.

Ranunculus ergo campanulatus Nerijfolius primus caulem habet ſeſquipedalem, teretem, parum ſtriatum, inter folia in adnata quædam ſeu brachiola explicatum: folia autem Nerij quincunciali longitudine, vncialique ferme latitudine: florem campanulatum, cæruleum, in ambitu orificij parum diſſectum.

Secundus folia obtinet priori crebriora, pauloque anguſtiora, longioraque multo, vtpote dodrantalia: caulem item craſſiorem: florem priori maiorem.

Tertius & ipſe quoque folia exhibet anguſtiora, ſecundo tamen breuiora: flores vero ampliores maioresque, cymbali alicuius patentioris in modum, in extremis oris diuiſos.

Quartus eſt caulibus breuioribus, foliis item minoribus, quorum ea quæ radici propinquiora ſunt, vnciarum ferme trium ſunt longitudinis, dimidiæ autem latitudinis: quæ vero per reliquum caulis conſpiciuntur, ijs breuiora ſunt: floribus eſt autem admodum patentibus repandiſque ſed tertij minoribus.

Quinto caulis eſt pedalis, pauloue procerior, aſper, non admodum folioſus: folia vero ſunt nigriora, vncias quatuor aut quinque longa, vnam vero penè lata: flores cymbalares, minores, aperti, ventre tamen eius non in rotundam cauitatem expanſo, vt in illarum ſpecierum floribus, quas iam recenſui, videre eſt, ſed plicato.

Sextus, Rapunculus campanulatus aut Neriifolius minor, caules erigit pedales, anguloſos, ſcabros: folia eius, ea videlicet, quæ radici proxima ſunt, vnciarum quatuor longitudinem

dinem

dinem aſſequuntur, vnius vero latitudinem: reliqua quæ cauli appenduntur, triuncialia ſunt & breuiora etiam: caules huic ſpeciei in ſummo in brachiola diuiduntur crebriora, tenuiora, flores exhibētia campanulatos, cæruleos, plicatos in ambitu ad orificium diuiſos, ſimiles omnino ſpeciei ſequēti.

Septimus ſeu Rapunculus campanulatus linifolius coliculos profert non admodum rectos ſed procumbentes, folioſos, brachiatos, adnatis refertos. Folia ei primo prodeuntia ſunt vncialia ferè, ſubrotundiora, in mucronem tamen producta, in ambitu leniter dentata, ſimilia foliis quibuſdam violæ tricoloris, quam vulgo Florem trinitatis vocant: cætera, quæ caulem frequenter ambiunt, longiora euadunt, ſed tamen ſtrictiora exiſtunt, lini foliis quodammodo affinia. Flores plures, cærulei, plicati, in ambitu diuiſi in hoc cernuntur. Vbiuis autem hæc ſpecies frequens eſt.

Ribes ſylueſtris, frutex pleriſque in locis circa Stolbergam, Ilfeldam, Gerenrodam, aliaque loca frequens fructu viſcoſo & nauſeoſo.

Ranunculus bulboſus Apuleio à Dodonæo aſcriptus, ac nona ranunculi ſpecies apud Cordum, quinta vero apud Matthiolum, ſed Ranūculus primus Tragi, atq; ſceleratiſſimus eidem dictus, alijs flammula.

Ranunculi tertium genus Cordo & Trago, quartum vero Dodonæo, quod quidam *Ranunculi Martij* nomine appellant, quia genus illud initio veris mox menſe Martio frequentiſſimum conſpiciatur, tam in ſyluis, quam hortis ac campis paſſim: quamuis alius Ranunculus Martius exiſtat, is qui à Trago hoc nomine dictus habetur. Huius autem generis aliquot differentiæ vbiuis ferme ſeſe contemplandæ offerunt. Primum autē eius genus vidi frequens ad ſepes, radice tranſuerſa, ex rubro nigricante ac cirris quibuſdam amplexata, ex qua coliculi oriuntur ſingulares, dodrantales, in ſummo in

tres

tres contrarios pediculos breuiores diuulsi, quibus folia continentur diuisa, crenata in ambitu ac subnigriora, cæterisque iam narrandis speciebus aliquantulum latiora. Hoc vero genus flores edere nunquam potui depræhendere. Secundum genus flore citrino præditum est, cuius etiam discretæ reperiuntur non infrequenter species. Prima namque quæ in hoc genere maior est, pediculo constat palmari, folijs profundius incisis, quam prioris generis, quarum tamen particulæ à se inuicem diremptæ longiores sunt, strictiores vero & vbi in mucronem deduci incipiunt, dentatæ, nigriores item: ex media foliorum ala bini, oblongiusculi vt plurimum petioli egrediuntur, quorum quilibet florem exhibet singularem, luteum, foliolis septem, nonnunquam & octo compositum, intus staminula plurima ostendentem luteis apiculis conspicua.

Altera species, quæ minor est, breuiores aliquantulum nacta est coliculos, foliorum item à se diuulsas particulas breuiores & angustiores. Florem deinde singularem profert in pediculo vnico, eumque breuiorem.

Tertium genus flores obtinet candidos, cuius etiam specierum nonnullarum euidens discrimen occurrit. Huius itaque species maior coliculum emittit palmarem, folia cum primo genere eadem, hoc est, in latiores particulas, non vero in longas discreta, nigriora, florem in singulari pediculo vnicum. Altera eius seu media species minoribus coliculis nititur, folijs item minoribus gaudens, vt & flore. Minor species rursum omnia minora obtinet, vtpote cui folia raro admodum sunt vncialia.

Quartum flore ex candido rubente donatur, folijs ijsdem cum primo & tertio genere, ipsum etiam ratione differentis proportionis foliorum, præcipue in maiorem & minorem speciem discretum esse animaduertitur. Hæcque genera omnia (præterquam primũ quod circa vrbes & pagos, ad sepes et

dumeta nascitur) vno eodemque in loco passim in syluis veris principio facilime inueniri poterunt.

Cæterum huius classis & quintum genus frequenter obseruaui; quod tam in montibus, quam hortis oritur ac sterile prorsus est, radice subnixum transuersali, parua, iunci crassitie, forinsecus ex rubro nigricante, paucis cirris ipsi annexis, ex qua singularis prodit coliculus palmaris, in summo non ita euidenter in tres pediculos diremptus, sed potius in foliorum breues veluti vnguiculos quosdam diductus, foliis ipsius longius incisis, in ambitu dentatis. Hoc autem præ reliquis huius ordinis generibus folia hæc peculiare obtinēt, quod in dorso frequentibus veluti stigmatibus seu punctulis protuberantibus sint picturata exasperataque.

Ranunculus polyanthemus primus Dodonæi, qui est Ranūculus pratensis primus Anglorum, octaua vero Ranunculi species Cordo.

Ranunculus polyanthemus maculatus. Hic folia continet in palmaribus canaliculatisque pediculis quinquies profundioribus incisuris, veluti in pentaphylli modum diuisa, correspōdentia folijs maioribus, quæ in caule ranunculi auricomi dicti existunt, nisi quod ijs multo sint latiora, maioraq;: quælibet vero harum quinque foliosarum diuisionum rursus in tres alias profundius inciditur, partibus ex neruis cuiuslibet diuisionis altius crenatis. Caulem emittit cubitalem culmi frumentacei crassitudine, teretem, latum, læuem, brachiatum, flores proferentem citrinos, plures. In medio autem foliorum, qua ipsa cum suis diuisionibus, veluti in vnum principium collecta, vnguiculis quibusdam suis pediculis adhærēt, macula sanguinea altius impressa conspicitur: ideoque videtur hoc genus comprehendi à Trago sub altero suo Ranunculo, cui maculas Persicariæ ipse attribuit, quāuis icon apud ipsum, nostræ stirpi non respondeat.

Ranun-

Ranunculus Cordi ſextus, ſeu flammula ipſius radicibus multifidis, caulibus hirſutis, folijs conſimilibus quodammodo Ranunculo bulboſo, multo tamen maioribus & latioribus, vtpote quæ expanſam manus volam adæquent, inciſis, crenatis, nigris, piloſis, flore citrino.

Ranunculus tertius Matthioli, aut eidem tamen congener. Admodum autem manca huius deſcriptio apud illum Commentatorem. Meum ego reperi aliquando (ſicuti etiamnum illum papyro agglutinatum ſeruo) cum nondum in caulem creuerat, radice oblonga, multifida, fibris frequentibus intercurſata, ex qua prodibant multi palmares, imbricatiq́; pediculi, in ambitu terræ procumbentes: quibus iuxta extremitatem addebantur folia ex cõtrario correſpondentia, inciſa, crenata, apij officinarum ferè ſimilitudine, quæ poſt breue interſtitium ſubſequebantur conſimilia alia extremum pediculi locum occupantia, omnia ex viridi nigricantia, ſplẽdentia & leuia. Puto me etiam alias hanc Ranunculi ſpeciem cum ſuis caulibus, rotundis videlicet & floribus citrinis extra Harcyniam vidiſſe.

Ranunculus auricomus Dodonæi, ſeu tertia apud Dodonæum Ranunculi ſpecies. Ranunculus dulcis ſiue pratenſis Trago dictus.

Ranunculus paluſtris, ſeu Apium Aquaticũ Tragi, Waſſerhanenfuß / Prima Ranunculorum Dodonæi ac Cordi ſpecies: paſſim in foſſis ſtagnantib. fluuiorum alueis alijs locis vdis.

Ranunculus aquaticus ἀρνογλωσσόφυλλος, ſeu folio Plantaginis acutæ, qui eſt duodecima ſpecies Ranunculi apud Cordũ, quam ipſe πλατύφυλλον vocat. Reperiuntur huius in Harcynia duæ ſpecies: Maior, quam Cordus ſuperficialiter deſcribit, radice conſtat craſſa, nigra, capillataque, caulibus teretibus, cauis, geniculatis, ſeſquicubitalibus ac brachiatis: ex cuius ſingulis geniculis folia prodeunt Plantaginis acutæ ferme

 figura,

figura, ſed non ita neruis conſpicuis intercurſata, ſplendentia, læuia ſeu glabra, dodrantem ſæpe longa, vnciali latitudine: ex quorum alis brachiola & ipſa geniculata prodeunt, è ſuis geniculis cōſimilia ſed breuiora folia producentia. Sunt vero folia hæc in hac noſtra ſtirpe, integra prorſus abſq; omni ſerratura, quamuis & alijs in locis ipſa ſerrata viderim. Flores profert Ranunculi auricomi, ex luteo pallidiores, maiores reliquis ranunculi ſpeciebus. Naſcitur autem copioſe circa Vualckenridam monaſterium ad piſcinas, inter arundines. Rembertus ſpeciem huius folijs ſerratis flammulæ nomine depingit Tomo I. Iconum pag. 415. Minor radice exoritur multifida, coliculis geniculatis, tenuibus, dodrantalib. procumbentibus: foliis oblongiuſculis & multo ſtrictiorib. floſculo citrino paruo. Paſſim in vliginibus & ad aquas. In hac etiam minori ſpecie, quo ad folia diſcrimen quandoque aliquod reperitur: nam folia illa vt plurimum huic plantæ integra ſunt, abſque dentatis impreſſionibus: nonnunquā & parum dentata circa extremum mucronem reperiuntur. Porro cum generi huic Ranunculorum τὸ πλατυφύλλυ nomen indiderit, nō præter rem facturum me putauero, ſi hic obiter ſaltem meminero alterius huius generis Ranunculi ſpeciei, quā ego τῦ πλατυφύλλυ nomine habeo. Hic autem toti Harcyniæ noſtræ ignotus, vt credo, prorſus eſt, ac maxima exiſtit ſpecies Ranunculi iſtius duodecimi Cordi iam deſcripti. Ipſum vero copioſſimū reperi olim in Marchiæ veteris ſyluis, locis vliginoſioribus ac opacis, putridis, limoſis & fœtidis, maxime circirca Stendaliam & Tangermundam ciuitates. Radix ei eſt nigra, craſſa, vix in extrema limorum ſuperficie compræhendens ac hærens, capillaceis cirroſisque fibris numeroſè circumſepta: caulem emittit ſingularem, ſeſquicubitalem, digiti ferme craſſitie, geniculatum, folijs ex ſingulis geniculis prodeuntibus longis, acuminatis, latis, quorum ea quæ infe-

rius

rius cauli adhærent, dodrantalia ſunt, quandoque & ſeſquidodrantalia, vnciarum duarum, quandoque etiam trium latitudine, non ita carnoſa vt in platyphyllo Cordi, ſed molliori ſubſtãtia, & propterea facile flacciditati obnoxia, glabra, ſplendentia, ſine ſerraturis: flores exhibet in ſingularibus pediculis, ſingulares, eoſque paucos, grãdiores, folijs ſex, ſeptẽue in ambitu conſtantes, ſubpallidioribus ex luteo, capitulo intus frequentibus ſtaminulis exornato: flores decidentes ſubſequuntur ſemina Ranunculis cæteris ſimilia ſed maiora aliquantulum, nigrioraque.

Ranunculus maximus λευκάνθεμος ſeu Aconitiformis. Radice nititur nodoſa, quali nimirum aquaticæ plantæ plurimæ firmari vidẽtur, fibris multis cãdidis ex ea propendentib. eaque iuxta terræ ſuperficiem capillamentis quibuſdam durioribus circumueſtita, quæ ſcilicet ex neruoſis pediculorum partibus ſuperiorum annorum tranſeunt in eiuſmodi formam, poſt deperditam ſubſtantiam reliquam. Emittit primum pediculos imbricatos dodrante longiores, in quorum ſummo foliũ late expanſum ac quinquies vel ſexies vt plurimum profunde inciſum & in ambitu ſerratum, ſimile folijs alicuius Aconiti ſpeciei, continetur. Caulem profert ſæpe bicubitalem, calami ſcriptorij craſſitie, intus cauum, ſplendentem, teretem, in ſummo quibuſdam adnatis brachiatum, cui priorib. conſimilia adhærent folia paulo minora, breuibus item pediculis donata. Flores ei ſunt forma cæterorum Ranunculorum, maiores paulo, lactei, quibus decidentibus protuberanti capitulo inhærent ſemina reliquis Ranunculis (excepto latifolio noſtro) grandiora. Eadem proculdubio cum hoc eſt ſtirps illa, quæ in Valerij Cordi obſeruationũ ſylua deſcribitur pag. 222. eſſe herba Lycoctoni maiorib. geranij folijs &c. Copioſa eſt in vliginibus montoſis circa Broccenbergum & in finitimis montibus, locis præcipue opacis. Superiori anno

dum ſyluam Thuringiacam tranſirem, eandem ibidem conſpexi.

Rumex maior, paſſim. Folijs videlicet grandioribus. Idem cum Rhabarbaro monachorum, niſi quod ſit ſylueſtrior.

Rumex minor, radice fibroſa, cirris plurimis obſita capillaribus: foliis longis, ſtrictis, vnciali latitudine, ſinuatis, flaueſcentibus: caulibus brachiatis, ſtriatis, lignoſis, ſeminum racemis frequentibus abundantibus. Naſcitur circa loca culta.

De Rumice aquatico ſeu Hydrolapatho, ſupra.

Rubia ſylueſtris, paſſim.

Rubus vulgaris. **Kratzbeer/ Brambeer.** Locis pluribus & maxime iuxta loca habitata, in altis etiam montium iugis & locis cæduis & carbonariorum areis.

Rubus Idæus, paſſim, fructu videlicet communiter rubicundo, nonnunquam & candido ſed rarius.

Rubus minimus, ſeu Rubus Alpinus Geſneri: hic **Steinbeer** vocant. Circa Vualckenridam, Stolbergam & Ilfeldam.

Rapiſtrum aruorum, **Hederich**: non tam in agris, quam quandoq; locis quibuſdam apricis ac cæduis.

Rhamnus Solutiuus, locis quibuſdam.

Reſeda, planta ex Erucarum ſylueſtrium genere, hoc nimirum à Stirpium inquiſitoribus nomine Plinio attributa. Eam autem duplicem vidimus. Maior circa loca inculta, locis apricis, in quibuſdam Promontorijs & ſecus vias nonnunquam cōſpicitur, radice multifida, longa, fibroſa, candida: circa cuius caput in terræ ſuperficie denſus foliorum flaueſcentium plerunq; ceſpes circumfunditur, in modum Erucæ diſſectorū, tenerius tamen, ac ita vt inter Erucæ alicuius & ſylueſtris Rutæ caninæ Gallorum folia, mediam veluti figuram obtinere videantur. Ex horum medio caules prodeunt cubitales, lignoſi, ſtriati, procidui, adnatis frequentibus brachiati. Folia quæ caulibus & brachijs appenduntur, oblongiora ſunt, ac

minus

minus diuisa, semunciali latitudine. In summo caulium & brachiorum veluti in oblongioris spicæ figura thyrsuli cōspiciuntur dense flosculis in singularibus exiguis pediculis singulis cōstitutis obuestiti, luteolis, muscosis, capillaceis: quibus emarcescentibus prodeunt oblongiusculæ, turgidæ ac flauentes theculæ superne repandulæ seu hiantes. Estq; hæc omnino illa Reseda, quam & Angli in sua Aduersaria describunt & depingunt, eamq; præterea Erucam peregrinam, Italicā siue Cantabricā appellitāt: quāuis ibi in icone illa adeoq; densa circa radicē eius foliorū luxuries nō exprimatur. Minor radicib. existit breuioribus: coliculis simplicioribus, rectioribus, teretioribus, minus foliosis, dodrantalibus, nonnunquam & sesquidodrantalibus, folijs minoribus priori, eodē tamen modo incisis: in summo coma breui flosculorum cōstituta, flauente. Hæc in iugis montium altissimorum nascitur, præcipueq; in Herzbergo, cui Ilfelda adiacet.

S.

SIDERITIS *prima* Dodonæi & Fuchsij Zeisgenkraut. Collibus apricis & meridiano soli obiectis, in promōtorijs præcipue circa Ilfeldam, Vuernigerodam, Gerenrodam, versus Northusam.

Huic cōgeneres aliquot præterea in Harcynia plantas obseruaui quæ & aliis etiam locis reperiri solent. Prima illarum est odoris admodum grauis, caulibus cubitalibus, quadratis, asperis, hirsutis: quibus per continua interualla semper folia bina ex aduerso adhærent oblonga, mucronata, vncias tres, quandoq; etiā quatuor longa, vnam lata, in ambitu serrata, superne nigriora, inferne magis cinerea, hirsuta: floribus rubicundis, verticillatis. Reperitur hæc ad ripas fluuiorum & circa loca habitata quandoq; & in agris.

Secunda consimilis admodum iam dictæ speciei, nisi

niſi quod in omnibus longe ſit minor, prorſusque inodora. Radix ei eſt tranſuerſalis, lignoſa, cirros quoſdam obtinens, inutilis, candida: coliculi palmares, quadrati, aſperi, recurui, rubentes, brachiati: quib. folia per interualla ſunt bina ſemper ex aduerſo locata, ſeſcuntiali longitudine, ſemunciali latitudine, mucronata, ſerrata: flores itidem verticillati, rubẽtes, longius extra ſuos alueolos exerti, quam in præcedente. Figuram ſtirps hæc nonnihil minoris ocymi referre videtur. Paſſim locis aſperis, montanis, ſterilib. ſaxoſis ac apricis. Cõſpicitur hæc ſpecies etiam quandoque flore candido, ſed rariuſcule.

Tertia, quo ad foliorum magnitudinem inter iam poſitas duas ſtirpes medio ſe loco habet, eamque propter flores ſideritidem cæruleam voco. Caules producit quadratos, infirmiores, brachiatos, folijs numeroſis præditos, quorum ſemper bina ex vtroque latere ſibi opponuntur, molliora, nigricantia: horum maxima vncias tres longa ſunt, vnam lata, & ſubinde vſque in ſummũ apicem caulis attenuantur, ſuntque ſimilia folijs Pſeudolyſimachiæ purpureæ, niſi quod breuiora: inter vtraſque alas exiguus conſiſtit petiolus, cui vaſculum quoddam cauum incumbit, ex quo floſculus oblongus, eleganter cæruleus exeritur, forma ea, qua ſolent quarundam vrticarum mortuarum flores eſſe. quo decidente ſuperne vaſculum veluti ſuperiniecta valuula occluditur, ſemina continens papaueris, maiora, lutea. Prouenit hæc paſſim in ripis fluuiorum, piſcinarum ac foſſarum ſtagnantium, in pratis item vliginoſioribus. [Hanc videntur Lobelius & Pena inter Lyſimachias retuliſſe & nomine Galericulatæ à vaſculorum forma depinxiſſe. Folia crenata ſunt, quod hîc ſilentio præteritum fuiſſe demiror; Plantæ ſapor amarus eſt, Graticulæ ferè in morem. Ideoque eam (prius quam illi ſuas obſeruationes in lucem ediderant) Herbarij quidam Gratiolam

tiolam cæruleam appellare non verebantur, à qua tamen figura tota non parum diſcrepat.]

Sideritis Cordi: Hæc olim proueniebat in agris montanis mõtis Haynfeldi prope Stolbergam, dũ videlicet illi adhuc excolerentur, auenaq; conſererentur. Nunc autẽ poſtquam ceſſante cultura agri illi in pratenſem naturam abire cœperunt, etiam planta hæc euanuit. Nuſquam autem interea, quæ in publico Cordi nomine extant, hæc deſcripta habetur. Oſtendit vero Cordus olim hoc nomine plantam iſtam tum Aemylio, tum alijs. Naſcitur autem alias frequens in arenoſis agris Marchiæ veteris, aliiſque locis. Radix ei eſt tenuis, lignoſa, candida, fibroſa: Coliculus tenuis, cum paucis adnatis, quadratus, dodrantalis ferè, hirſutus: folia ei ſunt ſufflauẽtia, vncialia, rotũdiora, hirſuta, in ambitu dentata: verticillos profert conſimiles vt & ſemina ac flores, Sideritidi primæ. Cæterum illius Sideritidis primæ ſpecies aruenſis, paſſim alias, quædam in agris mõtanis reperitur folio mucronato, primæ Sideritidis, minori, flaueſcentiori, caule cõſimili ſed breuiori. Verum illa diuerſa omnino eſt à Sideritide noſtra Cordi, vtpote cum huic folia rotunda ſint, quę iſti contra mucronata habentur: quod ideo παρέργως indico, ne videar forte alteram pro altera intellexiſſe.

Superba Tragi: locis quibuſdam apricis.

Solanum ſylueſtre ſeu lethale, quod *Morion* ſeu *Mandragoram* Theophraſti quidam eſſe autumant. Propter fructum nigrũ, ſplendentem, quia exacte ceraſa æmulatur, ipſum quandoque ſoleo στρύχνον μελανοκέρασον appellare. In monte altiſſimo prope Ilfeldam Hertzbergi nomine, copioſe reperitur, vt ea in radicibus eius quandoque, item in ingreſſu ſpecus ſubterranei aquoſi, qui circa Biſchofrodam villam eſt, non procul ab Ilfelda, quam vocant ibi die newe Kelben. Fuit hic non multis adeo ab hinc annis tonſor quidam, qui (vt ſolet hoc genus

hominum admodum temerarium esse, & per mortes hominum, vt ille ait, impune experimẽta sua facere) cuidam Stolbergẽsi ciui, sparsis per vniuersum corpus, nescio in quo morbi genere, doloribus ijsque misere excruciantibus laboranti, huius plantæ foliorum maiorem copiam in decoctione quadam propinauit, præsertim cum circumstantes varia, ipsisq; nota auxilia conciliandæ quietis gratia, frustra autem tentassent, tandemq; effecit vt æger ille non solum quietem caperet, verum etiam omnium istorum dolorum oblitus lethali prorsus somno diem suum clauderet.

Solanum hortense, seu Solanum nigrum Cordi, Nachtschatt / Circa loca culta.

Solanum γλυκύπικρον.

Saxifraga alba, quæ granulosam habet radicem, In pratis quibusdam circa Stolbergam.

Saxifraga aurea Dodonæi, passim ad riuulos, scaturigines, locaq; vliginosa.

Scrophularia maior communis, passim.

Scrophularia maior aquatica, frequens ad fluuios.

Sion verum, seu ἐλεοσέλινον. In scaturiginibus gelidis passim.

Sisymbrium primum, Mentha sisymbria Anglorum.

Sisymbrium alterum, seu Nasturtium aquaticũ, Nasturtium fontanum vulgo dictum, cuius aliquot species existunt. Prima species seu Nasturtium aquaticum acre est illa vulgatissima species in fonticulis, riuulis & eorum elicibus nascens, quæ culinæ inseruit, folijs rotundioribus, passimq; Brunnkreß dicitur. Secunda seu Nasturtium aquaticum amarum: hæc species priori omnino similis est, nisi quod grãdius paulo assurgat, ac folia magis acuminata, longioraq; habeat & nigriora, saporis vehementer amari, ita vt prioris modo in mensas recipi non possit, nisi decocta, iuribus tamen priorib. abiectis tandiu donec amaritudinem ferè omnem deponat. Hæc autem

tem antequam caulescat folia exhibet rotūda, ampla admodum, duarum ferè vnciarum. Ac vtraque species non raro ijsdem in locis simul & semel reperitur. Tertiam speciem offendi extra aquas, loco opaco, vltra Vualckenridam, radice candida, lignosa, cirris plurimis obsepta: circa quam in terræ superficie densa foliorum rotundiusculorum, nigrorumque prioris speciei paulo minorum, congeries late dispergitur: ex quorum medio caules oriuntur plures, cubitales ferme, folia oblongiuscula continentes ac flores frequentes candidos. Semina huic sunt in oblongiusculis strictisque siliculis, parua, fulua.

Sorbus aucuparia, seu Fraxinus bubula Dodonæi, passim.

Sorbus torminalis, circa Stolbergam ac Ilfeldam.

Sonchus læuis maximus, sesquicubitalis, folijs dodrantalibus, crenatis parum, sed non profunde dissectis, in ambitu spinosis, sinuatis.

Sonchus læuis alius, procerus & ipse, folijs vtrinque aliquot incisuris in lacinias dissectis, non tamen vsque ad dorsi neruum: qua nota differt paulum à Soncho læui primo Cordi, cū quo tamen alias idem est. Reperitur etiam nonnunquam huius minor species, caule crasso, anguloso, cubitali, folijs multis, incisis, spinosis in ambitu, sinuatis, prioris aliquātulum minoribus.

Sonchus læuis Cordi folijs vsque ad dorsi neruum laciniatis, non ita procerus, vt Sonchus secundus, cuius modo mentionem feci.

Sonchus asper, caule videlicet spinoso, folijs dissectis.

Succisa, seu Morsus Diaboli.

Scabiosas variarum differentiarum plures Harcynia nostra gignere solet, quarū aliquot iuxta genera sua & species ordine recensendæ hic erunt.

I. *Scabiosa ergo integrifolia*, cui nimirum folia neutiquam sunt

diſſecta prima ſit. Hæc caulem protrudit cubitalē, hiſpidum, aſperum, geniculatum: folia oblonga, plantaginis acutæ ferè, mucronata, aſperiora & pilis horridiora, quincuntiali ferè longitudine (qua radici videlicet ea propiora ſunt) vnciali autem latitudine, & quandoq; ſeſcuntiali, ac ex quolibet caulis geniculo bina ſemper ex aduerſo ſibi oppoſita, nihilq; dētatæ vtplurimum impreſſionis omnino habētia. Quandoq; tamen in huius generis ſtirpib. quibuſdam, rariores ac ſuperficiales in ambitu quorūdam foliorum eiuſmodi impreſſiones apparent: ſicuti & in minoribus foliis ſummum ferè caulis contingentibus vna atque altera iuxta pediculum laciniata diſſectio cernere quandoque eſt. Flos huic ſpeciei eſt ex cyaneo rubicundus, villoſus, In pratis quandoque reperitur.

II. *Scabioſa integrifolia minor ſeu maculata*, quæ rarius obuia eſſe ſolet. Coliculum hæc producit tenuem, teretem, ſcabrum, dodrantalem, folia pauciora circa radicem octona ferè, vncias duas longa, ſemiſſem lata, non hirſuta vt priora, ſtigmatibus quibuſdam nigricantibus exaſperata, alias leuoris quid obtinentia, carnoſa, quorum ex ſuperiori ordine vnum atq; alterum quādoque in ambitu paucas dentatas impreſſiones recipit: flore vt in cæteris ſcabioſæ ſpeciebus ex cyaneo ſubrubicundo.

III. *Scabioſa diſſectifolia maior*, foliis ſcilicet in lacinias diuiſis Valerianæ ſylueſtris ferè modo, piloſis, caule ſeſquicubitali, flore ex cyaneo rubicundo, villoſo, pratis familiaris.

IIII. *Scabioſa diſſectifolia media*. Hæc caule exurgit cubitali, hiſpido: folia circa radicem obtinens integra, paucas nonnunquam ſerratas inciſiones in ambitu ſuſcipientia, oblonga, nigricantia, piloſa, mucronata, quincuntiali longitudine, ſeſcuntiali ferè latitudine: reliqua deinde profundas ac frequen-

frequentiores incisiones ac in lacinias diuisiones admittũt, prioris istius generis speciei ritu, sed tamẽ illius folijs multo sunt minora.

V. *Scabiosa folijs bellidis sylvestris maioris maior*. Hæc caule assurgit cubitali, tereti, geniculato, cuius priora folia iuxta pediculos suos canaliculatos in aliquot lacinias profundius incidun-tur parte anteriori ipsius subrotundiori ac in ambitu denta-ta: reliqua deinde (quorum semper bina ex vno geniculo è contrario sibi cohærent) integra sunt, breui ac imbricato pe-diculo innixa, non incisa, in ambitu tantummodo serrata, vncias duas longa, vnam lata, colore ac forma folia billidis syluestris maioris exprimentia: posthæc superioris caulis par-te qua ipse brachiata adnata producere incipit, folia alterius figuræ consistunt, tenuiora, in plures tenuiores ac angustio-res lacinias diuisa. Flos huic speciei cõglobatus est, cæruleus, Succisæ similis.

VI. *Huius minor species* ex vna radice, quæ nigra est, plures profert tenuiores, teretes ac dodrantales coliculos, non ita folio-sos, vt prior, sed ferè prorsus nudos, nisi inferiore parte. Folia priora huic sunt in breuioribus & caniculatis pediculis, bel-lidis syluestris maioris folijs itidem similia, prope pedi-culum laciniata vt plurimum, reliqua parte serrata: post quæ reliqua quæ deinceps sequuntur folia, diuersæ ab aliis existunt formæ frequenter in tenues & strictiores lacinias diuulsa: flores cærulei conglobati.

VII. *Scabiosa tenuifolia candida seu maior*. Caulecã prodit cubita-li, tereti, calami frumentacei crassitudine, lignoso, geniculis nodosis prædito: folia ei prope radicem sunt in oblongo & canaliculato pediculo, veluti in costa quadam constituta, in plures at tenuiores lacinias & per euidentia admodum à se vtroque latere interualla seiunctas, ac in ambitu dentatas,

diuiſa, quorum pars extrema mucronem conſtituens latior eſt & crenata: quæ deinde ſuperiori in parte caulis exoriuntur, ea quantò ſubinde ſerie ſua breuiora fiunt, tanto & in ſtrictiores lacinias dirimuntur: inter alas autem verſus caulis ſummum brachiola vtrinque proſiliunt, conſimilibus ſed longe breuioribus foliolis exornata: flores deinde emergunt Scabioſæ nonnihil ſimiles ex pallidiori flauedine albentes. Elegantior hæc eſt cæteris Scabioſæ ſpeciebus omnibus.

VIII. *Scabioſa tenuifolia media*. Radicem hæc obtinet nigram, multifidam: coliculos teneriores, teretes, minus folioſos: folia priora multo minora quam prædictæ ſpeciei, diuiſa in lacinias tenues, latiores tamen paulo quam ſunt foliorum reliquorũ ſubſequentiũ laciniæ, quæ nimirum exiſtunt admodum tenues & anguſtæ ac fæniculaceæ quodammodo: flores ſunt, vt prioris ſpeciei.

IX. *Scabioſa tenuifolia minima prior*. Huic coliculus eſt dodrantalis, teres, tenuis, prorſus nudus, prope radicem ſolummodo planta hac folia protrudente in canaliculatis pediculis laciniata, breuiora cæteris duabus iam poſitis ſpeciebus ac tenuiora. In ſummo caulis florem continet cæruleum in orbiculato capitulo ſuccisæ ſimili, ex cuius ambitu exterius breuiora quædã ac tenuiora progrediuntur ſurſum porrecta adnata in brachiolorum exiguorum modum, ſemel geniculata ac bina ad geniculum exaduerſo locata foliola, continentia, in quorum cuiuslibet ſummo aliud ac breuius florum emergit capitulum conglobatum ac cæruleum. Locis autem prodit aridioribus in collibus apricis ac meridionalem ſolem excipientibus.

X. *Eſt & altera Scabioſæ tenuifoliæ ſpecies*, quam folioſam nominare poterimus, propterea quod coliculus qui ipſi dodrantalis eſt, ac geniculatus à radice vſq; in ſummũ cacumen foliis in frequen-

frequentes, tenues ac fæniculaceas lacinias diuulſis, eleganter exornatur, quorũ ad quodlibet geniculum bina ex oppoſito ſibi correſpondent. Flos huic eſt in globum collectus, cæruleus. Huius autẽ libuit hic meminiſſe obiter, licet, quod ſciam, in Harcynia ipſam nondũ repererim. attamen in vicinis montibus non raro ſeſe conſpiciendã ea offert: nec dubito admodum in ipſa Harcynia alicubi eam quoq; exiſtere.

Sanicula, paſſim.

Serpillum, paſſim.

Serpillum floribus candidis, ſed rarius.

Serpillum citrum olens, aliquando reperi in Haynfeldo.

Stæchas citrina: locis quibuſdam & collibus ac marginibus aſperis, arboribus deſtitutis & apricis.

Sambucus vulgaris, circa loca habitata.

Sambucus aquatica, ſeu Lycoſtaphylos fœmina Cordi. Copioſa paſſim potiſſimum Ilfeldæ: Stolbergæ, Gerenrodæ & c. ad ripas fluminum & locis pleriſque montanis humidioribus.

Sambucus montana ſeu ἐρυθροστάφυλος, *aut* φοινικοστάφυλος, Sambucus racemoſa Anglorũ, ac Sambucus ceruina Tragi. Copioſa hæc eſt circa Stolbergam & Honſtenium, præſertim locis montanis, apricis ac humectis nonnihil vel felici ſolo præditis. Itẽ circa Ilfeldam. Eius folia hic vetulæ collecta ignaris pro Ebuli folijs obtrudunt, diuenduntque, ſicuti & vulgo iſtam Sambucum Attich / nomine Ebuli appellitare ſolent.

Scorodonia ſeu Scordium montanũ Cordi, Sphacelus Dodonæi. Prouenit Vuernigerodæ prope arcem: Apud Cordũ libro 1. pro hac ſtirpe falſo ponitur icon Vrticæ Heracleæ Tragi, ſicuti & in adiecto ibi Scholio error admiſſus eſt in nomine Odi, quod & alias aliquoties iſtis in Cordi de ſtirpium hiſtoria libris factum eſt. Nam pro Odo ſemper Cordus eſt legendus. Scholia autem illa ſubiuncta, vt hoc obiter annotẽ, quæ præfixa ſtellula notantur, Aemylij ſunt ab ipſo ſubſcripta in

auto-

autographo. Atqui quoties Cordi nomen Aemylius ſcribebat, veluti priores tres litteras abbreuiaturus, cordis humani effigiem pingebat. Hoc cum ignoraret ille qui autographum in exemplum prælo typographico committendum deſcripſit, accidit vt perperam Odum legerit tranſcripſeritque.

Salix nigra ſeu rubens, rot Weiden/ paſſim in conuallibus vliginoſis.

Salix Sabina ſeu Amerina, virgis gracilibus & rutilis.

Salix Platyphyllos. Hæc plurimis in montibus reperitur, etiam quandoque non adeo humidis, ac proceræ admodum arboris frequenter magnitudinem conſequitur. Folia ei ſunt vnciarum trium longitudine, ſeſcuntiali autem latitudine, nõnihil rotundiora, mucronata, ſed non ita oblonga, vt reliquarum ſpecierum folia, ſuperne nigricantia, inferne cinerea: iulos profert duarum vnciarum longitudine, denſa lanugine non vndiquaque obuolutos, vt in cæteris ſpeciebus cõtingit, ſed veluti racemulos quoſdam capitulis paruis denſe conſitos, repræſentantes: quibus initio veris dehiſcentibus, erumpunt flocculi lanæ tenuiſſimæ, molliſſimæ ac candidiſſimæ inſtar, modo ferè conſimili, quo lana effunditur ex dehiſcentibus capitulis Populi nigræ. Huius ſpeciei alia eſt, minor quippe, foliola continens breuiora, vncialia, nigriora ſuperne, caneſcentia itidem inferne: cæteris omnibus priori ſimilis.

Salix platyphyllos rurſus alia, etiam rotundiore folio, iulo breuiori cæterarum communiumque ſpecierum iulis ſimili: ſalicis nimirum quartum genus Tragi, quod ipſe Seilweiden vocat.

Satyrium recentiorum Græcorum iuxta Dodonæum mas, alias Palma Chriſti, Serapias mas Anglis, Orchis autem fœmina Tragi. Atqui Satyrij huius maris cuius videlicet folia maculis deſtituuntur, diuerſæ aliquot differentiæ in Harcynia occurrunt, quæ ſub duobus præcipue generibus compræhendi poterunt,

terunt, quorum alterũ ſit latifolium, alterum anguſtifoliũ. Primi itaq; generis, hoc eſt latifolij ſpecies prior radicib. cernitur craſſis, binis, denſis, diuiſis inferius in aliquot portiunculas oblongiores, veluti manus aliqua in digitos: caule cubitali, digiti ferè craſſitudine: in oblongiori ſpica ſeu thyrſo flores punicantes exhibẽs: folia in hoc paulo latiora caulem obueſtiunt, quincuntiali quandoque longitudine, trientali vero latitudine. Huius altera ſpecies ſeu media omnia minora eſt ſortita, ſuntque ei folia vnciarum quatuor longitudine, ſeſcuntiali autem latitudine. Tertia ſeu minor, radicibus eſt minoribus multo: coliculo tenero, dodrantali: ſpica breui, foliis vncias tres longis, vnam latis.

Alterũ porro genus eſt *Satyrium baſilicum mas tenuifolium*, quod itidem triplex eſt. Maior enim eius ſpecies radicibus conſtat priori genere paulo minoribus, ac in oblongiores portiones diuiſis: caulé cubitali, tereti, leui, triticei calami craſſitudine, qui ſpica florum purpuraſcente breuiori illuſtris eſt, ac folia depromit longiora multo prioribus ſpeciebus, ſed ſtrictiora, ſeptem ſæpe vnciarum longitudine, vnius latitudine. Media radicibus maiori eſt conſimilis, craſſiori autem caule, ac longiori ſpica prædito, foliis quoq; eiuſdem longitudinis, ſed paulo ſtrictioribus, ac non ita explicatis, ſed potius carinatis. Tertia etiam nonnunquam in hoc genere, ſed rarius reperitur ſpecies, minor videlicet, radicibus nempe multo minoribus & diuiſuris earum tenerioribus, cauliculis item breuioribus, foliis vero eiuſdem lõgitudinis cum ſpecie iam tradita, eodemque modo imbricatis, ſed multo ſtrictioribus, ſpica paulo rariori.

Satyrium fœmina folijs maculatis, paſſim.

Symphytum petræum meum, ſed non verum Dioſcoridis. Duplex hoc eſt: Maius radice nititur profunda, pedali, longioriq;, digitali craſſitudine vtplurimum, ſæpe etiam in planta anno-

P ſiore

ſiore, pollicari amplioriq́ue, forinſecus cortice inſtar tenuis alicuius ἐπιδερμίδος, ſufflaueſcente obueſtita, ſub quo candida ſubſtantia detinetur cor lignoſum in medio continens, ſaporis vbi recens euellitur dulciuſculi primum, deinde aſtringẽtis cum amaricie quadam feruidiuſcula diutiuſq; perdurante. Hæcque radix diuturniori maſticatione multum pituitæ in ore prolicit. In ſuperficie terræ ex nodoſo capite denſior foliorum oblongiuſculorum & ſtrictorum pinguiuſculorumq́ue ceſpes emergit, ex quorum medio prorumpunt coliculi dodrante altiores, recti, teretes, læues, tenues, geniculati, folijs ad genicula cõſimilibus ijs quæ prope radicẽ ſunt, exculti, in ſummo parum brachiati, ac vmbellatis corymbis conſpicui, qui exiguis ex capitulis floſculos tenellos candidulos exerunt, muſcoſos, eleganti ſpectaculo oculos aſpiciẽtium inuitantes, dum floſculi illi veluti pũctulis quibuſdam variegati viſuntur. Odorati ſtirps hæc nihil continet. Folia eius dulcedinis illius, quæ radici ſubeſt, expertia ſunt. Naſcitur montibus apricis ac calcaribus. Vnde cum inter eiuſmodi ſaxa progrediatur, ſymphyti petræi nomine eã habui, non tamen iſtius quam Dioſcorides deſcribit, veruntamẽ aliquo modo non admodum abſimilem à Petræi Matthioli icone. Nam licet quaſdam Dioſcoridis Symphyti notas obtineat, non tamen omnes exprimit. Sin autem diſplicuerit huic ſtirpi Symphyti nomen me aſcripſiſſe, vocetur interim ficto vocabulo γυψόφυλον, ratione natiui ſoli ſui, donec repertus fuerit Mercurius aliquis, qui eius meliorem denominationem edoceat. Atqui planta hæc in ipſis Harcynicis montibus (quantum mihi hactenus conſtat) non reperitur, ſed tamen in finitimis eiq; ex propinquo adiacẽtibus ad meridiem præcipue, vtpote in veteri Stolbergo & montibus Franckenhuſanis. Feci vero eius hic mentionem propter ſequentem alteram ipſius ſpeciem, quæ Harcyniam incolit.

Illa

Illa itaque ſecunda ac minor noſtri Symphyti petræi, ſeu γυψόφυτον minus (ſi potius hoc nomine ipſam nuncupare velimus) radice firmatur ſaxa calcaria profundius ſed non recta penetrante, adeoque arcte illa circumplexa, vt terræ nihil circa ſe vtplurimum obtineat, pedali, calami hordeacei craſſitie, cortice forinſecus ex obſcuro rubro flauente circumdata, ſaporis aſtringentis: ex cuius capite fruticeſcentis veluti cuiuſdam ſarmenta tenuia ac lignoſa ſupereminent, à quibus folia prædictæ ſpeciei minora progrediuntur, plurima itidem numero, ſtrictiora, viridiora ac teneriora. Ex iſtis vero ſarmentis crebriores proſiliunt coliculi, admodum tenelli exileſq;, teretes, palmares, rubicundiuſculi, frequẽtius quam ſuperioris geniculati, binis ad quodlibet geniculum foliolis oblongiuſculis ijs quæ prope terram ſunt ſimilibus, conſtitutis. In cacumine porro coliculi in breuiuſculos petiolos diſtenduntur, ex quibus florum in cãdido leniter ſubrubentium corymbi rarius diſperſi, emicant, priori ſpeciei ſimiles, ſed ferè elegantiores. In capitulis rotundis Coriandro ſimilibus ſemina continet quædam parua, flaueſcentia. Reperi hanc ſpeciem ante annos aliquot in montibus calcarijs (qui ſubterraneis ſpecub. cauernis ac antris prorſus cõcaui ſunt, quaſiq; concamerati, inq; quibus dæmoniorum illud genus, quod nanos vocant, antiqua ſuperſtitio habitaſſe refert: vnde vulgo adhuc hodie iſta montana loca Cauernæ nanorum nuncupantur) prope Vualckenridam monaſterium, vbi eius integram radicem licet adhibito chalybeo rhizotomo diligenter id conarer, ex ſaxis iſtis eruere nõ poteram. Ob quam cauſam forte dum nempe ita arcte ſaxis iſtis ſine terræ vlla portiũcula innaſcitur, ſtirps iſta nõ immerito pro aliquo petræo Symphyto poſſet haberi, meo quidem iudicio, vel ipſius ſolummodo nominis occaſione.

Sauina Tragi ſylueſtris, ſeu Selago Pliniana, quam primam eius

ſpeciem facio, vtpote herbam Sauinæ ſimilem. Licet enim Selaginem ob ſibi nō admodum abſimiles plantas in ſpecies diſcernere; Copioſe in Broccenbergo.

Selaginis ſpecies altera (ſicuti eodem etiam nomine Georgius Aemilius olim herbam iſtam tandem cenſebat) Muſcus nempe terreſtris Tragi ac Matthioli, Lycopodion vero Dodonæi. Eius icon perperam pro Chamæpeuce aliqua ab Aemilio apud Cordū poſita eſt, propterea quod vera Cordi Chamæpeuce tum temporis ipſi viſa nondum fuiſſet, quam aliquot annis poſt, cum primum mihi notitia cum eo viro intercedere cœpiſſet, ei vt & alijs amicis copioſam ex Nariſcorū ſyluis miſi, cuius aliquot ſurculos ipſe mox Geſnero paulo ante eius obitum itidem tranſmittebat. Copioſa & hæc reperitur non ſolum in Broccēbergo, verum ēt in montib. circa Vuernigerodam, Anderſbergum, Stolbergam, alijſq;.

Selago tertia, quæ elegans eſt planta, ex vnica radice dodrantales aliquot thyrſulos mediocris digiti craſſitudine, emittens rectos, prope radicem anguſtius ſibi cohærentes, ſuperius vero latius à ſe inuicem diſcedentes, vt ita cuiuſdam ſcopæ paruæ ſurſum verſæ quandam quaſi figuram præbeant, in ſummo plerunque diuaricatos, foliolis vndequaq; denſis, ſecundæ ſpeciei prorſus ſimilibus obueſtitos, viridibus. Hanc autem ſpeciem non vidi eiuſmodi erectis ac tenuibus petiolis iulos proferre, quales priores duæ ſpecies exhibent: licet nō dubitem poſſe ipſos fortè alicubi reperiri in hac ſtirpe loco aliquo vbi felicius prouenerit. Reperi autē ipſam ſolummodo enatam intra cauernas ſaxorum ipſorumue crepidines in Broccenbergo, à ſole parum illuſtratas.

Salſirora, ſeu ſponſa ſolis, aut Ros ſolis, vel Rorella, copioſe in muſco vdo Broccenbergo ac vicinorum montium. Dignum admiratione in hac puſilla & eleganti plantula, velutique ſtellæ alicuius iubare fulgenti ſub ſole, eſt, quod roſcidum illud

illud ac congenitum ipſi humidum in acetabulis foliorum ipſius contentum, extremis leniter digitis vbi attingatur, dū adhuc natali ſuo ſolo ipſa inhærens aut tamen confeſtim inde euulſa feruentes ſolis radios experitur (quod quam primū obſeruaſſem, poſtea ſæpius eius rei experientiam feci) mox veluti in exigua aliqua ac ſericea & candidiuſcula filamenta ipſum diducatur, quæ confeſtim concreta ita poſtea ſemper perdurant: quod in aridis plantulis, eo modo dū vegetæ adhuc eſſent, tractatis ac libris meis herbarijs agglutinatis, hactenus multis oſtendi ac etiamnum oſtendere poſſum.

Struthium herba lanaria aut fullonum: nō procul à Northuſa ad promontoria Harcynica.

Scorzonera tenuifolia lutea: itidem ad promontoriū quoddam non procul à Northuſa.

Quia autem huius Scorzoneræ nobis hîc mentio incidit, non incommodum fortè erit de Scorzoneris paucula veluti in tranſcurſu ſubijcere. Atqui varia varij hactenus de hoc ſtirpis genere ſtatuerunt. Initio, cū vſus eius in Hiſpania contra viperarum morſus innotuiſſet, Planta Hiſpanica nonnullis dici cœpit, quaſi in Hiſpania ſolummodo ſpontis ſuæ eſſet: deinde ex Hiſpanico idiomate Scorzoneræ nomenclatura ei acceſſit à facultate quapiam peculari qua ſpecifice exiſtimatur viperinis ictib. ſuccus huius ſtirpis præſentaneo auxilio eſſe. Plurimis autē in Germania locis reperitur quoque, montoſis præcipue. Differentias vero foliorū ratione & florum etiam euidenter obtinet, ita vt altera ſit latifolia alterá anguſtifolia. Latifoliam (quæ fortaſſis & in ipſa Harcynia noſtra alicubi inueniri poterit) vidimus tantum flore luteo. Eaque quo ad radicis ſaporem, iterum duplex eſt. Nam altera quæ cōmunior eſt, ſaporem exhibet ſubdulcem, ac ita à Tragopogone nihil ferme diſtat, cuius etiā profecto aliquā ſpecies ipſa eſt. Altera radice conſtat valde amara (vtpote genti-

anæ alicuius inſtar) copioſoque lacteo ſucco turgente. Hæc reperitur tum alibi tum maxime in Foreſta ſyluula Ienæ vrbi imminente, ſolo lapidoſiori firmiorique, ac in prato præterea quodam humectiori & herboſo agri Thuringici, iuxta pagū Ritnorthuſam, diſtantem ſeſquimilliaris ſpacio ab Erforda, inter nimirum irides tenuifolias copioſe proſiliens, natali pinguiori : vbi propter ſaporem ab aliquibus ex vulgo pro Gentiana oſtenditur : effodique ipſam non ſemel ibi præſentibus amicis noſtris quibuſdā cubiti longitudine. Cumq; γεροντοπώγων veterum, cui eandem, de ſtirpium hiſtoria præclare meritus Ruellius facit & Nicandri γέραος πώγωνα, ſolūmodo differat à Tragopogone radicis amaricie: omnino in eam ſententiam inducar, vt hanc Scorzoneræ ſpeciem, cui videlicet radix amara eſt, cenſeam eſſe γεροντοπώγωνα antiquorum verum. Nec puto multum reclamare poſſe vnicam illam notam quod τοῦ γεροντοπώγωνος folia deſcribantur eſſe tenuiora Tragopogonis, cum è contra illa in hac Scorzonera noſtra multo non in frequenter ſint latiora, (ea nēpe quæ radici ſunt viciniora) & nonnihil ſæpe breuiora. Facile enim contingere poterit, vt regionum & locorum ratione aut alterius in natura abdita cauſæ interdum quædam plantæ alibi latioribus folijs conſtent longioribusque, alibi ſtrictioribus ac breuioribus. Videmus namque hoc in multis ita obuenire & quandoq; etiam colorem floris mutari, qui tamen ipſam ſpeciem non mutat. Ita etenim Petaſites & Prunella minoribus folijs & cādidis florib. affatim reperiuntur circa Andersbergum, ac aliquibus in locis Harcyniæ noſtræ alcea tenuifolia ferè tantum naſcitur, vt è contra alijs latifolia, ſicut ſuis locis id annotatum eſt. Eodem modo in Marchia veteri ſymphytum maius tenuifolium reperitur in foſſis quibuſdam ſtagnantibus caule longiori rectioriq;, vt ſæpe vidimus. Præterea non vbiq; ac perpetuo latifolia vt dictum eſt nobis oc-

currit

currit noſtra Scorzonera, ſed & foliis longioribus ac ſtrictioribus. Eſtq; & hæc tenuifolia Scorzonera itidem duplex. Altera namq; flore eſt luteo, eaq; radicem aut dulciuſculam aut amaram nacta, pro natalium diuerſitate: altera vero flore ex rubro ſubcæſio ac folijs priori multo tenuioribus anguſtioribusq;, coliculo ſeſqui dodrantali, radice amariuſcula, quæ in collibus arenoſis non infrequens eſt circa Quedlinburgum Saxoniæ vrbem ac cliuoſis quibuſdam areis & apricis inter vineas nonnullas, nō procul ab Erfordo patria noſtra, in Ericetis adhæc Marchiæ arenoſo ſolo. Maiori porro antidotaria vi eam, quæ amariori eſt radice, exiſtimauerim eſſe præditam illam quæ dulci radice pronaſcitur. Verum hæc obiter hoc loco commonefacere, ſtudioſisque rei herbariæ dijudicanda relinquere libuit.

Struthiopteris Cordi. Radice hæc cōſtat craſſiſſima tuberoſaque, nōnihil fibrata, nigricante, cui circumcirca adnaſcuntur pediculi lōgi, cubitales, proceriores q;, ipſi radicis corpori ſquamatim quaſi inhærentes vngue latiori, nigricante, longo vncias duas, ſemunciam lato, canaliculato parum, inferius tamen anguſtiori & adunco, qui eleganter exprimit figuram inferioris partis inſtrumenti iſtius ferrei pharmacopœorū, ſpatulæ nomine ipſis appellati, quo nimirum materiæ ab ipſis dum medicamenta componuntur miſcenturque agitari counirique ſolent. Reliqua deinde pars quæ vnguem mox ſubſequitur, canaliculata imbricatur cauitate profundius. Pediculi exteriores frequentibus coſtis folioſis exornantur, quarū ſemp bina ad vtrūq; latus æqualiter ſibi contraponuntur: ſuntq; foliola in hiſce coſtis ſimilia prorſus foliolis filicis fœminæ ſupra indicatæ. Ac iſtis exterioribus pediculis color eſt in flauo ruffeſcens, ipſiq; aliquantulum molliori materia conſtant. Interiores vero ex ſpadiceo ſubnigricant & craſ-

ſiores

ſiores ſunt, multoque ex ſolidiori materia compoſiti. Horũ ij qui cæteris ſunt proceriores, inferiori loco abſque coſtarũ adminiculo, foliolis iſtiusmodi ad latera obueſtiuntur, qualia eſſe folia exteriorum pediculorum coſtis iam dixi: deinde vero poſt medium pediculi vſque in ſummum eius cacumen vtrinque coſtæ folioſæ frequentes ſurſum porrectæ in ipſis diſponuntur breuiores, neruo per medium dorſi ipſarum extrinſecus protuberante, coloris ſpadicei, coſtis ſingulis interiori parte imbricatis: folioſa vero pars ad latera ipſarũ continua ſerie vtrinque crenantur, quemadmodũ folia Scolopendrij veri: illæque crenis anguſtioribus ita inciſæ particulæ eleganti (vt ſic dicam) criſpatura verſus interiora recuruantur aut retorquentur, puluiſculum iſtiuſmodi etiam, qualis eidem eſt ſtirpi, denſe ac arcte ipſis adhærentem, interius ſibi includentes compræhendenteſque: vnde figuram aliquam iſta criſpatura conuoluta hæc folia quaſi pennarũ Struthiocamelorũ cum plumata ipſarũ incuruatione effigiare videntur. Cætera apud Cordum ſatis diligenter deſcribuntur, qui ipſe fatetur ſe integram plantam, vt quæ ſibi nondũ tota viſa eſſet, non adumbrare. Naſcitur autem non ſolum Gorslariæ ſed frequentiſſima eſt circa pagum Lutterdorfium in comitatu Honſtenienſi diſtantem mille paſſus ab Andersbergo. Hyeme non viret, vt tamen Geſnerus apud Cordũ exiſtimat, deceptus falſa opinione, qua putauit lonchitidem ſecundam ſeu aſperam, quæ eſt Aſplenion ſylueſtre Tragi, eandem eſſe cum hac Cordi Struthiopteride, ſicut & eius Icon ex Trago perperam iſti capiti apud Cordum præfigitur. Obſeruaui autem diligenter ſtirpem hanc montes faſtidire, & tantummodo in cõuallibus, ripis fluminum gaudere. Cumq; eius plantam Stolbergam translatam horto montano iuxta ſtillicidiũ loco vmbroſiore & humentiore committerem, feliciter quidem poſt hyemem renaſcebatur, ſed exteriora tantum folia

profe-

proferebat, interiorum ne rudimentum quidē edens, moxq́; media æstate emarceſcebat, vnde prorſus eam perijſſe putabam. Atqui cum poſt proximam hyemem denuo repullularet eleganter, ipſam ex horto montano in alium locum trāſtuli iuxta puteum, ita tamen vt ei proxime adiacuerit ſaxum excauatum amplum (quod aquas præſertim pluuias ad irrigationem mearū ſtirpium colligere ſolebat) ſemper aquis plenum. Hûc tranſpoſita iſta mea filix quaſi locum ſibi conuenientiorem poſt priorem tranſplantationem iterum nacta hac æſtate non ſolum exteriora produxit folia, ſed & interiora quoq;, quæ Struthionum pennis Cordus contulit. Vnde operæ precium fecerit is, qui Struthiopteridem veram Cordi horto ſuo ex natali ſolo traductam fouere voluerit, ſi commodum ei locum ſelegerit cui aqua ſit in propinquo. Cæterum male in ſubiecto capiti de Struthiopteride ſcholio Cordus caſtigatur, quaſi confinxerit dictionem ex Latino & Græco vocabulo contra eruditiorum conſuetudinem. Cum enim nō ſolum στρουθοκάμηλος ſed & στρουθιοκάμηλος rectè Græce pro Struthione aue dicatur, dictione compoſita, vt apud authores reperire licet: quare non etiam recte Cordus, vtpote vir Græcæ linguæ non triuialiter peritus nomen στρουθιοπτέριδος ex meris Græcis vocibus conſtruxiſſe putaretur?

T.

THALICTRVM nigrum Cordi, alias Saxifraga lutea. In pratis quibuſdam circa Stolbergam & Ilfeldam.

Thalictrum Dodonæi, ſeu Sophia, Welſamen / aut Seriphium Trági. Recte hoc Geſnerus propter ſaporem Naſturtijs annumerat in hortis Germaniæ, vnde forte naſturtiū μυριόφυλλον à multitudine tenellorū foliorū dici poterit. Circa loca habitata.

Tragopogon luteus communis, quandoq; ad ſemitas & in pratis.

Taxus in montibus calcarijs prope Vualckenridam.

Thlaſpeos generibus cognata planta præſertim quoad folia, ſiliquifera. Radix ei eſt parua, diuiſa, lignoſa, candida: in cuius ſummo folia prodeunt carnoſa, aſpera, vncias duas longa, ſemiſſem lata, in ambitu veluti leniter exciſa ſeu præroſa, in mucronem obtuſum deſinentia: ex medio horum exurgunt coliculi teretes, dodrantales, aſperi, folijs minoribus quam fuerunt priora & Cardamoidi Cordi Thlaſpei ſimilioribus, non tamen ita mucronatis, per continua interualla circumcirca obueſtiti, in cacumine coma racemoſa floſculis paruulis, candidulis, leucoij ſimilibus plena nutante, qua pereunte oblongæ ſiliquæ ſubſequuntur ſemine paruo Naſturtij alicuius inſtar, prægnantes. Hæc aliquomodo congruit (non tamen in omnibus) cum illa Anglorũ Prouinciali planta, quam inter Sinapi & Thlaſpi mediam faciunt.

Thlaſpi Matthioli tertium, radice ſcilicet candida, craſſa: folijs leucoij ſatiui, cinereis: caulibus rotundis, ſcabris: florum corymbis albis: ſeminibus in mucronatis, cinereis, & veluti inflatis veſiculis ſimilibus capitulis Camelinæ. In locis aridioribus. [Paſſim quoque naſcitur apud nos hoc Thlaſpi, ſed videtur parum congruere cum Matthioli pictura III. Thlaſpeos, quod in ſaxoſis naſci ipſemet aſſerit: hoc vero nunquã eiuſmodi locis inueni, ſed potius circa ſepes & alibi ſtrigoſo gramine obductis areis. Ideo in noſtra editione, omiſſa Matthioli ſaxatilis Thlaſpeos icone, aliam ſubſtituimus ex ipſa plantula depictam, quã antehac nemo, vt arbitror, exhibuit, donec Matthiolæũ illud Thlaſpi nobis quoq; innoteſceret.]

Thlaſpios minima ſpecies, quæ radice conſtat tenui, ſuperuacanea, foliola in ſuperficie terræ reclinata habens, parua, acuminata, in ambitu leuiuſcularum inciſionum impreſſiones admittentia, aſpera, ac nonnihil hiſpida: coliculos vero digitali lõgitudine aut nonnũquam palmares ſingulares vtplurimum,

teneros,

teneros, paucis foliolis donatos: ac breui candidorum flosculorum corymbo, capitulis item priori speciei similibus, quibus includũtur semina exigua, rubẽtia, plurima. Oritur mox veris initio in collibus aridioribus & saxis item. Sæpeq; adeo plantula hæc pusilla est, vt tota eius proceritas vix vnciæ longitudinem excedat. Conuenit hæc folijs præsertim, vt & floribus, prorsus cũ pilosella siliquata nostra minori, cuius superius meminimus, hoc solummodo ab ea diuersa, quod illa in siliculis semina ꝓferat, hæc vero in turgidulis mucronatisq; capitulis. Ideoq; vtranq; cognoscere cupienti diligentius ad vtranq; attendendum erit, ne alteram pro altera accipiat.

Tilia syluestris seu montana: circa Ilfeldam ac Stolbergam.

Tussilago, passim.

Trichomanes nigrum, vulgare videlicet illud, quod communiter Saxifragiam rubram vocant: id nigrum appello propter sequentis differentiam.

Trichomanes candidum, exigua tenellaque admodum plantula, trichomani nigro similis coliculo, qui ipsi breuior candidiorq; est, & folijs etiam, quæ candidiora itidem obtinet, teneriora, molliora, & quasi rudimentum quoddam semiperfectum trichomanis teneritudine sua referentia, quod videlicet à natura nondum sit in perfectæ stirpis κατάστασιν plene traductum. Nascitur hoc in vliginoso musco passim, facileque diligentius singula perscrutanti obuium est.

Trifolium acetosum, ὀξυτρίφυλλον. passim locis humidioribus & ad radices arborum antiquarum.

Trifolium pratense vulgare, Fleischblumen/Klee/ alterum flore rubro, alterum flore candido.

Trifolium aliud montanum, etiam satis vulgare, folijs oblongiorib. acute mucronatis. Hoc duplex est. Maius, quod cauliculos erigit dodrãtales, folia cõtinentes in oblongiorib. pediculis tria simul cohærẽtia, vnciarum trium sæpe longitudine mu-

 cronata,

cronata, in ambitu neruulorum suorum extremitatibus eleganter veluti striata, florem purpureũ in oblongiori quasiq; spicato capitulo. Diuersum ab hac specie non admodum est trifolium spicatum, quod à Trago pro Cythiso habetur, cui folia multo longiora sunt, & spicata florum series quoque prolixior, qua saltem nota distingui potest à priori. Prouenit vero auff der Langen.

Minus breuioribus cõstat coliculis & folijs & capitulis etiam, estq; flore quandoq; purpureo, quandoq; candido. Proueniunt omnia vt plurimum in montibus apricis, nonnunquam etiam in pratis.

Trifolium luteum primum, capitulo scilicet breuiori. Duplex hoc est: Maius enim coliculos profert dodrante maiores, folia paulo maiora, rotundioraq;, florum luteorum capitulũ breue, post quod semina racematim exhibet in rotundioribus paruisque vtriculis.

Est vero hoc Melilotus minor Tragi, ac Lotus syluestris minor Dodonæi. Minus suffruticans ferme est, viticulis multis, exiguis, gracilibus & striatis in terra direptans, quosdam etiam dodrantali altitudine erigens, folijs breuioribus, humani Cordis ferè (qua nempe figura vulgo pingi solet) aliquam similitudinem exprimentibus, ac pulchre suis neruulis striatis. Capitulis florum & racemis seminum ijsdem est cum priori. Reperitur in pratis aridioribus, marginibus, ac secus vias. Videtur autem trifolium luteum minimum Anglorum, aut idem cum hoc esse, aut tamen eiusdem generis.

Trifolium luteum alterum lupulinum, quod sic denominari poterit à capitulo florum, fructum lupuli imitante, vnde & vulgo lupulus syluaticus nominatur. Assurgit coliculis vitigineis, lentis, dodrantalibus, folijs pratensis Trifolij minoribus: flores in capitulo squamatim compactili, luteo exhibet,

exhibet, lupuli ſalictarij fructu, vt dixi, ſimili, ſed minori.

Trifolium odoratum primum Dodonæi, ſeu Melilotus vulgaris, flore tam citrino, quam candido.

Trifolium corniculatum primum Dodonæi, D. Laurentio Hiel olim meliloti pentaphylli nomine dictũ, quod iuxta ſingulos trifoliati folij pediculos bina adhuc ad coliculum aut brachia ſtirpis eius foliola conſtituantur. Lotus vero ſylueſtris maior Dodonæi in iconibus To. 11. ac Melilotus nobilis Tragi.

Trifolium corniculatum Dodonæi alterum, tertia Meliloti maioris ſpecies apud Tragum, coliculos folioſos emittens, cubitales: tenues: folia trifolij ſed anguſtiora: flores luteos paruos in conferta veluti breuioriq; ſpica: ſiliquas cornu modo incuruas, vnciales ferè.

Trifolium paluſtre, ſeu Trifolium Caſtoris, Iſopyron Dodonæo, alias à Cordo olim amicis in ſuis herbationibus pro Limonio vero exhibitum, quod nempe irriguis pratis & conſimilibus locis gaudeat, à quibus Limonio ſuum apud Græcos nomen antiquitus obtigit. Hoc florigerum paucis ab hinc annis reperiebatur in Haynfeldo loco montano, pratenſi, vliginoſo, Stolbergæ vicino, ſed floribus ipſis abſque ſeminibus euaneſcentibus vna cum ſuo coliculo, cui inſederãt. Ipſum præterea ſterile prorſus abſque videlicet ſemine & flore in quodam prato non procul à Vuernigeroda reperitur. Seminiferum rurſus copioſe conſpicitur abſque floribus circa pagum Dectingerodam, non admodum multum diſtantem à Vuernigeroda. Tragus idem Limonij pratenſis nomine deſcribit, ſed apparet ipſum incidiſſe in locum vbi ſtirps hæc florifera quidem fuerit, ſed floribus eius abſque fructu intercidentibus, vnde ipſe exiſtimauit nullum herbæ huius fructum prorſus eſſe.

Tanacetum citrinum, locis pluribus apricis, cliuoſis, in conuallib. itẽ quibuſdã et ſecus fluuios, non procul à locis inhabitatis.

Tanacetum album ſeu ἄοσμον, quo ad caules & folia citrino prorſus ſimile, in floribus autem diſſimile, quos videlicet exhibet ſatis magnos, bellidis ſylueſtris floribus in omnibus reſpondentes, eodem nimirum modo forinſecus orbiculatim, capitulum luteum intus conſtitutum rotundiuſculeq; protuberans, foliis oblongis, candidis circumambientibus. Paſſim locis cæduis ac alijs locis apricis montanis.

Tormentilla, paſſim.

Tithymali quoddam genus, caulibus folioſis, ſimplicibus, non brachiatis ſeu Tithymalus στικτόφυλλος, quod ſic nominare ſoleo, cum alio peculiari conuenientioriq; nomine ipſum hactenus vel denominatum vel deſcriptum ab aliquo, neſciam, quia vt iam dicetur, foliola mire punctellis notata continet. Duplex hoc eſt. Maius caules emittit ex vna radice forinſecus rubente multifida, plures, ſeſquipalmares, teretes, cauos, glabros, cacuminibus ſuis deſuper nutantes aut recuruos, foliolis oblongiuſculis per interualla continua circumcirca eoſdem ambientibus, lenticulæ ferè figura, craſſis, coloris ſufflaui, aſperis parte inferiori ob crocata punctella, quæ plura inſtar macularum vel potius ſtigmatum exiguorum protuberantia leuiter, ibi continentur, ſuperiori vero læuiore, viridi. Naſcitur in apricis aſperisque locis, itē circa prata quædā aridiora ac ſemitas etiam nonnunquam. Minor coliculos obtinet teneriores, breuiores, palmares nimirum, foliola itidem multo minora ac tenuiora, ſextulam dimidiam non multum latitudine excedentia.

Tithymalus cypariſſias paſſim.

Tithymalus leptophyllus Matthioli, plantula videlicet fruticoſa, radice parua, diſtorta, lignoſa, inutili ferè: caulibus palmaribus, plurimis, brachiatis, & late nonnunquam diffuſis: foliolis numeroſis, oblongis, quorum inferiora lenticulæ ſimiliora ſunt, ſuperiora autem ex paulo latiori veluti baſi, (qua

nempe

nempe coliculis & ramulis ipsa appenduntur) incipiunt, & in tenuem acutumq; mucronem paulo longiuscule diducuntur: semine in capitulis triquetris, paruis, oblongiusculo, griseo, papaueris candidi seminibus maiori. Ob exiguam quandam cum lenticulæ folijs similitudinem quibusdam rei herbariæ indagatoribus hoc genus pro Chamæsyce habetur. Attamen cum eius foliola à terra attollantur, & suis mucronibus sæpe sursum erigantur, ramulos etiam non in terrā deiectos, hæc stirps habeat, & prætera flores producat, chamæsyce esse nequit. Nec etiam Peplis esse poterit, quod cum Peplis foliis nihil similitudinis obtineat. Prouenit circa loca habitata. Est vero Esula exigua apud Tragum ac eidem putatur esse peplus.

Tithymalus helioscopius Dodonæi. Sed rarior, caulibus dodrante altioribus, mucronatis, non crenatis, sescuntiali longitudine, vncialique fere latitudine.

Tithymalus dendroides Dodonæi , Trago Esulæ tertia species, Esula vulgaris ipsi dicta ac Helioscopius existimata, sicuti & Matthiolo quoq; ac Anglis: foliis rotundioribus, in ambitu crenatis, quorum quinque circa summum cauliculorum ac brachiolorum cohærent sibi quasi connexa vnguibus, ac in orbem explicantur, ex quorum medio deinceps aliquot pediculi prodeunt itidem consimilia folia quinq; vel quatuor vel tria in fastigio suo collocata habentes, exq; horū centro denuo exigui pediculi & tenues prosiliunt, tres vt plurimum flores luteos, foliaceos continentes. (Dodonæus in vetusta Iconum editione Dendroidis loco hunc Tithymalum depinxit, quam postea mutata sententia rectius vna cū plerisq; eruditioribus Helioscopium nominauit.)

Tithymali Characiæ species radice rubicundo cortice obuestita: caulib. vitigineis, flexibilib. ac procumbentib. foliis Amygdalinis, rubētib. sextātē lōgis, sescūtiā vero latis: ex alis folio-

rum

rum longiusculos, tenellosq; ac flexiles pediculos emittens, in quibus peltata ac concaua folia cõstituuntur, inter quæ in exiguis petiolis flores lutei primo vere eleganter conspicui prodeunt. Hunc Characiæ Anglici ac Francici nomine recensent Angli doctissimi in sua Aduersaria.

Huic consimilis quodammodo alia species, radice tenui transuersali, modice cirrata, inutili: coliculis dodrantalibus, procumbentibus, tenuibus admodum flexibilibus, qui in summo folijs obuestiuntur priori multo breuiorib. vncias duas longis ac minoribus etiam, vnam vero vix latis. Florere hanc speciem non vidi: ac rarior est inuentu. Reperitur autem nonnunquam in montibus non procul ab Osteroda vrbe.

Alia rursus huic generi quodammodo consimilis species, caulibus rectis, dodrantalibus, qui paucis folijs donãtur, sextantali longitudine, vnciali latitudine, quibus consimilia in summo quinque alia vnguiculis sibi cohærentia in orbem explicantur, ex quorum medio petioli sex erumpunt breues, minoribus exornati foliolis, sub quibus semina in vasculis triquetris contineri posteaquam defloruit, non dubito, quãuis cum flore mihi herba hæc visa non sit. Iisdem montibus cum priori gaudet, rarissima & ipsa inuenitur.

Tota bona Dodonæi, seu Bonus Henricus, herba videlicet ex Atriplicum ac Rumicum generibus intermedij quid obtinens.

V.

VALERIANA *syluestris maior*. Copiosa montibus opacis & locis humidioribus ac secus riuulos, Quandoque hæc solo feliciori reperitur folijs latioribus.

Valeriana minor seu palustris, ad riuulos quosdam & circa fonticulos nascens, aliaq; loca scaturientia ac vliginosa.

Verbascum

Verbascum nigrum latifolium, folijs amplis, nigricantibus, aliquã-tum procumbentibus, scabris, thyrso oblongo, floribus ex citrino purpurascentibus referto, passim. Alia huius species, flores ex flauo candidulos obtinens, frequens in montibus quibusdam circa Gerenrodam versus meridiem sitis. Reperi & alibi hoc genus ad Harcyniam flore prorsus candido.

Verbascum album mas, seu Candela regia dicta, aut Thaspus barbatus.

Vincetoxicum, in montibus apricis, soliq; expositis, circa Vuernigerodam & Gerenrodam potissimum.

Vitis Idæa nigra maior, frutex sarmentosus, folijs buxeis, fructu maiori, quam sequens species, dulcis vinosiq; saporis. Plurima reperitur in Broccenbergo.

Vitis Idæa minor, passim: cuius nempe fructus vulgo Myrtillos vocant. Vaccinia nigra Dodonæi.

Vitis Idæa rubra, seu Vaccinia rubra Dodonæi. Hanc stirpem olim Aemilius existimabat esse Rhun Plinianum minorem. Vulgo apud nos Kränbeer vocant, Nariscis vero Rote Preisselbeer dicitur, quorum syluæ hoc frutice refertissimæ sunt. Copiosissima est circa Vuernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus: item circa Vualckenridam, Gerenrodam, alijsq; locis quampluribus.

Virga aurea. In hac planta solet natura varie ludere. Nonnunquã enim ei folia sunt longiora, nonnunquam latiora, nonnunquam item breuiora: omnia tamẽ serrata & à se inuicem non multum distantia.

Est & alia virgæ aureæ species nigricans, communiori simillima omnino, ijsdem folijs, nisi quod ea nigriora sint.

Virga aurea Broccenbergensis, hæc breuiori est caule, folijs item paulo strictioribus ac nigrioribus, alias tota facie Virgæ aureæ vulgari similis.

Verbena, iuxta Gerenrodam.

Viola tricolor, ſeu ſepticolor, vt etiã Geſnerus quandoq; appellat, alijs Iacea ſylueſtris dicta, ſeu Viola flammea. Spontanea eſt in monte quodam prope Ilfeldam & circa Stigam in agris.

Viola Martia ſylueſtris. Hæc diuidi poterit in maiorem cui videlicet folia ſunt maiora, & rotundiora: ac minorem, cui folia ſunt mucronata, oblonga ac ſtrictiora.

Viola calathiana ſeu autumnalis prima. Hæc non eſt ea cuius iconem Dodonæus exhibet: ſimplicioribus enim noſtra conſtat coliculis: floribus oblongis, cauis, hiantibus, calathi figura, in orifico in tenues lacinias ac ſubhiſpidas diuiſis, cæruleis: radicula exigua inutili. Eſtq; Pneumonanthe Cordi. Apud quem autem non huius primæ ſpeciei (quam ibi tamen autor cum ſequenti τῇ πολυανθέμῳ noſtra mixtim deſcribit) icon ponitur, ſed tertiæ, à Dodonæo, Anglis ac Matthiolo deſcriptæ, quam quidem in Harcynia nondum reperi, verum eam copioſam in quibuſdã humidioribus pratis veteris Marchiæ ac in Vuageta ſeu vua vueyta ſylua prope Erfordam ſæpe vidi, in Hausbergo vero Ienæ, vnde ſuam Cordus legit, nunquam: Veruntamen primam ſpeciem creberrime. Ei radix eſt non lignoſa, inutilis, ſemeſtris & tenuis, vt in ſua Cordus requirit, adde & ſingularis, ſed in plures appendiculas oblongas, mediocres, perennes, admodum Gentianæ modo amaras diuulſa, de qua exiliũt coliculi viticulares, ſingulares vt plurimũ, quãdoq; etiam plures ac brachiati, teretes, ſeſquicubitales interdum, geniculis interſtincti, ex quibus prodeunt bina ſemper ex aduerſo ſibi oppoſita folia, oblonga oleæ folijs adſimilia, ſed minora, ſextantis ferè longitudine, ſemuncia autẽ paulo latiora, viridia, ſplendẽtia, glabra: floresq; ei ſunt prioris ſpeciei maiores, ſed minus paulo hiantes, diuiſi quidẽ verũ nõ in laciniatas particulas diuulſi, ex ſaturatiore autẽ cæruleo eleganter punicantes. Vocant hanc gülden Aurin in Marchia & præclaras ei vires in ſanandis pulmonum affectionibus ac hepatis

patis etiam aſcribunt. Hanc autem vt dixi in Harcynia nondum obſeruaui: puto tamen alicubi in ea inueniri forte poſſe.

Viola calathiana altera ſeu πολυάνθεμος. Hæc conſtat radice lignoſa, candida, inutili, varie diſtorta, parua: coliculis dodrante minoribus, ſæpe ſeſquidodrantalibus, nonnihil angularis, ſarmentoſis, geniculatis, brachiatis, binis ex ſingulo geniculo folijs mucronatis, vnciali longitudine, ex cæſio nigricantibus.

Hæc ſpecies in ſummitate caulis ac brachiorum pediculos plures, oblongiuſculos exerit (ſicuti & ex alis foliorum, licet pauciores) quibus continentur flores caui, oblongiuſculi, calathi figura, in laciniatas particulas diſrupti ſuperne, coloris ex pallidiore cæruleo ſubrubentis veluti leniter, odoris nauſeoſi ſeu viroſi. Rarius flore prorſus candido ſeſe offert. Eſt vero alioquin priori multo frequentior, paſſim locis cliuoſis ſub autumnum obuia.

Volubilis maior, Smilax læuis, ad ſepes, & inter dumeta.

Volubilis minor: in locis aruenſibus montanis.

Volubilis media ſeu nigra, Helxine ciſſampelos: frequentiſſima in ſyluis cæduis inter gramina luxurians.

Veronica mas floſculis ſubcæruleis paſſim, Eadem floribus candidis prorſus, ſed infrequentior.

Veronica fœmina, locis vdis & alias ſolo pinguiori.

Vrtica maior paſſim. Minor iuxta loca habitabilia. Eadem caule cubitali & ampliori, brachiato, folijs paulo minoribus & nigrioribus, alias nihil differens.

Vrticæ fatuæ ſupra nomine Galeopſidis indicatæ.

Vrtica fatua ſylueſtris aculeata, ſeu ἀκανθοσπόνδυλος, *ſeu Lamium* ἀκανθοσπόνδυλον *maius*. Caulibus aſſurgit quadratis, ramoſis, hiſpidis, bicubitalibus, folijs hiſpidis, nigricantibus, mucronatis, trientali longitudine, quadrantali latitudine; reliqua minora

exiſtunt ſextantali longitudine, ſeſcuntiali latitudine. In ſummo continentur verticilla longioribus aculeis horridiora, inter quæ emicant flores rubicundi. Altera minor eſt ijſdem folijs, paucioribus, breuioribus, verticillorum minoribus aculeis. Semen hiſce eſt cannabino ſimile, non prorſus rotundum, ex protuberante ventre in mucronem deſinens, fuſcum, maculatum. [Cannabis ſylueſtris Lobelij.]

Vrtica fœtida maxima πορφυράνθεμος, Heraclea Tragi, caule bicubitali, quadrangulo, hiſpido, ramoſo: folijs amplis, trientem longis, quadrantē latis, hirſutis. Verticilla in oblōgiore ſcapi ac brachiorum ſerie profert per interualla rariora, ex quibus flores purpurei emicant.

Vrtica fatua incana, Lamium incanum. Præcedenti ſimile eſt, folijs tamen nō ita amplis, piloſis, inferius incanis, denſa & molli obueſtitis lanugine: caulibus quadrangularibus, obliquis, procumbentibus, breuioribus, vnde & reptile ferè eſt locis aſperis, apricis.

Vrtica fatua λευκόστικτος, radice denſa, multifida, fibroſa: coliculis pluribus, quadratis, ſeſquipalmaribus, hiſpidulis, humi direptantibus, in terra facile compræhendentibus ac nouos ſurculos edentibus ſubinde: folijs rotundioribus, mucronatis tamen, ſextantalibus ferè, ſerratis, quæ albis maculis frequēter inſigniuntur. Qua de cauſa puto ipſam eſſe, quam Solenander in quodam conſilio Lienariam ſeu Milzadellam vocat. Paſſim, locis cæduis potiſſimum ac alias etiam in ſyluis frequens inter coryleta.

Huic conſimilis in omnibus ſpecies alia, folijs hirſutioribus.

Vrtica fatua aquatica. Lamium πολύμορφον aut πολύχροον. Caulibus aſſurgit quadratis, hirſutis, brachiatis, cauis: folijs mucronatis, vnciarum quatuor longitudine, duarum latitudine, hiſpidis: flores ex verticillis emittens verſicolores, luteos maiori

ex parte

ex parte & nonnihil rubicundi ac cærulei continentes, elegantes. Nascitur ad riuos, ad piscinas, in montibus opacioribus & alias, locis humidioribus. Forte idem est Lamium luteum Anglorum.

Viscum, in pomis syluestribus passim. In Corylis ac oxyacantha Matthioli rarius. Vidi & in iuglande, in horto monasterij Ilfeldensis.

Vlmus. prope Stolbergam.

X.

XANTHION *seu Lappa minor*, iuxta loca habitata.

Xylosteon Dodonæi, passim in montibus vmbrosis.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD IOHANNEM FEYERABEND, IMPENSIS SIgiſmundi Feyerabendij, Heinrici Dackij, & Petri Fiſcheri.



M. D. LXXXVIII.

ICONES ACCVRATAE NVNC PRIMVM DELINEATAE PRAECIPVARVM STIRPIVM, QVARVM DESCRIPTIONES tam in Horto quam in Sylua Hercynia suis locis habentur.

AVTORE IOACHIMO CAMERARIO
Reipub. Norimberg. Medico D.



Impressum Francofurti ad Mœnum.

M. D. LXXXVIII.

Abutilon Indicum. Hort. Pag. 3.



Imago hæc ex altera parte florem, ex altera ſemen cum ipſius conceptaculo appicta oſtendit.

II.

Aizoon peregrinum. Pag. 7.



Pingitur hic tam nouellum quam adultum, & ſeparatim quoque floſculus iuſtæ magnitudinis, & ſemen ex vaſculo ſuo excidens.

Alcea

Alcea arborescens. Pag. 9.



Plantulam hic exhibemus, qualis apud nos enata fuit ex semine. Florem vero communicauit CL. Vir D. Rauvvolfius.

Alcea arborescens. Pag. 9.



Ramus hic adiectus est, ne adultæ plantæ imago foliorum acumine aliquantum varians desideraretur. Acceptum autem ferimus & hunc CL. Viro D. Rauvvolfio.

Aloe America. Pag.10.



Huius altitudo ex appicti floris quantitate medſo-
criter conijci poteſt. Accurata deſcriptio extat apud
Cæſalpinum. Nos iconem dedimus, cum à nemine
hactenus depicta fuerit.

Althæa

VI.

Althæa Thuringica. Pag. 12.



* Folium ex flore decerptum, † ſemen, Y Radicis craſſitudo denotatur vt integra plantæ ſtatura nonnihil hinc æſtimari liceat.

Aphyl-

VII.

Aphyllanthes Anguillaræ. Pag.18.



Petrus Pena ſolus hanc plantam Globulariæ nomine delineauit, ſed nonnihil accuratius geminam ipſius differentiam Geſnerus expreſſit, qualem ex imagine ſubiecta contemplari licet.

VIII.

Auricula muris. *Pag.24.*



† Floſculorum alter ſimplex depingitur, * alter, (quod frequenter admodum contingit in hac planta) in geminos quaſi detortus. Adijcitur quoque ſeminis folliculus integer, & alius diſſectus vt grana intus latentia intueri poſſis.

Barba

IX.

Barba Capræ. Pag. 26.



Vnus Tragus hanc depinxit, & ex hoc poſtea omnes tranſtulerunt. Nos aliquantum emendauimus & ſemen adiecimus hac nota † inſignitum.

X.

Carduus lacteus Syriacus. Pag.35.



Quod noſtræ plantæ, cuius in horti catalogo meminimus, deerat, ex D. Rauvvolfij ſicca ſuffecimus. Proportio vero totius ad hanc imaginem erat quadrupla.

Cauca-

XI.

Caucalis Hispanica. Pag.37.



Flosculi seorsim tantilli exprimuntur, quanti reuera sunt, quemadmodum & semen hic ostenditur quantitate iusta, vt inde tota planta æstimetur.

XII.

Corcorus. Pag.47.



In Lobelij herbario integre proponitur. Deſunt tamen ſemina & foliorum barbulæ, quæ tali figura expreſſimus.

Geniſta

XIII.

Genista Sagittalis Pannonica. Pag.64.



Hic indicatur 1. tota planta, 2. foliorum & 3. florum mediocris quantitas.

XIIII.

Genista transalpina. Pag. 65.



Ex flore & siliquis seorsim effigiatis integræ stirpis mensura facile haberi potest.

Gentia-

XV.

Gentianella elegantiſsima Bauarica. Pag. 65.



I. Maiuſcula eſt & radiculis reptantibus prædita.
II. Minor, folijs breuioribus & rotundioribus. Folia floris quina ſunt, rarius ſena.

XVI.

Gingidium. Pag. 67.



Extat etiam icon apud CL. D. Rauvvolfium, ſed elegantiſſima ſemina ibidem nimis confuſa & obſcurata negligentiam pictoris arguunt.

Halica-

XVII.

Halicacabum siue Solanum Indicum. Pag. 70.



Inferiore parte flores duo appinguntur, alter supinus, & alter pronus è suo conceptaculo vulsus. Deinde etiam fructus inuolucro suo amictus & eodem exutus, nec non dissectus vt semina appareant, quæ & ipsa separatim apposita visuntur.

XVIII.

Heſperis Pannonica. Pag. 74.



Flos & ſiliqua valuulis apertis, & ſeorſim appoſitum ſemen hic oſtenduntur.

Heſpe-

XIX.

Hesperis Syriaca. Pag. 74.



Pingitur floribus & semine onusta. Nam antequã caulescat, foliorum longe alia facies est. 1. Flosculi mediocris quantitas, 2. tertia siliquæ pars & semina intus contenta integræ plantæ staturam innuunt.

XX.
Hesperis Syriaca ſiue Leucoium marinum
D. Rauvuolfij. *Pag. 74.*



Hanc Tripoli ſpontaneam inuenit ille, & me quoque aridę plantę fecit participem. Videtur autem ob locos natales & exiccationē nonnihil ſtrigoſior præcedente, alioquin parum diuerſa. Ideoq; ex aduerſo illi collocaui, vt aliorum de ea ſit iudicium. Hyoſcya-

XXI.

Hyoſcyamus Syriacus. Pag.77.



Ipſa planta plerunque huius iconis quantitatem quater in ſe continere depræhenditur.

Hyoſcya-

XXII.

Hyoſcyamus peculiaris. Pag. 77.



Florum alter ſuo calyce hærens, alter euulſus hic monſtratur, nec non ſeminis vaſculum, membranaceo munimento diſſecto, & amoto operculo.

Lauro-

XXIII.

Laurocerasus. Pag. 86.



Arbor hîc exigua pingitur. Flos autem, quorum plures racematim naſcuntur, & folium, fructusque diſſectus cum nucleo exempto mediocrem magnitudinem præ ſe ferunt.

XXIIII.
Leucoion Marinum. Pag.87.



Flosculi, & semen in cruciformibus siliquis nec non folium iustæ magnitudinis vna cum totius plantæ pictura oculis hic subijciuntur.

XXV.

Lotus peculiaris siliquis ornithopodij. Pag. 91.



Flosculus, folium & siliqua cum semine natiuam quantitatem liquido demonstrant.

XXVI.

Lotus pulcerrima tetragonolobus. Pag.91.



Ex adiectis particulis patet foliorum, florum & ſeminum magnitudo. Siliquæ additur granum integrum vnum, & alterum diſſectum.

XXVII.

Medica Arabica. Pag. 97.



Seorſim depinguntur floſculi, folliculi & ſemen magnitudinem genuinam præ ſe ferentia.

XXVIII.

Medica marina. Pag.98.



Hanc admodum exquisite C. Clusius in Hispanicis obseruationibus delineauit. Nos hic exprimere voluimus flosculos & semen cum suis corniculis, & præterea discrepantiam ramulorum, qui dum nouelli sunt flosculos & folia maiuscula edunt, per ætatem vero cum ijsdem subinde minuuntur.

Melilo-

XXIX.

Melilotus Jtalica. Pag.99.



*Foliorum maxima & media quantitas hinc euidens existit, vt & Flosculorum seminumque ex adiectis portiunculis. Videmus in quibusdam vasculis bina in reliquis vnicum tantum granum contineri.

Melissa

XXX.

Melissa Fuchsij. Pag. 99.



Prȩter C. Clusium in obseruationibus Pannonicis nemo hanc satis accurate depinxit. Ideo nostram quoque Iconem hic proponere voluimus, addito flore & semine cum suo folliculo.

Nastur-

XXXI.

Nasturtium Indicum. Pag.105.



Hæc eſt vera imago eximiæ huius plantæ, qualem ad viuum ab induſtrio pictore exprimendam curauimus.

XXXII.

Flores & semina Nasturtij Indici. Pag. 105.



Quia in icone diminuta necessario quædam obscuriora redduntur, flores & semen cum triquetro vasculo iusta quantitate noluimus desiderari, nec non folia superiora quæ inferiorum nonnunquam vix sunt pars septima: vt hinc metiri facile totam proportionem queas.

Ocimoi-

.IXXXIII.

Ocimoides fruticoſum. Pag. 109.



Iuxta integram ſtirpem collocatum cernis florem integrum & folium floris cum ſtamine annexo euulſum. Seminis item racemulum, & grana ſeparata, & pericarpium integrum.

XXXIIII.

Ocimoides noctiflorum. *Pag. 109.*



Hic quoq; depræhendes capsulam seminis, & racemulum, cum excidentibus granis.

XXXV.

Orchis radice repente. Pag. 111.



Flosculi appicti sunt conuenienti magnitudine, vt & vasculum è quo semina puluisculum referentia excidunt.

XXXVI.

Palma. Pag.116.



Hac forma ex ſui oſſis parte, quæ rimæ opponitur, enaſci ſolet Palmæ germen, & primo in radicem deſcēdere, mox ſurſum protrudere quoq; folium. Pingitur autem os oblongius, quale eſt dactylorum Alexandrinorum.

Perfo-

XXXVII.

Perfoliata crispa seu muscosa. Pag.120.



Segregauimus florẽ huiusmodi crispum seu muscosum ex reliquis, & rursum ex hoc pusillum flosculum, vt distinctius omnia contemplanti apparerent.

Perfo-

XXXVIII.

Perfoliata montana. Pag.120.



Conſiderandi ſunt hic floſculi conglomerati in ſuo foliaceo cōceptaculo aduerſa & auerſa parte expreſſo, ijdemq; ſeparatim adiecti, & ſemina denſe ſtipata, nec non ſeorſim pictum granum.

Phaſeo-

Phaseolus Ægyptius. Pag.124.



Folium, flos, ſiliqua & ſemina adiuncta de totius plantæ ſtatura coniectanti auxilio ſunt.

XL.

Quamoclit. Pag. 135.



Inferiore parte adiectum vides folliculum integrum, & alium effractum, ſemotas quinque laminulas, & exempta ſemina quina. Nimis vero tenella hic planta depingitur, ideoque aliquando pleniorẽ imaginem vulgabimus.

Roſa

XLI.

Roſa Hierichuntica. Pag. 147.



Exhibemus plantam nouellam & adultam. Appoſuimus & aridam in ſe conglobatam, qualis vulgo vēditur. Folium, floſculi, & ſemina cum ſuis vaſculis parte ſuperiore in conſpectu ſunt.

XLII.

Rosa Hierichuntica alia. Pag. 147.



D. Leonardus Rauvvolfius hanc nobis communicauit in Syriæ ruderibus collectam.

Scro-

XLIII.

Scrophularia peregrina. Pag.157.



Flosculi è suo conceptaculo euulsi, parte anteriore & posteriore, & vnus eidem adhuc inhærens, denique semen cum suo vasculo distincte hic notari possunt.

XLIIII.

Sesamum verum. Pag. 159.



D. Rauvvolfij munere hic spectatis flores genuinos, quorum alter discissus pingitur, vt stamina intus latentia in conspectum veniant. Vasculum quoque dimidium & apposita semina.

Sphæro-

XLV.

Sphærocephalus annuus. Pag.163.



*Echinati capitis portiunculam hic aſpicis, cui floſculus inhęret, & † eundem floſculum nudum, ſeminis rudimento inſidentem, inferiore autem parte ſemen maturum, cum hirſuto munimento quo continetur & quem continet, nucleo.

Tra-

XLVI.

Tragos. Pag.171.



Præter integram plantam, floſculi, fructus & ſemina in hac imagine conſpicua ſunt.

Trifo-

Trifolium Halicacabum. Pag. 171.



Quanta ſit planta colligere licet ex folio, flore, folliculo, ſiliquula intus abſconſa eademque exempta, & ſemine, quæ ſingula ſeorſim picta in conſpectu ſunt.

Hercyniarum ſtirpium Icones.

I.

Aſtragalus Syluaticus. Pag. 7.



Folium vnicum & ſiliqua cum ſemine de totius plantæ quantitate teſtantur.

Cony-

Conyza maior altera. Pag. 21.



Folium mediocris magnitudinis & flos, vno foliolo & pusillis intus flosculis euulsis appicta visuntur.

III.

Conyza maxima ſerratifolia. Pag.21.



Huius quantitas diligenter in deſcriptione indi-
eatur.

Cerui-

IIII.

Ceruicaria maior tenuifolia. Pag. 32.



Flos tantum adijcitur. Semen est idem quod reliquarum huius generis plantarum.

V.
Geranium saxatile. Pag. 44.



Pingitur quale per hyemem ſine caule durat, & oſtenditur integra quoque planta, flore & ſemine onuſta. Particulatim etiam flos & ſemen addita conſpiciuntur.

Oro-

VI.

Orobus Syluaticus vernus. *Pag. 80.*



Folium, florem, ſiliquas & ſemen ſeparatim appinximus.

Pilo-

VII.

Pilosella siliquata. Pag. 84.



Triplex hęc pingitur. C. non describitur ab autore sed his à Gesnero vt cognata fuit adiecta. D. Minor species à qua parũ discrepat maior quemadmodum descriptio ostendit. E. minima, de qua vide Lobeliũ.

Rapun-

VIII.

Rapunculus Syluestris vmbellatus. Pag.94.



Huius tres differentias hic depinximus congeneres ijs quas autor descripsit, quamuis non easdem.

IX.

Salſirora, ſiue Rosſolis. Pag.116.



Duplex hic varietas obſeruari poteſt. 1. Maſculus breuior eſt ac totus rubet. 2. fæmella, vbique notiſſima.

ΕΙΣ ΚΗΠΟΝ ΙΑΤΡΙΚΟΝ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣΟΦΙΚΟΝ.

Ἦ καλὸς οὗτος ὁ κᾶπος, ὅκου καλὰ τόσσα πεφύκει·
　ἄνθεα πορφυρέας ἄυλακος ἀγλαΐα.
Ἦχι καὶ ἀλθήεντα τόσων ἀλκτήρια ποιαὶ
　τοσσάπαι καπυρὰν ἐξανιᾶσι πνοάν.
Μύεια τ' ἀλλοδάπων χθονὸς οὐ πρὶν ἐθήμονι κόλπῳ
　βλάστων καὶ ξενικῷ θάλπεται ἀελίῳ.
Ταῦθ' ἅμα κἀτέρου πόνος ἠδ' ἄμπαυμα τέτυκται,
　ἀλλὰ τάδ' ὅσσα βλέπεις, τοὶ ξένε καρποφορεῖ.
Ἴσχε δὲ οἷα μέλισσα σοφὸν νόον, ὅκκ' ἐκορέσθης
　νέκταρι, μὴ βλάπτειν ἄνθεα μηδ' ὀλέσαι.
Μὴ μὰν λωβάσησθε τάδ' ἄνθεα, μήτε τὰς ἄβας
　τάς δε χλόας φθονερῶν δάγματα τρωξαλίδων.
Φεύγετε κανθαρίδες, κακὰ θηρία, φεύγετε κάμπαι,
　ὔμμι γὰρ οὐ φύεται ταῦτα τὰ χορτάρια.

ὁ Ἀναστάσιος Ἀγήρατος.

EIVSDEM.

Hic Panacea sibi posuit cum Chloride sedes,
Et meruit gemini numinis hortus opem.
Hunc etenim Hippocratis pariter geniusq; Crateuæ,
Et Camerariadæ dextra perita colit.

M. VITRVVIVS POLL. DE ARCHITEC. LIB. VIII.



VOD ſi terra generibus humorum non eſſet diſſimilis, & diſparata, non tantum in Syria & Arabia in arundinibus & iuncis, herbiſque omnibus eſſent odores, neque arbores thuriferæ, neque piperis darent baccas, nec myrrha glebulas, nec Cyrenis in ferulis laſer naſceretur: ſed in omnibus terræ regionibus & locis eodem genere omnia procrearentur. Has autem varietates regionibus & locis inclinatio mundi & ſolis impetus, propius aut longius curſum faciendo, tales efficit terræ humores, quæ qualitates non ſolum in his rebus, ſed etiam in pecorib. & armentis diſcernuntur. Hæc non ita diſſimiliter efficerentur, niſi proprietates ſingularum terrarum in regionibus ad ſolis poteſtatem temperarentur.

VIRG. II. GEORG.

NEc verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lætiſſima, deniq; apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & frigora taxi.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſq; domos Arabum, pictoſq; Gelonos:
Diuiſæ arboribus patriæ: ſola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaq; & baccas ſemper frondentis acanthi?
Velleraq; vt folijs depectant tenuia Seres?

Aut

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis, vbi aëra vincere summum
Arboris haud vllæ iactu potuere sagittæ.
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumq́ saporem
Felicis mali: quo non præsentius vllum
(Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ
Miscueruntq́ herbas & non innoxia verba,)
Auxilium venit ac membris agit atra venena.

ERRATA IN HORTO.

Fol.1.lin.15.leg. Abrotanum. 8.30. Alcea Pannonica.l. Peregrina. 9.2.Non habetur &c.deleantur illæ tres lineæ & substituatur.Non hanc spontaneam in Pannonia Clusius obseruauit, sed Ferrarijs à Cl.V.Alphonso Pancio primum fatetur se accepisse.9 6.Pannonica,lege peregrina modo dicta.17.26. Chamepyxum.33.24. Capparis fabago. 45.8.enemata.14.sponte.47.penult. Dacrydij.51.26. Cyclaminus.57.29.siue Orobus.73.19.cum minore.88.23. ἀνίκα. 95.22. θερμοῖσ.102.6.Sassafras. 102. 12.Caucafon. 172.1. apud nos non fert. 173.23.Lilionarcissum.178.25.Pseudoguaiacana.

IN SYLVA HARC:

5.11.quasi lege quali.10.29.fructus quoque idem.15.5.Harcyniæ. 22.7.angulosa.23.8. Dens leonis.28.27.Minori.31.3.scabros.51.1. tuber.55.22.flore rubro.61.10. piæq;. 90.13.φλομὶσ.94. 2.communior. 95.5.Rapunculus.104.31.Gratiolæ ferè.1 9.11.Bellidis.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD IOHANNEM FEYERABEND, IMPENSIS SIgiſmundi Feyerabendij, Heinrici Dackij, & Petri Fiſcheri.



M. D. LXXXVIII.

